

Hecho al P.^o Miguel Vazquez

Libreria

Del Colegio de la Compañía de J. H. S. de Granada

T O M V S T E R T I V S
operum M. Tullii Ciceronis,
omnes eius epistolas complectens.

Epistolarum libros x v, ad diuersos missarum : inter quos vnus est M. Cælii ad Ciceronem: quos omnes recentiores nouo, & parum illis apto nomine familiares appellarunt.

Librum i. ad M. Brutum.

Libros i i i. ad Q. Ciceronem fratrem.

Libros x v i. ad T. Pomponium Atticum.

Librum vnum Cornelii Nepotis, de vita T. Pomponii Attici.

Variæ lectiones ex permultis antiquis, ac manuscriptis exemplarib. quibus prior lectio (si quid ab ea immutatum est) nonnullæque doctiorum coniecturæ adiunctæ sunt.

Index copiosissimus rerum ac verborum memoria digniorum.

Libreria
B.^o



L V T E T I A E,

Apud Carolum Stephanum, Typographum Regium.

M. D. LIIII.

Cum priuilegio Regis.



2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39

Höld - 9

Hecho al P.^o Miguel Vasquez

Libreria

Del Colegio de la Compañía de J. H. S. de Granada

T O M V S T E R T I V S
operum M. Tullii Ciceronis,
omnes eius epistolas complectens.

Epistolarum libros x v, ad diuersos missarum : inter quos vnus est M. Cælii ad Ciceronem: quos omnes recentiores nouo, & parum illis apto nomine familiares appellarunt.

Librum i. ad M. Brutum.

Libros i i i. ad Q. Ciceronem fratrem.

Libros x v i. ad T. Pomponium Atticum.

Librum vnum Cornelii Nepotis, de vita T. Pomponii Attici.

Variæ lectiones ex permultis antiquis. ac manuscriptis exemplarib. quibus prior lectio (si quid ab ea immutatum est) nonnullæque doctiorum coniecturæ adiunctæ sunt.

Index copiosissimus rerum ac verborum memoria digniorum.

Libreria
B.^o



L V T E T I A E,

Apud Carolum Stephanum, Typographum Regium.

M. D. LIIII.

Cum priuilegio Regis.



3

M. Tullii Ciceronis Epistolarum

AD LENTVLVM LIBER I.

M. CICERO P. LENTVLO PROCOS. S.



EGO omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus: mihi ipse nunquam satisfacio. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum, vt quoniam tu, nisi perfecta re, de me non conquiesci: ego, quia non idem in tua causa efficio, vitam mihi esse acerbam putem. In causa hæc sunt: Ammonius Regis legatus apertè pecunia nos oppugnat. Res agitur per eosdè creditores, per quos, cū tu aderas, agebatur. Regis causa, si qui sunt qui velint, qui pauci sunt, omnes rem ad Pompeium deferri volunt. Senatus religionis calumniam, non religione, sed maleuolentia, & illius regis largitionis inuidia comprobatur. Pompeium & hortari, & orare, & iam liberius accusare, & monere vt magnam infamiam fugiat, nõ desistimus. Sed planè nec precibus nostris, nec admonitionibus reliquit locum. nam cū in sermone quotidiano, tum in Senatu palam sic egit causam tuam, vt neque eloquentia maiore quisquã, neque grauitate, nec studio, nec contentione agere potuerit, cum summa testificatione tuorum in se officiorum, & amoris erga te sui. Marcellinum tibi esse iratum scis. Is hac regia causa excepta, cæteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit. Quod dat, accipimus. quod instituit referre de religione, & sæpe iam retulit, ab eo deduci nõ potest. Res ante Idus acta sic est: nam hæc Idibus mane scripsi. Hortensii, & mea, & Luculli sententia cedit religioni de exercitu (teneri enim res aliter non potest) sed ex illo S. C. quod te referente factum est, tibi decernit vt Regem reducas: quod cõmodo Reipub. facere possis, vt exercitum religio tollat, te authorem Senatus retineat. Crassus treis legatos decernit: nec excludit Pompeium: censet enim etiam ex iis qui cum imperio sunt: Bibulus treis legatos ex iis qui priuati sunt. Huic assentiuntur reliqui Consulares, præter Seruilium, qui omnino reduci negat oportere: & Volcatium, qui Lupo referente, Pompeium decernit: & Afranium, qui assentitur Volcatio: quæ res auget suspicionem Pompeii voluntatis: nam aduertebatur Pompeii familiaris assentire Volcatio. Laboratur vehementer. inclinata res est. Libonis & Hypsæi non obscura concursatio & contentio, omniumque Pompeii familiarium studium, in eam opinionem rem adduxerunt, vt Pompeius cupere videatur. cui qui volunt, iidem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici. Nos in causa auctoritatem eò minorem habemus, quod tibi debemus. Gratiam autem nostram extinguit hominum suspicio, quod Pompeio se gratificari putant. Vt in rebus multo ante quàm profectus es, ab ipso Rege, & ab intimis, ac domesticis Pompeii clam exulceratis, deinde palam à Consularibus exagitatis, & in summam inuidiam adductis, ita versamur. Nostram fidem omnes, amorem tui absentis, præsentis tui cognoscent. si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus.

M. CICERO P. LENTVLO S. D.

IDIB. Ian. in Senatu nihil est confectum, propterea quod dies magna ex parte consumptus est altercatione Lætuli Cos. & Caninii Trib. pl. eo die nos quoque multa verba fecimus, maximèque visi sumus Senatum commemoratione tuæ voluntatis erga illum ordinem commouere. Itaque postridie placuit, vt breuiter sententias diceremus: videbatur enim reconciliata nobis voluntas Senatus esse: quod tum

A. ii.

dicendo, tum singulis appellandis rogandisque perspexeram. Itaque cum sententia prima Bibuli pronuntiata esset, ut tres legati Regem reducerent, secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompeius reduceret: postulatum est, ut Bibuli sententia diuideretur. Quatenus de religione dicebat: ei rei quia iam obsisti non poterat, Bibulo assensum est. de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortensii sententia, cum Lupus Trib. pl. quod ipse de Pompeio retulisset, contendere coepit, ante se oportere discessionem facere, quam Consules. eius orationi vehementer ab omnibus reclamatum est: erat enim & iniqua, & noua. Consules neque concedebant, neque valde repugnabant: diem consumi volebant: id quod est factum. perspiciebant enim in Hortensii sententiam multis partibus plureis ituros: quanquam aperte Volcatio assentirentur. multi rogabantur, atque id ipsum Consulibus inuitis: nam ii Bibuli sententiam valere cupierunt. Hac controuersia usque ad noctem ducta, Senatus est dimissus: & ego eo die casu apud Pompeium coenauit: nactusque tempus hoc magis idoneum, quam vnquam antea (quod post tuum discessum is dies primus honestissimus nobis fuerat in Senatu) ita sum cum illo locutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. Quem ego ipsum cum audio, prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis. cum autem eius familiares omnium ordinum video, perspicio id quod iam omnibus est apertum, totam rem istam iam pridem à certis hominibus non inuito Rege ipso, consiliariisque eius, esse corruptam. Hanc scripsi ad xv. Calend. Febru. ante lucem. Eo die Senatus erat futurus. Nos in Senatu, quemadmodum spero, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia & iniquitate, retinebimus. Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo aut saluis auspiciis, aut saluis legibus, aut denique sine vi possit. De his rebus pridie quam hanc scripsi, Senatus autoritas grauissima intercesserat. cui cum Cato & Caninius intercessissent: tamen est perscripta. eam ad te missam esse arbitror. De ceteris rebus quicquid erit actum, scribam ad te: & ut quam rectissime agantur, omni mea cura, opera, diligentia, gratia providebo. Vale.

M. T. CICERO P. LENTULO S. D.

AVLO Trebonio, qui in tua prouincia magna negotia, & ampla, & expedita habet, multos annos vtor valde familiariter. Is cum antea semper & suo splendore, & nostra, ceterorumque amicorum commendatione gratissimus in prouincia fuit, tum hoc tempore propter tuum in me amorem, nostramque necessitudinem vehementer confidit his meis literis se apud te gratiosum fore. quæ ne spes eum fallat, vehementer te rogo, commendoque tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiam: in primisque, ut quæ T. Ampius de eius re decreuerit, ea comprobes: omnibusque rebus eum ita tractes, ut intelligat nostram commendationem non vulgarem fuisse. Vale.

M. T. CICERO P. LENTULO S. D.

AD XVI. Calend. Febru. cum in Senatu pulcherrime starem, quod iam illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie eius diei fregeramus, unumque certamen esset relictum, sententia Volcatii: res ab aduersariis nostris extracta est variis calumniis. causam enim frequenti Senatu, in magna varietate, magnaque inuidia eorum qui à te causam regiam aliò transferebant, obtinebamus. Eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo iustiorum, penè etiam amicum. Caninius & Cato negarunt se legem vllam ante comitia esse laturos. Senatus haberi ante Calend. Febr. per legem Pupiam, id quod scis, non potest, neque mense Feb. toto, nisi perfectis aut reiectis legationibus. Hanc tamen opinio est populi Ro. à tuis inuidis atque obrectatoribus nomen inductum fictæ religionis, non tam ut te impeditet, quam

ut nequis, propter exercitus cupiditatem, Alexandriam vellet ire. Dignitatis autem tuæ, nemo est quin existimet habitam esse rationem ab Senatu: nemo est enim qui nesciat, quo minus discessio fieret, per aduersarios tuos esse factum, qui nunc populi Ro. nomine, re autem vera sceleratissimo latrocinio, si qua conabuntur agere: satis prouisum est, ut nequid saluis auspiciis, aut legibus, aut iam sine vi agere possint. Ego neque de meo studio, neque de nonnullorum iniuria scribendum mihi esse arbitror. quid enim aut me ostentem, qui, si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum affecutus: aut de aliorum iniuriis querar, quod sine summo dolore facere non possum: ego tibi à vi, hac præsertim imbecillitate Magistratum, præstare nihil possum: vi excepta, possum confirmare, te & Senatus, & populi Ro. summo studio amplitudinem tuam retenturum. Vale.

M. T. CICERO P. LENTULO S. D.

TAMETS I nihil mihi fuit optatius, quam ut primum abs te ipso, deinde à cæteris omnibus quam gratissimus erga te esse cognoscerer: tamen afficior summo dolore, eiusmodi tempora post tuam profectioem consecuta esse, ut & meam, & cæterorum erga te fidem, & benevolentiam absens experirè. Te autem videre & sentire eandem fidem hominum in tua dignitate, quam ego in mea salute sum expertus, ex tuis literis intellexi. Nos cum maxime consilio, studio, labore, gratia, de causa regia niteremur, subito exorta est nefaria Catonis promulgatio, quæ nostra studia impediret, & animos à minore cura ad summum timorem traduceret. Sed tamen in eiusmodi rerum perturbatione quanquam omnia sunt metuenda, nihil magis quam perfidiam timemus: & Catoni quidem (quoquo modo se res habeat) profecto resistimus. De Alexandrina re, causaque regia tantum habeo polliceri, me tibi absenti, tuisque præsentibus cumulate satisfacturum. Sed vereor, ne aut eripatur nobis, aut deferatur: quorum vtrum minus velim, non facile possum existimare. sed si res coget, est quiddam tertium, quod neque Selicio, nec mihi displicebat: ut neque iacere Regem pateremur, nec nobis repugnantibus ad eum deferri, ad quem propè iam delatum esse existimatur. A nobis agentur omnia diligenter: ut neque, si quid obtineri poterit, non contendamus: nec, si quid non obtinuimus, repulsi esse videamur. Tuæ sapietia, magnitudinisque animi est, omnem amplitudinè & dignitatem tuam in virtute, atque in rebus gestis tuis, atque in tua grauitate positam existimare: si quid ex iis rebus, quas tibi fortuna elargita est, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id maiori illis fraudi, quam tibi, futurum. A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi & cogitandi: utorque ad omnia Q. Selicio: neque enim prudentiorem quenquam ex tuis, neque fide maiore esse iudico, neque amantiorem tui. Hic quæ agantur, quæque acta sint, ea te & literis multorum, & nuntiis cognoscere arbitror. Quæ autem posita sunt in coniectura, quæque mihi videntur fore, ea puto tibi à me scribi oportere. Posteaquam Pompeius apud populum ad VII. Id. Febru. cum pro Milone diceret, clamore, conuictioque iactatus est, in Senatuque à Catone asperè & acerbè omnium magno silentio est accusatus: visus est mihi vehementer esse perturbatus. Itaque Alexandrina causa, quæ nobis adhuc integra est (nihil enim tibi detraxit Senatus, nisi id, quod per eadem religionem dari alteri non potest) videtur ab illo plane esse deposita. Nunc id speramus, idque molimur, ut cum Rex intelligat sese, id quod cogitabat, ut à Pompeio reductatur, assequi non posse, & nisi per te sit restitutus, desertum se, atque abiectum fore, proficiscatur ad te. quod sine vlla dubitatione, si Pompeius paulum modò ostenderit sibi placere, faciet. Sed nosti hominis tarditatè & taciturnitatè. nos tamè nihil quod ad eam rem pertineat, prætermittimus. Cæteris iniuriis, quæ propositæ sunt à Catone, facile, ut spero, resistemus. Amicum ex consularibus neminè tibi esse video, præter Hortensium & Lucullum, cæteri sunt partim obscurius

iniqui, partim non dissimulanter irati. Tu fac animo forti magnoque sis: speresque fore, ut fracto impetu leuissimi hominis, tuam pristinam dignitatem & gloriam 14 consequare.

M. CICERO P. LENTULO S.

Quae gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotiis non interfuit solum, sed praefuit. Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes: quod valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas & consiliis tuorum amicorum, & ipsa die, qua debilitantur cogitationes & inimicorum & proditorum. Facile secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum: quorum imaginem video in rebus tuis. nam etsi minore in re violatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit: tamen est tanta similitudo, ut sperem te mihi ignoscere, si ea non timuerim, quae ne tu quidem vnquam timenda duxisti. Sed praefata te etiam, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, vnguiculis es cognitus. Illustrabit (mihi crede) tuam amplitudinem hominum iniuria. A me omnia summa in te studeo officiaque expecta: non fallam opinionem tuam. Vale. 15

M. T. CICERO P. LENTULO PROCOS. S. D.

Legi tuas literas: quibus ad me scribis gratum tibi esse, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te beneuolentiam facile perspicias. Quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere necesse est, si volo is esse, quem tu me esse voluisti. alterum facio libenter: ut quoniam interuallo locorum & temporum disiuncti sumus, per literas tecum quam saepissime colloquar. quod si rarius fiet, quam tu expectabis, id erit causa, quod non eius generis meae literae sunt, ut eas audeam temere committere. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem, non praetermittam. Quod scire vis, qua quisque in te fide sit & voluntate: difficile dictu est de singulis. vnum illud audeo, quod antea tibi saepe significauimus, nunc quoque re perspecta & cognita scribere: vehementer quosdam homines, & eos maxime, qui te & maxime debuerunt, & plurimum iuuare potuerunt, inuidisse dignitati tuae: simillimamque in re dissimili, tui temporis nunc, & nostri quondam fuisse rationem: ut quos tu Reip. causa laesas, palam te oppugnarent: quorum auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderas, non tam memores essent virtutis tuae, quam laudis inimici. Quo quidem tempore, ut perscripsi ad te antea, cognoui Hortensium percupidum tui, studiosum Lucillum, ex Magistratibus autem L. Racilius & fide & animo in te singulari. nam nostra propugnatio ac defensio dignitatis tuae, propter magnitudinem beneficii tui fortasse plerisque officii maiorem auctoritatem habere videatur, quam sententiae. Praeterea quidem de consularibus nemini possum aut studii erga te, aut officii, aut amici animi esse testis. Etenim Pompeium, qui mecum saepissime non solum a me prouocatus, sed etiam sua sponte de te communicare solet, scis temporibus illis non saepe in Senatu fuisse. Cui quidem literae tuae, quas proximè miseris, quod facile intellexerim, periucundae fuerunt. Mihi quidem humanitas tua, vel summa potius sapientia, non iucunda solum, sed etiam admirabilis visa est: virum enim excellentem, & tibi tua praestanti in eum liberalitate deuinctum, non nihil suspicantem propter aliquorum opinionem suae cupiditatis te ab se abalienatum, illa epistola retinuisti. qui mihi cum semper tuae laudi fauere visus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano, tum verò lectis tuis literis, perspectus est a me, toto animo de te, ac de tuis ornamentis & commodis cogitare. Quare ea, quae scribam, sic habeto, me, cum illo re saepe communicata, de illius ad te sententia atque auctoritate scribere: quoniam S. C. nullum extat, quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta sit, eaque, quae de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, ut nequis omnino Regem reduceret: tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis Senatus consilium

esse videatur: te posse perspicere, qui Ciliciam, Cyprumque teneas, quid efficere, quid consequi possis: & si res facultatem habitura videatur, ut Alexandriam atque Aegyptum tenere possis, esse & tuae, & nostri imperii dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco Rege collocato, te cum classe atque exercitu proficisci Alexandriam, ut cum eam pace, praesidiisque firmaris, Ptolemaeus redeat in regnum: ita fore, ut per te restituatur, quemadmodum Senatus initio censuit: & sine multitudine reducat, quemadmodum homines religiosi Sibyllae placere dixerunt. Sed haec sententia sic & illi, & nobis probabatur, ut ex euentu homines de tuo consilio existimatos videremus: si cecidisset ut volumus & optamus, omnibus te & sapienter & fortiter: sin aliquid esset offensum, eosdem illos & cupidè & temerè fecisse dicturos. Quare quid assequi possis, non tam facile est nobis, quam tibi, cui propè in conspectu Aegyptus est, id iudicare. Nos quidem hoc sentimus: si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum: sin dubium, non esse conandum. Illud tibi affirmo, si rem istam ex sententia gesseris, fore ut absens a multis: cum redieris, ab omnibus collaudere. Offensionem esse periculosam propter interpositam auctoritatem, religionemque video. Sed ego te ut ad certam laudem adhortor, sic a dimicatione deterreo, redeoque ad illud, quod initio scripsi, totius facti tui iudicium non tam ex consilio tuo, quam ex euentu homines esse facturos. Quod si haec ratio rei gerendae periculosa tibi videbitur, placebat illud, ut si Rex amicis tuis, qui per prouinciam imperii tui pecunias ei credidissent, fidem suam praestitisset: & auxiliis eum tuis, & copiis adiuuaret: eam esse naturam & rationem prouinciae tuae, ut illius reditum vel adiuuando confirmares, vel negligendo impedires. In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu facillimè optimèque perspicias: quid nobis placuisset, ex me potissimum putavi te scire oportere. Quod mihi de nostro statu, de Milonis familiaritate, de leuitate & imbecillitate Clodii gratularis, minimè miramur te tuis, ut egregium artificem, praeclearis operibus latari. quanquam est incredibilis hominum peruersitas (grauiori enim verbo uti non licet) qui nos, quos fauendo in communi causa retinere potuerunt, inuidendo abalienauerunt: quorum maleuolentissimis obtreccionibus nos scito de vetere illa nostra diuturnaque sententia propè iam esse depulso: non nos quidem, ut nostrae dignitatis sumus obliti, sed ut habeamus rationem aliquando etiam salutis. Poterat vtrunque praecclare, si esset fides, si grauitas in hominibus consularibus. sed tanta est in plerisque leuitas, ut eos non tam constantia in Reip. nostra delectet, quam splendor offendat. Quod eò liberius ad te scribo, quod tu non solum temporibus iis, quae per te sum adeptus, sed etiam olim nascenti propè nostrae laudi, dignitati, virtutisque praefuisti: simul quod video, non, ut antehac putabam, nouitati esse inuisum meae: in te enim homine omnium nobilissimo similia inuidorum vitia perspexi: quem tamen illi esse in principibus facile sunt passi, euolare altius certè noluerunt. Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortunam. multum enim interest, vtrum laus imminuatur, an salus deseratur. Me meae tamen ne nimis poeniteret, tua virtute perfectum est. curasti enim ut plus additum ad memoriam nominis nostri, quam ademptum de fortuna videretur. Te verò moneo cum beneficiis tuis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuisti, omni cura atque industria consequare: magnitudinemque animi tui, quam ego semper sum admiratus, semperque amaui, ne vnquam inflectas cuiusquam iniuria. magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. Haec profecto vides quanto expressiora, quātōque illustriora futura sunt, cum aliquantum ex prouincia, atque ex imperio laudis acceperit. quanquam te ita gerere volo, quae per exercitum atque imperium gerenda sunt: ut haec multò antè meditère, huc te pa-

res, hæc cogites, ad hæc te exerceas: sentiâsque id, quod quia semper sperasti, non dubito quin adeptus intelligas te facillimè posse obtinere summum atque altissimum gradum ciuitatis. Quæ quidem mea cohortatio ne tibi inanis, aut sine causa suscepta videatur, illa me ratio mouit, vt te ex nostris euentis communibus admonendum putarem, vt considerares in omni reliqua tua vita, quibus crederes, quos caueres. Quòd scribis te velle scire, qui sit Reipub. status: summa dissensio est, sed contentio dispar: nam qui plus opibus, armis, potentia valent, profecisse tantum mihi videntur stultitia & inconstantia aduersariorum, vt iam etiam auctoritate plus valerent. Itaque perpaucis aduersantibus, omnia quæ ne per populum quidem sine seditione se assequi posse arbitrabantur, per Senatum consecuti sunt. nam & stipendium Cæsari decretum est, & decem legati: & ne lege Semproniana succederetur, facilè perfectum est. Quòd ego ad te breuius scribo, quia me status hic Reipub. non delectat: scribo tamen vt te admoneam, quod ipse literis omnibus à pueritia deditus, experiendo tamen magis quàm discendo cognoui, id vt tu rebus tuis integris discas, neque salutis nostræ rationem nobis habendam esse sine dignitate, neque dignitatis sine salute. Quòd mihi de filia, & de Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam: speroque & opto, nobis hanc coniunctionem voluptati fore. Lentulum nostrum, eximia spe, summæ virtutis adolescentem, cum cæteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias: nulla enim erit hac præstantior disciplina. Quem nos, & quia tuus, & quia te dignus est filius, & quia nos diligit, semperque dilexit, in primis amamus, charumque habemus.

M. T. CICERO P. LENTULO PROCOS. S. P. D.

DE omnibus rebus quæ ad te pertinent, quid actum, quid constitutum sit, quid Pompeius susceperit, optimè ex Emplatorio cognosces: qui non solum interfuit his rebus, sed etiam præfuit: neque vllum officium erga te hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi prætermisit. Ex eodem de toto statu rerum communium cognosces: quæ quales sint, non facile est scribere. sunt quidem certè in amicorum nostrorum potestate, atque ita, vt nullam mutationem vnquam hac hominum ætate habitura res esse videatur. Ego quidem, vt debeo, & vt tute mihi præcepisti, & vt me dignitas vtilitasque cogit, me ad eius rationes adiungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adiungendum putasti. Sed te non præterit, quàm sit difficile, sensum in Reipub. præsertim rectum & confirmatum, deponere. Veruntamen ipse me conformo ad eius voluntatem, à quo honestè dissentire non possum: neque id facio, vt forsitan quibusdam videor, simulatione: tantum enim animi inductio, & mehercule amor erga Pompeium apud me valet, vt, quæ illi vtilia sunt, & quæ ille vult, ea mihi omnia iam & recta, & vera videantur. Neque (vt ego arbitror) errarent ne aduersarii quidem eius, si cum pares esse non possent, pugnare desisterent. Me quidem etiam illa res consolatur, quòd ego is sum, cui vel maximè concedant omnes, vt vel ea defendam, quæ Pompeius velit: vel taceam: vel etiam id quod mihi maximè lubet, ad nostra me studia referam literarum. Quod profectò faciam, si mihi per eiusdem amicitiam licebit: quæ enim proposita fuerant nobis, cum & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententiis dicendis, libertas in Reipub. capeffenda, ea sublata tota, sed nec mihi magis, quàm omnibus: nam aut assentiendum est nulla cum grauitate paucis, aut frustra dissentendum. Hæc ego ad te ob eam causam maximè scribo, vt iam de tua quoque ratione meditè. Commutata tota ratio est Senatus, iudiciorum, rei totius publicæ. Otium nobis exoptandum est: quòd ii qui potiuntur rerum, præstaturi videntur, si quidem homines patientius eorum potentiam ferre potuerint. Dignitatem quidem illam Consularem fortis & con-

stantis Senatoris, nihil est quod cogitemus. amissa est culpa eorum, qui à Senatu & ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienarunt. Sed vt ad ea, quæ coniunctiora rebus tuis sunt, reuertar, Pompeium tibi valde amicū esse cognoui: & eo tu Consule (quantum ego perspicio) omnia quæ voles, obtinebis: quibus in rebus me illi sibi affixum habebit: neque à me vlla res, quæ ad te pertineat, negligetur. neque enim verebor, ne sim ei molestus: cui iucundū erit etiā propter id ipsum, quòd me esse gratum videbit. Tu velim tibi ita persuadeas, nullam rem esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior sit, quàm meæ res omnes. idque cum sentiam, sedulitate mihi met ipse satisfacere possum: re quidem ipsa ideo mihi non satisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum non modò referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum. Rem te valde bene gessisse rumor erat. Expectabantur literæ tuæ, de quibus eram iam cum Pompeio locuti: quæ si erunt allatæ, nostrum studiū extabit in conueniendis Magistratibus & Senatoribus. Cætera quæ ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus, quàm possumus, minus tamen faciemus, quàm debemus.

M. T. CICERO P. LENTULO PROCOS. S. P. D.

PERIVCUNDÆ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam benevolentiam, cum illud ipsum grauissimum & sanctissimum nomen pietatis leuius mihi meritis erga me tuis esse videatur: Quòd autem grata tibi mea erga te studia scribis esse: facis tu quidem abundantia quadam amoris, vt etiam grata sint ea quæ prætermitti sine nefario scelere non possint: tibi autem multò notior atque illustrior meus in te animus esset, si hoc tempore omni, quo seiuncti fuimus, & vnâ, & Romæ fuiffemus. nam in eo ipso, quod te ostendis esse facturum, quòdque & in primis potes, & ego à te vehementer expecto, in sententiis senatoriis, & in omni actione atque administratione Reip. floruissemus. De qua ostendam equidem paulò post qui sit meus sensus & status: & rescribā tibi ad omnia quæ quæris. Sed certè & ego te authore amicissimo ac sapientissimo, & tu me consiliario fortasse non imperitissimo, fideli quidem & beneuolo certè vsus esses. quanquam tua quidem causa te esse imperatorem, prouinciâque bene gestis rebus cum exercitu victore obtinere, vt debeo, lætor. Sed certè qui tibi ex me fructus debentur, eos vberiores & præstantiores præfens capere potuiffes. In eis verò vlciscendis, quos tibi partim inimicos esse intelligis propter tuam propugnationem salutis meæ, partim inuidere propter illius actionis amplitudinem & gloriam, mirificum me tibi comitem præbuissem. quanquam ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficiis ornatus, in te potissimum fractam illam & debilitatā vim suam contulit: nostram vicem vltus est ipse sese. ea est enim conatus, quibus patefactis, nullam sibi in posterum non modò dignitatis, sed ne libertatis quidem partē reliquit. Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quàm etiam in tuis: tamen in molestia gaudeo eandem fidem cognoscere hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. De qua ratione tota iam videtur mihi exponendi tempus dari: vt tibi rescribam ad ea quæ quæris. Certiorem te per literas scribis esse factum, me cum Cæsare & cum Appio esse in gratia: tēque id non reprehendere adscribis. Vatinius autem scire te velle ostendis, quibus rebus adductus defenderim & laudarim. quod tibi vt planius exponam, altius paulò rationem meorum cōsilio- rum repetam necesse est. Ego me Létule initio rerum atque actionum tuarum non solum meis, sed etiam Reip. restitutum putabam: & quoniam tibi incredibilem quendam amorem, & omnia in te ipsum summa ac singularia studia deberem, Reipub. quæ te in me restituendo multum adiuuiffet, cum certè me animum meritò ipsius debere arbitrabar, quem antea tantummodo communi officio ciuium, non aliquo erga me singulari beneficio, debitum præstitiffem. Hac me mente fuiffe, & Senatus

ex me te Consule audiuit, & tu in nostris sermonibus, colloctionibusque ipse vidisti. Et si iam primis temporibus illis, multis rebus meus offerebatur animus: cum te agente, de reliqua nostra dignitate, aut occulta nonnullorum odia, aut obscura in me studia cernebam. nam neque de monimentis meis ab iis adiutus es, à quibus debuisti, neque de vi nefaria, qua cum fratre eram domo expulsus: neque hercule in iis ipsis rebus, quæ quanquam erant mihi propter rei familiaris naufragia necessaria, tamen à me minimi putabantur, in meis damnis ex auctoritate Senatus resarciendis, eam voluntatem, quam expectaram, præstiterunt. Quæ cum viderem (neque enim erant obscura) non tamen tam acerba mihi hæc accidebant, quam erant illa grata quæ fecerant. Itaque quanquam & Pompeio plurimum te quidem ipso prædicatore ac teste debebam: & eum non solum beneficio, sed amore etiam, & perpetuo quodam iudicio meo diligebam: tamen, non reputans quid ille vellet, in omnibus meis sententiis de Repub. pristinis permanebam. Ego sedente Cn. Pompeio, cum, ut laudaret P. Sestium, introisset in urbem, dixissetque testis Vatinius, me fortuna & felicitate C. Cæsaris commotum, illi amicum esse cœpisse: dixi me, eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis victoriisque anteferre: dixique eodem teste alio loco, eisdem esse, qui Bibulum exire domo prohibuissent, & qui me cœgissent. Tota verò interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius Tribunatus: in qua omnia dicta sunt libertate, animoque maximo de vi, de auspiciis, de donatione regnorum: neque verò hac in causa modò, sed constanter sæpe in Senatu. Quinetiam Marcellino & Philippo Coss. Non. Apr. mihi est Senatus assensus, ut de agro Campano frequenti Senatu Idib. Maii referretur. Num potui magis in arcem illius causæ inuadere, aut magis obliuisci temporum meorum, & meminisse actionum? Hac à me sententia dicta, magnus animorum motus est factus, cum eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum nunquam putaram. nam hoc S. C. in meam sententiam facto, Pompeius, cum nihil mihi ostendisset se esse offensum, in Sardiniam & in Africam profectus est: eoque itinere Lucam ad Cæsarem venit: ubi multa de mea sententia questus est Cæsar, quippe qui etiam Rauennæ Crassum antè vidisset, ab eoque in me esset incensus. Sanè molestè Pompeium id ferre constabat. quod ego cum audissem ex aliis, maximè ex meo fratre cognoui. quem cum in Sardinia Pompeius paucis post diebus, quam Luca discesserat, conuenisset: Te, inquit, ipsum cupio: nihil opportunius potuit accidere: nisi cum Marco fratre diligenter egeris, dependendum tibi est, quod mihi pro illo spondisti. Quid multa? questus est grauius: sua merita commemorauit: quid egisset sapissime de actis Cæsaris cum ipso meo fratre, quidque sibi is de me recepisset, in memoriam redegit: seque, quæ de mea salute egisset, voluntate Cæsaris egisse, ipsum meum fratrem testatus est: cuius causam, dignitatemque mihi ut commédaret, rogauit: ut eam ne oppugnarem, si nollem, aut non possem tueri. Hæc cum ad me frater pertulisset, & cum antè tamen Pompeius ad me cum mandatis Vibullium misisset, ut integrum mihi de causa Campana ad suum reditum reseruarem: collegi ipse me, & cum ipsa quasi Rep. sum collocutus, ut mihi tam multa pro se perpesio atque perfuncto cœcederet, ut officium meum, memorumque in bene meritos animum, fidemque fratris mei præstarem: eumque, quem bonum ciuē semper habuisset, bonum virum esse pateretur. In illis autem meis actionibus sententiisque omnibus, quæ Pompeium videbantur offendere, certorum hominum, quos iam debes suspicari, sermones referebantur ad me. qui cum illa sentirent in Rep. quæ ego agebam, semperque sensissent: me tamen non satisfacere Pompeio, Cæsaremque inimicissimum mihi futurum gaudere se aiebant. Erat hoc mihi dolendum, sed multò magis illud, quòd inimicum meum (meum autem: immò verò legum, iudiciorum, otii, patriæ, bonorum omnium) sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fouebant, sic me

præsente osculabantur, non illi quidem ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdididi, sed certè ut facere se arbitrarentur. Hic ego quantum humano consilio efficere potui, circumspectis rebus omnibus, rationibusque subductis, summam feci cogitationum mearum omnium: quam tibi, si potero, breuiter exponam. Ego si ab improbis & perditis ciuibus Remp. teneri viderem, sicut & meis temporibus scimus, & nonnullis aliis accidisse accepimus: non modò præmiis quæ apud me minimùm valent, sed ne periculis quidè compulsus vllis, quibus tamen mouentur etiam fortissimi viri, ad eorum causam me adiugerem, ne si summa quidem eorum in me merita constarent. Cum autem in Repub. Cn. Pompeius princeps esset, vir is qui hæc potentiam & gloriam maximis in Remp. meritis, præstantissimisque rebus gestis esset consecutus, cuiusque ego dignitatis ab adolescentia fautor, in Prætura autem & in Consulatu adiutor etiam extitissim: cumque idem auctoritate & sententia per se, consiliis & studiis tecum me adiuuisset, meumque inimicum vnum in ciuitate haberet inimicum: non potui famam inconstantia mihi pertimescendam, si quibusdam in sententiis paulum me immutassim, meamque voluntatem ad summi viri, de meque optimè meriti dignitatem aggregassim. In hac sententia complectendus erat mihi Cæsar, ut vides in coniuncta & causa & dignitate. Hic multum valuit cum vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi, & Q. fratri cum Cæsare fuisse: tum humanitas eius, ac liberalitas breui tempore & literis & officiis perspecta nobis & cognita. Vehementer etiam res ipsa pub. me mouit: quæ mihi videbatur contentionem, præsertim maximis rebus à Cæsare gestis, cum illis viris nolle fieri, & ne fieret, vehementer recusare. Grauius autem me in hanc mentem impulit & Pompeii fides, quam de me Cæsari dederat, & fratris mei, quam Pompeio. Erat præterea hæc animaduertenda in ciuitate, quæ sunt apud Platonem nostrum scripta diuinitus: *QVALES* in Rep. principes essent, tales reliquos solere esse ciueis. Tenebã memoria nobis Consulibus ea fundamenta iacta ex Cal. Ian. confirmandi Senatus, ut neminem mirari oporteret, No. Decemb. tantum vel animi fuisse in illo ordine, vel auctoritatis. idemque memineram, nobis priuatis vsque ad Cæsarem & Bibulum *COSS.* cum sententia nostræ magnum in Senatu pondus haberent, vnum ferè sensum fuisse bonorum omnium. Postea cum tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque Respub. Consules haberet, sed mercatores prouinciarum, & seditionum seruos ac ministros: iecit quidam casus caput meum quasi certaminis causa in mediam contentionem, dissensionemque ciuilem. quo in discrimine, cum mirifica Senatus, incredibilis Italiae totius, singularis bonorum omnium consensio in me tuendo extitisset: non dicam quid acciderit (multorum est enim & varia culpa) tantum dicam breui, non mihi exercitum, sed duces defuisse. in quo, ut iam sit in iis culpa, qui me non defenderunt: non minor est in iis qui reliquerunt. et si accusandi sunt, qui pertimuerunt: magis etiam reprehendendi, qui se timere simularunt. Illud quidem certè nostrum consilium iure laudandum est, quòd meos ciueis & à me seruatos, & me seruare cupientes, spoliatos ducibus, seruis armatis obiici noluerim: declararique maluerim quanta vis esse potuisset in consensu bonorum, si iis pro me stante pugnare licuisset, cum afflictum excitare potuissent. Quorum quidem animum tu non perspexisti solum, cum de me ageres, sed etiam confirmasti atque tenuisti. qua in causa non modò non negabo, sed etiam semper & meminero, & prædicabo libenter. Vfus es quibusdam nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quam fuerant iidem in tenendo. qua in sententia si constare voluissent, suam auctoritatem simul cum salute mea recuperassent. recreatis enim bonis viris Consulatu tuo, & constantissimis atque optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pópeio præsertim ad causam adiuncto, cum etiam Cæsar rebus maximis gestis singularibus ornatus, & nouis honoribus ac iudiciis Senatus, ad auctoritatē eius ordinis adiungeretur, nulli improbo ciui locus ad Remp.

violandam esse potuisset. Sed attende, quæso, quæ sint consecuta: primùm illa furta muliebrium religionum, qui non plures fecerat Bonã deam, quàm treis forores, impunitatem est eorum sententiis affecutus, qui cum Tribunus pleb. pœnas à seditioso ciue per bonos viros iudicio persequi vellet, exemplum præclarissimũ in posterum vindicandæ seditionis de Repub. sustulerunt: iidemque postea non meũ monumentum (non enim illæ manubiæ meæ, sed operis locatio mea fuerat) monumentum verò Senatus, hostili nomine, & cruentis inustuliteris esse passi sunt. Qui me homines quòd saluum esse voluerunt, est mihi gratissimum: sed vellẽ, non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed etiam, ut aliptæ, virium, & coloris rationem habere voluissent. Nunc ut Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit: sic quidam homines in capite meo solum elaborarunt, reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt. in quo ego spem fefelli non modò inuidorum, sed etiam inimicorũ meorum: qui de vno acerrimo & fortissimo viro, meoque iudicio, omnium magnitudine animi & constantia præstantissimo Q. Metello L.F. quondam falsam opinionem acceperunt: quem post reditum dicunt fracto animo & demisso fuisse. Est verò probandum, qui & summa voluntate cesserit, & egregia animi alacritate abfuerit, neque sanè redire curarit: eum ob id ipsum fractum fuisse animo, in quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum singularem virum constantia & grauitate superasset. Sed quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur: de me ita cogitabant, abiectiore animo me futurum: cum Respub. maiorem etiam mihi animum, quàm vnquam habuissẽ, daret: quæ iam declarasset sese non potuisse me vno ciue carere: cumque Metellum vnus Tribuni pl. rogatio, me vniuersa Resp. duce Senatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus referente Consule, comitiis Centuriatis, cunctis ordinibus, hominibusque incumbentibus, omnibus denique suis viribus recuperasset. Neque verò ego mihi postea quicquam assumpsi, neque hodie assumo, quod quenquam malevolentissimum iure possit offendere. tantum enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus opera, consilio, labore desim. Hic meæ vitæ cursus offendit eos fortasse qui splendorem & speciem huius vitæ intuentur, sollicitudinem autem & laborem perspicere non possunt. Illud verò non obscure queruntur in meis sententiis, quibus ornem Cæsarem, quasi desciuerim à pristina causa. Ego autem cum illa sequor, quæ paulò antè proposui, tum hoc non in postremis, de quo cœperam exponere. Nõ offendes eundem bonorum sensum Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus Consulatu nostro, nonnunquam postea interruptus & afflictus ante te Consulem, recreatus abs te totus est, nunc ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus: idque non solũ fronte atque vultu, quibus simulatio facillimè sustinetur, ii declarant qui tum nostro illo statu optimates nominabatur, sed etiam sententia sæpe iam tabellæque docuerunt. Itaque tota iam sapientium ciuium, qualem me & esse & numerari volo, & sententia & voluntas mutata esse debet. Id enim iubet idem ille Plato, quem ego authorem vehementer sequor, TANTVM contendere in Rep. quantum probare tuis ciuibus possis: vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Atque hanc quidẽ ille causam sibi ait non attingendæ Reip. fuisse, quòd cum offendisset populum Atheniensem propè iam desipientem senectute: cumque eum nec persuadendo, nec cogendo regi posse vidisset, cum persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quòd neque desiciente populo, neque integra re mihi ad consulendum capessere Remp. implicatus tenebar. sed lætatus tamẽ sum, quòd mihi liceret in eadem causa & mihi vtilia, & cuius bono recta defendere. Huc accessit commemoranda quædam & diuina Cæsaris in me, fratremque meum liberalitas: qui mihi quascunque res gereret, tuendus esset: nunc in tanta felicitate, tantisque victoriis, etiam si in nos non is esset qui est, tamen ornatus videretur. Sic enim te existimare velim, cum

à vobis meæ salutis authoribus discesserim, neminem esse cuius officiis me tam esse deuinctum non solum confitear, sed etiam gaudeam. Quod quoniam tibi exposui, facilia sunt ea quæ à me de Vatino & de Crasso requiris. Nam de Appio quòd scribis, sicut de Cæsare, te non reprehendere: gaudeo tibi consilium probari meum.

De Vatino autem primùm reditus intercesserat in gratiam per Pompeium statim, ut ille Prætor est factus, cum quidem ego eius petitionem grauissimis in Senatu sententiis oppugnassem, neque tam illius lædendi causa, quàm defendendi atque ornandi Catonis: post autem Cæsaris, ut illum defenderem, mira contentio est consecuta. Cur autem laudari peto à te, ut id à me neue in hoc reo, neue in aliis requiras: ne tibi ego idem reponam, cum veneris, tametsi possum vel absenti recordare enim quibus laudatione ex vltimis terris miseris, nec hoc pertimueris: nam à me ipso laudantur & laudabuntur iidem. sed tamen defendendi Vatini fuit etiam ille stimulus, de quo in iudicio cum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi:

Vbi nominabit Phædriam: tu Pamphilam
Continuò. si quando illa dicet, Phædriam in-
Tromittamus comessatum: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus. si laudabit hæc
Illius formam: tu huius contra. denique

Par pro pari referto, quod eam mordeat. Sic petiui à iudicibus, ut quoniã quidẽ nobiles homines, & de me optimè meriti nimis amarent inimicũ meum, meque inspectante sæpe eum in Senatu modò seuerè seducerent, modò familiariter atque hilarè amplexarentur: quoniãque illi haberent suum Publiũ, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem eorum animos mediocriter lacesitus leuiter repungere. Neque solum dixi, sed etiam sæpe facio diis hominibusque approbatibus. Habes de Vatino: cognosce de Crasso. Ego cum mihi cum illo magna iã gratia esset, quòd eius omneis grauissimas iniurias communis concordia causa, voluntaria quadam obliuione contriueram: repentinam eius defensionem Gabinii, quem proximis superioribus diebus acerrimè oppugnasset: tamen si sine vlla mea contumelia suscepisset, tulissem. sed cum me disputantẽ, non lacescentem lacesisset: exarsit, non solum præfenti (credo) iracundia (nam ea tam vehemẽs fortasse non fuisset) sed cum inclusum illud odium multarum eius in me iniuriarum, quod ego effudisse me omne arbitrabar, residuum tamen insciente me fuisset, omne repente apparuit. Quo quidem tempore ipso quidam homines, & iidem illi, quos sæpe nutu significationeque appello: cum se maximum fructum cepisse dicerent ex libertate mea, meque tum denique sibi esse visum Reip. qualis fuisset restitutum: cumque ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset: gaudere se dicebant, mihi & illum inimicum, & eos qui in eadem causa essent, nunquam amicos futuros. quorum iniqui sermones cum ad me per homines honestissimos perferrentur, cumque Pompeius ita contendisset, ut nihil vnquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam: Cæsarque per literas maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet: habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturæ: Crassusque ut quasi testata populo Ro. esset nostra gratia, penè à meis laribus in prouinciã est profectus. nam cum mihi condixisset, cœnauit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Quamobrem eius causam (quod te scribis audisse) magna illius commendatione susceptam defendi in Senatu, sicut mea fides postulabat. Accepisti quibus rebus adductus, quamque rem, causamque defenderim, quique meus in Rep. sit pro mea parte capessenda status. de quo sic velim statuas, me hæc eadem censurum fuisse, si mihi integra omnia ac libera fuissent. nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes, neque delendum, etiam si id fieri posset, summorum ciuium principatum: neque permanendum

in vna sententia, conuersis rebus, ac bonorum voluntatibus immutatis, sed temporibus assentiendum: *N V N Q V A M* enim præstantibus in Rep. gubernanda viris laudata est in vna sententia perpetua permansio. sed vt in nauigando tempestatu obsequi artis est, etiam si portum tenere non queas: cum verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum quem ceperis, potius quàm eo commutato, quò velis tamen peruenire: sic cum omnibus nobis in administranda Rep. propositum esse debeat, id quod à me sapiissime dictum est, cum dignitate otium, *N O N* idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. Quamobrè, vt paulò antè posui, si essent omnia mihi solutissima, tamen in Rep. non alius essem, atque nunc sum. cum verò in hunc sensum & alliciar beneficiis hominum, & compellar iniuriis, facillè patior ea me de Rep. sentire ac dicere, quæ maximè cum mihi, tum etiam Reip. rationibus putem conducere. Apertius autem hæc ago ac sapius, quòd & *Q.* frater meus legatus est Cæsaris, & nullum meum minimum dictum, non modò factum pro Cæsare intercessit, quod ille non ita illustri gratia exceperit, vt ego eum mihi deuinctum putarem. Itaque eius omni & gratia quæ summa est, & opibus quas intelligis esse maximas, sic fruor vt meis. nec mihi aliter potuisse videor hominum perditorum de me cõsilia frãgere, nisi cum præfidiis iis, quæ semper habui, nunc etiã potentium beneuolentiam coniunxissẽm. His ego consiliis si te præsentem habuissẽm, vt opinio mea fert, essem vsus eisdem. noui enim temperantiam & moderationem naturæ tuæ: noui animum tum mihi amicissimum, tum nulla in cæteros maleuolentia suffusum. contrãque cum magnum & excelsum, tum etiam apertum & simplicem. Vidi ego quosdam in te taleis, quales tu eosdem in me videre potuisti. quæ me mouerunt, mouissent eadem te profectò. sed quocunque tempore mihi potestas præsentis tui fuerit, tu eris omnium moderator cõsiliorum meorum. Tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curæ. Me quidem certè tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium, comitemque habebis: neque mihi in omni vita res tam erit vlla proposita, quàm vt quotidie vehementius te de me optimè meritum esse lætere. Quòd rogas, vt mea tibi scripta mittam, quæ post discessum tuum scripserim: sunt orationes quædam, quas Menocrito dabo, neque ita multæ vt pertimescas. Scripsi etiam (nam etiam ab orationibus disiungo me ferè, referoque ad mansuetiores musas, quæ me maximè, sicut iam à prima adolescentia, delectant) scripsi igitur Aristotelico more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore: quos arbitror Létulo tuo fore non inutiles. abhorrent enim à communibus præceptis, & omnem antiquorum, & Aristotelicam, & Isocraticam rationem oratoriam complectuntur. Scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis: quos iam pridè ad te misissẽm, si esse edendos putassẽm. sunt enim testes, & erunt sempiterni meritorum tuorum erga me, meæque in te pietatis. Sed quia verebar, non eos qui se læsos arbitrarentur (etenim id feci parcè & molliter) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omneis nominare, non misi. quos tamen ipsos libros, si quem cui rectè committam inuenero, curabo ad te perferendos. Atque istam quidem partem vitæ consuetudinisque nostræ totam ad te defero. quantum literis, quantum studiis, veteribus nostris delectationibus, conseremus. Quæ ad me de tuis rebus domesticis scribis, quæque mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, vt me nolim admoneri: rogari verò sine magno dolore vix possim. Quod de *Q.* fratris negotio scribis, te priore ætate, quòd morbo impeditus in Ciliciam non transieris, conficere non potuisse, nunc autem omnia facturum vt conficias: id scito esse eiusmodi, vt frater meus verè existimet, adiuncto isto fundo patrimonium fore suum per te constitutum. Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui nostrique studiis & exercitationibus velim quam familiarissime certiore &

quam sapiissime facias: existimèsq; neminem cuiquam neque chariorem, neque iucundiorẽm vnquam fuisse, quàm te mihi: idque me non modò vt tu sentias, sed vt omnes gentes, etiam vt posteritas omnis intelligat esse facturum. Appius in sermonibus antea dictabat, postea dixit etiam in Senatu palàm, sese, si licitum esset, legem Curiatam ferre, fortiturum esse cum collega prouinciam: si Curiata lex non esset, separaturum cum collega, tibi que successurum: legem Curiatam Cõsuli ferri opus esse, necesse non esse: se quoniã ex S. C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in Urbem introiisset. Ego quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio: varias esse opiniones intelligo. Sunt qui putent non posse te decedere, quòd sine lege Curiata tibi succedatur. sunt etiam qui si decedas, à te relinqui posse, qui prouinciæ præsit. Mihi non tam de iure certum est (quanquam ne id quidem valde dubium est) quàm illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te scio libentissime solere frui, pertinere, te sine vlla mora prouinciam successori concedere: præsertim cum sine suspitione tuæ cupiditatis, non possis illius cupiditatem refutare. Ego vtrunque puto meum esse: & quid sentiam ostendere: & quod feceris defendere. Scripta iam epistola superiore, accepi tuas literas de publicanis: quibus æquitatẽ tuam non potui non probare. Facilitate autem, quod vellem, consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem aut voluntatem offenderes. Equidem non desinam tua decreta defendere: sed nosti consuetudinem hominum. scis quàm grauitè inimici illi ipsi *Q.* Scauolæ fuerint. tibi tamen sum auctor, vt quibus rebus possis, eum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. Id etsi difficile est, tamen mihi videtur esse prudentiæ tuæ. Vale.

M. T. CICERO S. D. L. VALERIO IVRISCONSULTO:

CVR enim tibi hoc non gratificer, nescio: præsertim cum his temporibus audacia pro sapientia liceat vti. Lentulo nostro egi per literas tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim desinas iam nostris literis vti, & nos aliquando reuisas, & ibi malis esse, vbi aliquo numero sis, quàm istic, vbi solus sapere videare. quanquam qui istinc nunc veniunt: partim te superbum esse dicunt, quòd nihil respondeas: partim contumeliosum, quòd malè respondeas. Sed iam cupio tecum coràm iocari. Quare fac vt quamprimum venias, neque in Apuliã tuam accedas, vt possimus saluum te venisse gaudere: nam illò si veneris, tanquam *Vlysses*, cognosces tuorum neminem. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD CVRIONEM,
ET ALIOS, LIBER II.

M. T. CICERO C. CVRIONI S. P. D.



QVAM me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo: tamen non tam mihi molestum fuit, accusari abs te officium meum, quàm iucundum requiri: præsertim cum in quo accusabar, culpa vacare: in quo autem desiderare te significabas meas literas, præ te ferres perspectum mihi quidẽ, sed tamẽ dulcem, & optatum amorem tuum. Equidẽ neminẽ prætermisi, quem quidẽ ad te peruenturum putare, cui literas non dederim. etenim quis est tam in scribendo impiger, quàm ego: à te verò bis, terue ad summum, & eas perbreueis accepi. quare si iniquus es in me iudex: cõdemnabo eodẽ ego te crimine. sin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis. Sed de literis hæctenus: non enim vereor ne non scribendo te expleã: præsertim si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego te abfuisse tãdiu à nobis, & doleo, quòd carui fructu iucundissimæ consuetudinis tuæ: & lætor, quòd absens omnia cum maxima dignitate es cõsecutus: quòdque in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna respõdit. Breue

est, quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit. tanta est expectatio vel animi vel ingenii tui, ut ego te obsecrare obtestarique non dubitem, sic ad nos confirmatus reuertare, ut quam expectationem tui concitasti, hanc sustinere ac tueri possis. Et quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit obliuio: te rogo ut memineris quantæcunque tibi accessiones fient & fortunæ & dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses. Quare hoc animo in nos esse debebis, ut ætas nostra iam ingræscens, in amore atque in adolescentia conquiescat tua. Vale.

M. T. CICERO C. CURIONI S. P. D.

GRAVI teste priuatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo clarissimo viro: qui cum suis laudibus, tum verò te filio superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te antè videret, quam è vita discederet. sed spero nostram amicitiam non egere testibus. Tibi patrimonium dii fortunet. me certè habebis, cui charus æquè sis, & periucundus, ac fuisti patri. Vale.

M. T. CICERO C. CURIONI S. P. D.

RVPAE studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine: sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quicquam te absente fieri, quod tibi, cum venisses, non esset integrum. Meam quidem sententiam aut scribam ad te postea pluribus: aut ne ad eam meditare, imparatum te offendam, coramque contra istam tuam rationem, meam dicam: ut aut te in meam sententiam adducam, aut certè testatum apud animum tuum relinquam quid senserim: ut siquado (quod nolim) displicere tibi tuum consilium coeperit, possis meum recordari. Breui tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quæ tibi natura, studio, fortuna data sunt, facilius omnia quæ sunt in Repub. amplissima, consequi possis, quam muneribus. quorum neque facultatem quisquam admiratur: (est enim copiarum, non virtutis) neque quisquam est, quin fatietate iam defessus sit. Sed aliter atque ostēderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiæ meæ. quare omnem hanc disputationem in aduentum tuum differo. Summa scito in expectatione te esse, eaque à te expectari, quæ à summa virtute, summoque ingenio expectanda sunt: ad quæ si es, ut debes, paratus (quod ita esse confido) plurimis maximisque muneribus & nos amicos, & ciueis tuos vniuersos, & Rempub. afficies. Illud profectò cognosces, mihi te neque chariorem, neque iucundiorem esse quenquam. Vale.

M. T. CICERO C. CURIONI S. P. D.

EPISTOLARVM genera multa esse non ignoras, sed vnum illud certissimū, cuius causa inuenta res ipsa est, ut certiores faceremus absenteis, siquid esset quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset. Huius generis literas à me profectò non expectas. domesticarum enim rerum tuarum habes & scriptores & nuntios: in meis autem rebus nihil est sanè noui. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ me magnopere delectant: vnum familiare & iocosum: alterum seuerum & graue. Vtro me minus deceat uti, non intelligo. Iocerne tecum per literas? ciuem mehercule non puto esse qui temporibus his ridere possit. An grauius aliquid scribam? quid est quod possit grauius à Cicerone scribi ad Curionem, nisi de Repub. atque in hoc genere hæc mea causa est: ut neque ea quæ nunc sentio, velim scribere. Quamobrem quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est: utar ea clausula, qua soleo: teque ad studium summæ laudis cohortabor. est enim tibi grauis aduersaria constituta & parata, incredibilis quædam expectatio: quam tu vna re facillime vices, si hoc statueris, quarum laudum gloriam admiraris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis esse elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse considerem. & hoc quicquid attingi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei. Vale.

M. T. CICERO C. CURIONI S. P. D.

HÆC negotia quomodo se habeant, ne epistola quidem narrare audeo. tibi, etsi vbicumque es (ut scripsi ad te antea) in eadem es nauis: tamen quod abes, gratulor: vel quia non vides ea quæ nos: vel quod excelso & illustri loco sita sit laus tua in plurimorum & sociorum & ciuium conspectu: quæ ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed & clarissima, & vna omnium voce perfertur. Vnum illud nescio, gratulène tibi, an timeam, quod mirabilis est expectatio reditus tui: non quò verear, ne tua virtus opinionum hominum non respondeat, sed mehercule ne cum veneris, non habeas iam quod cures: ita sunt omnia debilitata iam propè, & extincta. Sed hæc ipsa nescio rectène sint literis commissa. quare cætera cognosces ex aliis. Tu tamen siue habes aliquam spem de Rep. siue desperas: ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo ciue ac viro debet qui sit Remp. afflictam & oppressam miseris temporibus ac perditis moribus in veterem libertatem ac dignitatem vindicaturus. Vale.

M. T. CICERO C. CURIONI S. P. D.

NONDVM erat auditum, te ad Italiam aduentare, cum Sext. Iulium Milonis mei familiarem cum his ad te literis misi: sed tamen cum appropinquare tuus aduentus putaretur, & te iam ex Asia Romam versus profectum esse constaret: magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis citò mitteremus, cum has ad te quamprimum perferri literas magnopere vellemus. Ego si mea in te essent officia solum Curio tanta, quanta magis à te ipso prædicari, quam à me ponderari solent, verecundius à te, siqua magna res mihi petenda esset, contenderem: GRAVE est enim homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet: ne id quod petat, exigere magis quam rogare, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsa nouitate meorum temporum clarissima & maxima extiterunt: EST QVE animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: non dubitavi id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximèque necessarium. neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem: cum præsertim confiderem, nullam esse gratiam tantam, quam non vel capere animus meus accipiendo, vel remunerando, cumulandoque illustrare possit. Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis Consulatu fixi & locui: statuque, in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere querere. Neque verò cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto, quantæ mihi sit honos eius, in quo omnia mea posita esse decreui. Huic te vnum tanto adiumento esse, si volueris, posse intelligo, ut nihil sit præterea nobis requirendum. Habemus hæc omnia: bonorum studium conciliatum ex Tribunatu, propter nostram (ut spero te intelligere) causam: vulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturæ: iuuentutis & gratiosorum in suffragiis, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam vel diligentiam: nostram suffragationem si minus potentem, at probatam tamen, & iustam, & debitam, & propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis & auctor opus est, & eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator. Qui si ex omnibus vnus optandus esset, quem tecum conferre possemus, non haberemus. Quamobrem, si me memorem, si gratum, si bonum virum vel ex hoc ipso, quod tam vehementer de Milone laborem, existimare potes: si dignum denique tuis beneficiis iudicas: hoc à te peto, ut subuenias huic meæ sollicitudini, ut huic meæ laudi, vel (ut verius dicam) propè salutis tuum studium dicas. De ipso T. Annio tantum tibi polliceor, te maioris animi, grauitatis, constantiæ, beneuolentiæ erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem. Mihi verò tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile agnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego nō te videre scirem,

cum hæc ad te scriberem, quantum officii sustinerem, quantopere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modò contentione, sed etiam dimicatione elaborandum: plura scriberem. Nunc tibi omnem rem atque causam, meque totum commendo atque trado. Vnum hoc sic habeto: si à te hanc rem impetraro, me penè plus tibi, quam ipsi Miloni debiturum. non enim mihi tam mea salus chara fuit, in qua præcipue sum ab illo adiutus, quam pietas erit in referenda gratia iucunda. Eam autem tui vnus studio me assequi posse confido. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. C. CURIONI
TRIB. PLEB. S. P. D.

SER A gratulatio reprehendi non solet, præsertim si nulla negligentia prætermiffa est: longè enim abs sum: audio serò. Sed & tibi gratulor: & vt sempiternæ laudi tibi sit iste Tribunatus, exopto: teque hortor vt omnia gubernes & moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. Nemo est qui sapientius tibi suadere possit te ipso. nunquam labere, si te audies. non scribo hoc temere: cui scribam, video: noui animum, noui consilium tuum. non vereor, nequid timidè, nequid stultè facias: si ea defendes quæ ipse recta esse senties. Quòd in id Reip. tempus non incideris, sed veneris (iudicio enim tuo, non casu, in ipsum discrimen rerum contulisti Tribunatum tuum) profectò vides, quanta vis in Rep. temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates: quid insidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito quin cogites. Sed amabo te, cura & cogita nihil noui: sed illud idem quod initio scripsi: tecum loquere: te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare consilium possit quam tu, non facile inueniri potest: tibi vero ipsi certè nemo melius dabit. Dii immortales, cur ego non adsum vel spectator laudum tuarum, vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum? tametsi hoc minimè tibi deest: sed tamen efficeret magnitudo & vis amoris mei, consilio te vt possem iuare. Scribam ad te plura aliàs: paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios: vt, quoniam sanè feliciter, & ex mea sententia Remp. gessimus, vnis literis totius ætatis res gestas ad Senatum perscriberem. De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quamque difficili in re atque causa, cognosces ex iis literis quas Thrasoni liberto tuo dedi. Te mi Curio pro tua incredibili in me beneuolentia, meaque item in te singulari, rogo atque oro, ne patiare mihi quicquam ad hanc prouincialem molestiam temporis prorogari. præsens tecum egi, cum te Tribunum pl. isto anno fore non putarem: itémque petiui sapius per literas, sed tum quasi à Senatore nobilissimo & adolescente gratiosissimo, nunc à Tribuno pl. & à Curione Trib. non vt decernatur aliquid noui, quod solet esse difficilius: sed vt nequid noui decernatur: & vt S. C. & leges defendas: eaque mihi conditio maneat, qua profectus sum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. M. CAELIO S. P. D.

Q V I D: tu me hoc tibi mandasse existimas, vt mihi gladiatorum compositiones, vt vadimonia dilata, & Chrestii compilationem mitteres, & ea quæ nobis, cum Romæ sumus, narrare nemo audeat? Vide quantum tibi meo iudicio tribuam (nec me hercule iniuria: πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognoui) ne illa quidem curo mihi scribas, quæ maximis in rebus Reipub. geruntur quotidie: nisi quid ad me ipsum pertinebit: scribent alii, multi nuntiabunt, perferet multa etiam ipse rumor. Quare ego nec præterita, nec præsentia abs te, sed vt ab homine longè in posterum prospiciente, futura expecto: vt ex tuis literis cum formam Reip. viderim, quale ædificium futurum sit, scire possim. Neque tamen adhuc habeo quod te accusem: neque enim fuit quod tu plus prouidere posses, quam quiuis nostrum, in primis ego, qui cum Pompeio còplures dies nullis in aliis, nisi de Rep. sermonibus versatus sum: quæ nec possunt scribi, nec scribenda sunt. tantum habeto, ciuem egregiū esse Pompeium,

& ad omnia, quæ prouidenda sunt in Rep. & animo & consilio paratum. Quare da te homini: complectetur, mihi crede. iam iidem illi & boni & mali ciues videntur, qui nobis videri solent. Ego, cum Athenis decem ipsos dies fuissim, multumque mecum Gallus noster Caninius: proficiscebar inde prid. Non. Quint. cum hoc ad te literarum dedi. tibi cum omnia mea commendatissima esse cupio, tum nihil magis quam ne tempus nobis prouinciæ prorogetur. in eo mihi sunt omnia. Quid, quando, & quomodo, & per quos agendum sit, tu optimè constitues. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. M. CAELIO RVFO AEDILI
CVR. DES. S. P. D.

PLVRIMVM tibi, vt debeo, gratulor, lætorque cum præsentem, tum etiam sperata tua dignitate, serius, non negligentia mea, sed ignoratione rerum omnium. in his enim sum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissimè omnia perferuntur. & cum gratulor, tum verò quibus verbis tibi gratias agam, non reperio, quòd ita factum sit, vt dederis nobis, quemadmodum scripseras ad me, quem semper ridere possemus. Itaque cum primùm audiui, ego ille ipse factus sum (scis quem dicam) egique omneis illos adollescentes, quos ille iactitabat. difficile est loqui. Te autem contempans absentem, & quasi tecum coram loquerer, Non ædepol quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris. quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud. Incredibile hoc factu obiicitur. Repentè verò incessi omnibus lætitiis. in quo cum obiurgarer, quòd nimio gaudio penè desiperem, ita me defendebam, Ego voluptatem animi nimiam. Quid quæris? dum illum rideo, penè sum factus ille. sed hæc pluribus, multaque alia & de te, & ad te, cum primùm ero aliquid otii nactus. Te verò mi Rufe diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, vltorem nò modò inimicorum, sed etiam inuidorum meorum: vt eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum pœniteret. Vale.

M. T. CICERO IMP. M. CAELIO RVFO AEDILI
CVR. DES. S. P. D.

T V vide quam ad me litera non perferantur: nò enim adduci possum vt abs te, posteaquam AEdilis factus es, nullas putem datas: præsertim cum esset tanta res, tantæ gratulationes: de te, quia quod sperabam: de Hillo (balbus enim sum) quod non putaram. Atqui sic habeto, nullam me epistolam accepisse tuam post comitia ista præclara, quæ me lætitia extulerunt. Ex quo vereor ne idem eueniat in meas literas. Equidem nūquam domum nisi vnā epistolam, quin esset ad te altera: nec mihi est te iucundius quicquam, nec charius. Sed balbi non sumus. ad rem redeamus. Vt optasti, ita est: velles enim, ais, tantummodo vt haberè negotii, quod esset ad laureolam satis. Parthos times, quia diffidis copiis nostris. Ergo ita accidit: nam Parthico bello nūtiato, locorum quibusdā angustiis, & natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi, satis probè ornatum auxiliis, & quadam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri: multum est enim in his locis, Hiccine est ille, qui Urbem? quem Senatus? nostri cætera. Cum venissem ad Amanum, qui mōs mihi cū Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortiiis: Cassius noster, quòd mihi magnæ voluptati fuit, feliciter ab Antiochia hoste reiecerat. Bibulus prouinciā acceperat. interea cum meis copiis omnibus vexaui Amanieses hosteis sempiternos. multi occisi, capti: reliqui dissipati. Castella munita, improuiso aduētū capta & incesa. Ita victoria iusta Imperator appellatus apud Issum: quo in loco sæpe, vt ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit, Dariū ab Alexandro esse superatum. Abduxi exercitū ad infestissimā Ciliciæ partē. ibi quintum & vigesimum iam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabā oppidum munitissimū Pindenissum, tantoque negotio, vt mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi. Quod si, vt spero, cepero: tū verò literas publicè mittā. Hæc ad te in præsentem scripsi, vt speres te assequi id quod optasses. Sed vt redeam ad Parthos: hæc æstas habuit hunc exitum

fatis felicem. ea quæ sequitur, magno est in timore. Quare mi Rufe vigila, primùm vt mihi succedatur: sin id erit, vt scribis, & vt ego arbitror, spissius: illud quod facile est, nequid mihi temporis prorogetur. De Rep. ex tuis literis, vt antea tibi scripsi, cum præsentia, tum etiam futura magis expecto. Quare vt ad me omnia quam diligentissime perscribas te vehementer rogo. Vale.

M. T. CICERO IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D.

PVTARE SNE VNQUAM accidere posse, vt mihi verba deessent, neque solùm ista vestra oratoria, sed hæc etiam leuia nostratia: Desunt autem propter hanc causam, quòd mirificè sum sollicitus quidnam de prouinciis decernatur. mirū me desiderium tenet Urbis, incredibile meorum, atque in primis tui, fatietas autem prouinciæ, vel quia videmur eam famam consecuti, vt non tam accessio quærenda, quam fortuna metuenda sit: vel quia totum negotium non est dignum viribus nostris, qui maiora in Rep. onera sustinere & possimus & soleamus: vel quia belli magni timor impendet: quod videmur effugere, si ad constitutam diem decedemus. De pantheris per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est: & eas quæ sunt, valde aiunt queri, quòd nihil cuiquam insidiarum in mea prouincia, nisi sibi fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariâ ex nostra prouincia decedere. sed tamen sedulò fit, & in primis à Patrischo. quicquid erit, tibi erit: sed quid planè esset, nesciebamus. Mihi mehercule magnæ curæ est AEdilitas tua. Ipsa dies me admonebat: scripsi enim hæc ipsis Megalensibus. Tu velim ad me de omni Reip. statu quam diligentissime perscribas: ea enim certissima putabo, quæ ex te cognouero. Vale.

M. T. CICERO IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D.

SOLICITVS equidem eram de rebus vrbis: ita tumultuosæ conciones, ita molestæ Quinquatrus afferebatur: nam citeriora nondum audiebamus. Sed tamè nihil me magis sollicitabat, quam in his molestiis non me, si qua ridenda essent, ridere tecum. sunt enim multa: sed ea non audeo scribere. Illud molestè fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum literarum. Quare, etsi cum tu hæc leges, ego iam annum munus confecero: tamè obuiæ mihi velim sint literæ tuæ, quæ me erudiant de omni Rep. ne hospes planè veniã. hoc melius quam tu facere nemo potest. Diogenes tuus, homo modestus, à me cum Philone Pessinunte discessit. iter habebat ad Deiotarum Regem: quanquam omnia nec benigna, nec copiosa cognorant. Urbem mi Rufe cole, & in ista luce viue: omnis enim peregrinatio (quod ego ab adolescentia iudicavi) obscura & sordida est iis, quorum industria Romæ potest illustris esse. quod cum probè scirem, vtinã in sententia permãsissem. cum vna mehercule ambulatiuicula, atque vno sermone nostro omnis fructus prouinciæ non cõfero. Spero me integritatis laudem consecutum. Non erat minor ex contemnenda, quam ex conseruata prouincia spes triumphi, inquis? Satis gloriose triumpharem, si non essem tandiu quidem in desiderio rerum mihi charissimarum. sed (vt spero) propediem te videbo. Tu mihi obuiam mitte epistolas te dignas. Vale.

M. T. C. IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D.

RARAS tuas quidè (fortasse enim non perferuntur) sed suaues accipio literas: vel quas proximè acceperã, quam prudentis, quam multi & officii & consilii. Etsi omnia sic constituerã mihi agenda, vt tu admonebas: tamen confirmantur nostra consilia, cum sentimus prudentibus fidelitèr, & suadentibus idè videri. Ego Appiũ (vt sæpe tecũ locutus sum) valde diligo: meq; ab eo diligi statim coëptũ esse, vt simulatè deposuimus, sensi. nam & honorificus in me Cõsul fuit, & suavis amicus, & studiosus studiorũ etiã meorum. Meã verò officia ei nõ defuisse, tute es testis: quoniã καμνὸς ἰσχυρὸς (vt opinor) accidit Phania. & mehercule etiam pluris eum feci, quòd te amari ab eo sensi. Iam me Põpeii totum esse scis: Brutum à me amari intelligis. Quid est causæ cur mihi non sit in optatis, cõplecti hominem florètem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propin-

quis, affinibus, amicis: collegam meum præferim, & in ipsa collegii laude, & scientia studiosum mei: Hæc eo pluribus scripsi, quòd mihi significabant tuæ literæ subdubitare qua essem erga illum volūtate. Credo te audisse aliquid: falsum est, mihi crede, siquid audisti. Genus institutorum & rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius administratione prouinciæ. ex eo quidam suspicati fortasse sunt animorum contentione, non opinionum dissensione me ab eo discrepare. Nihil autem feci vnquam, neque dixi, quod contra illius existimationem esse vellem. post hoc negotium autem, & temeritatem nostri Dolabellæ, deprecatorum me pro illius periculo præbeo. Erat in eadem epistola veteris ciuitatis. gaudebam sanè, & congelasse nostrum amicum latebar otio. Extrema pagella pupugit me tuo chirographo. Quid ais? Cæsarem nunc defendit Curio? quis hoc putaret præter me? nam, ita viuum, putauit. Dii immortales, quàm ego risum nostrum desidero. Mihi erat in animo, quoniã iurisdictionem confeceram, ciuitates locupletaram, publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum vlla querela conseruaram, priuatis, summis, infimis fueram iucundus: proficisci in Ciliciam Non. Maii, & cum primùm æstiuã attigissem, militaremque rem collocassem, decedere ex S. C. Cũpio te AEdilem videre: miròque desiderio me Vrbs afficit, & omnes mei, tuque in primis. Vale.

M. T. CICERO IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D.

MARCO Fabio viro optimo, & homine doctissimo familiarissimè vtor: mirificèque eum diligo, cum propter summũ eius ingenium, summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam: eius negotium sic velim suscipias, vt si esset res mea. Noui ego vos magnos patronos. hominem occidat oportet, qui vestra opera vti velit. sed in hoc homine nullam accipio excusationẽ. Omnia relinques, si me amabis, cum tua opera Fabius vti volet. Ego res Romanas vehementer expecto & desidero: in primisque quid agas, scire cupio: nam iandiu propter hyemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.

M. T. CICERO IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D.

NON potuit accuratius agi, neque prudentius, quam actum est à te cum Curione de supplicatione. & mehercule confecta res est ex mea sententia cum celeritate, tum quòd is qui erat iratus, competitor tuus & idem meus, assensus est ei, qui ornauit res nostras diuinis laudibus. Quare scito me sperare ea quæ sequuntur: ad quæ tu te para. Dolabellam à te gaudeo primùm laudari, deinde etiam amari: nam ea quæ speras Tullia meã prudentia temperari posse, scio cui epistolæ tuæ respondeant. Quid si meam legas, quã ego tum ex tuis literis mihi ad Appium? Sed quid agas? sic viuitur. quod actum est, dii approbent. Spero fore iucundũ generũ nobis: multum in eo tua humanitas adiuuabit. Resp. me valde sollicitat. faueo Curioni: Cæsare honestum esse cupio: pro Pompeio emori possum. Sed tamen ipsa Rep. nihil mihi est charius: in qua tu non valde te iactas. districtus enim mihi videris esse, quòd & bonus ciuis, & bonus amicus es. Ego de prouincia decedẽs, Quæst. Cælium præposui prouinciæ. Puerum, inquis? At Quæstorem, at nobilem adolescentem, at omnium ferè exemplo: neque erat superiore honore vsus, quem præficerem. Pontinus multò antè discesserat. à Q. fratre impetrari non poterat: quem tamen si reliquissem, dicerent iniqui, nõ me planè post annum, vt Senatus voluisset, ex prouincia decessisse, quoniam alterum me reliquissem. fortasse & illud adderent, Senatũ eos voluisse prouinciis præesse, qui antea non præfuissem, fratrem meum triennium Asiæ præfuisse. Denique nunc sollicitus non sum: si fratrem reliquissem, omnia timerem. Postremò non tam mea sponte, quam potentissimorum virorum exemplo: qui omnes Cassios, Antoniosque complexi sunt. hominem adolescentem non tam allicere volui, quam alienare nolui. Hoc tu meum consilium laudes necesse est: mutari enim non potest. De Ocella parum planè ad me scripseras, & in actis non erat. Tuæ res gestæ ita notæ sunt, vt trans

montem Taurum etiam de Matrino sit auditum. Ego, nisi quid me Etesia morabuntur, celeriter (vt spero) vos videbo. Vale.

M. T. CICERO IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D.

MAGNO dolore me affecissent tuae literae, nisi iam & ratio ipsa depulisset omnes molestias, & diuturna desperatione rerum obduruisset animus ad dolorem nouum. Sed tamē quare acciderit, vt ex meis superioribus literis id suspicari, quod scribis, nescio. quid enim fuit in illis praeter querelam temporum, quae non animum meum magis sollicitum habent, quam tuum? nam non eam cognoui aciem ingenii tui, quod ipse videam, te id vt non putem videre. Illud miror, adduci potuisse te, qui me penitus nosse deberes, vt me existimares aut tam improuidū, qui ab excitata fortuna ad inclinatam, & propē iacentem desciscerem: aut tam inconstantem, vt collectam gratiam florētissimi hominis effunderem, a meque ipse deficerem: & quod initio, semperque fugi, ciuili bello interesset. Quod est igitur meum triste consilium? vt discederem fortasse in aliquas solitudines. nosti enim non modò stomachi mei, cuius tu similem quōdam habebas, sed etiam oculorum in hominum insolentium indignitate fastidium. Accedit etiam molesta haec pompa licitorum meorum, nomēque imperii, quo appellor. eo si onere carerem, quanuis paruis Italiae latebris contentus essem. Sed incurrit haec nostra laurus nō solum in oculos, sed iam etiam in vuculas maleuolorum. Quod cum ita esset, nihil tamen vnquam de profectioe, nisi vobis approbantibus, cogitavi. Sed mea praediola tibi nota sunt. in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim. Quod autem in maritimis sum, facile moueo nonnullis suspicionē, velle me nauigare. quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium: nam ad bellum quidem quī cōuenit praesertim contra eum, cui spero me satisfecisse: ab eo, cui tamen satisfieri nullo modo potest. Deinde sententiam meam tu facillimē perspicere potuisti iam ab illo tempore, cum in Cumanum mihi obuam venisti: non enim te celauī. Sed nōne tum prouidisti, quā abhorrerem ab vrbe relinquenda? quod cum audissem, nōne tibi affirmāui, quiduis me potius perpeffurum, quā ex Italia ad bellum ciuile exiturū? Quid ergo accidit, cur consilium mutarem? nōne omnia potius, vt in sentētia permanerē? Credas hoc mihi velim, quod puto te existimare, ex his miseriis nihil aliud me quāerere, nisi vt homines aliquādo intelligant, me nihil maluisse, quā pacē: ea desperata, nihil tā fugisse, quā arma ciuilia. huius me constantiae puto fore, vt nūquam poeniteat. Etenim memini in hoc genere gloriari solitum esse familiarem nostrum Q. Hortensium, quod nunquam bello ciuili interfuisset. hoc nostra laus erit illustrior, quod illi tribuebatur ignauiae: de nobis id existimari posse non arbitror. Nec me ista terrēt, quae mihi à te ad timorem fidissimē atque amantissimē proponuntur: nulla est enim acerbitas, quae non omnibus hac orbis terrarum perturbatione impendēre videatur: quam quidem ego à Rep. meis priuatis & domesticis incommodis libentissimē, vel istis ipsis quae tu me mones vt caueam, redemissim. Filio meo quem tibi charum esse gaudeo, si erit vlla Resp. satis amplum patrimonium relinquam memoriā nominis mei: sin autem nulla erit, nihil accidet ei separatim à reliquis ciuibus. Nam quod rogas, vt respiciam generum meum, adolescentem optimum, mihi que charissimum: an dubitas, cum scias quanti cum illum, tum verò Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementissimē sollicitet? & eo magis, quod in communibus miseriis hac tantum oblectabatur specula, Dolabellam meum, vel potius nostrum fore ab iis molestiis, quas liberalitate sua contraxerat, liberum. Velim quāras, quos ille dies sustinuerit in vrbe dum fuit, quām acerbos sibi, quām mihi ipsi socero non honestos. Itaque neque ego hunc Hispaniensem casum expecto, de quo mihi exploratum est ita esse, vt tu scribis: neque quicquam astute cogito. si quando erit ciuitas, erit profectò nobis locus. sin autem non erit, in eisdem solitudines tu ipse (vt arbitror) venies, in quibus nos confedisse audies. Sed ego fortasse vaticinor: & haec omnia meliorem habebunt exitus, re-

cordor enim desperationes eorum qui senes erant adolescente me. Eos ego fortasse nunc imitor, & vtor atatis vitio. velim ita sit. sed tamen togam praetextam texi Oppio: puto te audisse. nam Curtius noster dibaphū cogitat: sed eum infector moratur. Haec asperfi, vt scires me tamē in stomacho solere ridere. De Dolabella quod scripsi, suadeo videas, tanquam si res tua agatur. Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temerē faciemus. Te tamen oramus, quibuscunque erimus in terris, vt nos liberōsque nostros ita tueare, vt amicitia nostra & tua fides postulabit. Vale.

M. T. CICERO IMP. CANINIO SALLUSTIO
PROQVAES. S. P. D.

LITERAS à te mihi stator tuus reddidit Tarfi ad xv i. Cal. Sext. his ego ordine, vt videris velle, respondebo. De successore meo nihil audiui: nec quenquam fore arbitror. quin ad diem decedam, vlla causa est, praesertim sublato metu Parthico. commotum me nusquam sanē arbitror. Rhodum Ciceronum causa puerorum accessurum puto: neque id tamen certum est. ad Urbem velim quamprimum venire: sed tamen iter meum Reip. & rerum vrbanae ratio gubernabit. Successor tuus non potest ita maturare vilo modo, vt tu me in Asia possis conuenire. De rationibus referendis, non erat incommodum te nullam referre: quam tibi scribis à Bibulo fieri potestatem. Sed id vix mihi videris per legem Iuliam facere posse, quam Bibulus certa quadam ratione non seruat: tibi magnopere seruandam censeo. Quod scribis Apamea praesidium deduci non oportuisse, videbam idem ceteros existimare: molestēque ferebam, de ea re minus commodos sermones maleuolorum fuisse. Parthi transierint necne, praeter te, video dubitare neminem. Itaque omnia praesidia, quae magna & firma paraueram, commotus hominum non dubio sermone dimisi. Rationes mei Quaestoris nec verum fuit me tibi mittere, nec tum erant confectae. eas nos Apamea deponere cogitabamus. De praeda mea praeter Quaestores vrb. id est populum Rom. teruncium nec attigit, nec tacturus est quisquam. Laodicea me praedes accepturum arbitror omnis pecuniae publicae, vt & mihi, & populo cautum sit sine vecturae periculo. Quod scribis ad me de drachmis cccc iooo, nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare: omnis enim pecunia ita tractatur, vt praeda à praefectis: quae autem mihi attributa est, à Quaestore curetur. Quod quaeris, quid existimem de legionibus, quae decretae sunt in Syriam, antea dubitabam, venturae ne essent: nunc mihi non est dubium quin, si antea auditum erit otium esse in Syria, venturae non sint. Marium quidem successorem tardē video esse venturum, propterea quod Senatus ita decreuit, vt cum legionibus iret. Vni epistolae respondi: venio ad alteram. Petis à me vt Bibulo te quā diligentissimē commendem: in quo mihi voluntas non deest: sed locus videtur esse tecum exoptuladi: solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo sunt, certior me nunquam fecisti, quā valde Bibuli voluntas à me sine causa abhorreret. permulti enim ad me detulerunt, cum magnus Antiochiae metus esset, & magna spes in me, atque in exercitu meo, solitum dicere, quiduis se perpeti malle, quā videri eguisse auxilio meo. Quod ego officio quaestorio te adductum reticere de Praetore tuo non molestē ferebam: quanquam, quemadmodum tractare, audiebam. Ille autem cum ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me literam nunquam misit, ad quem intelligebat eius belli periculum pertinere. tantum de Auguratu filii sui scripsit ad me. in quo ego misericordia commotus, & quod semper amicissimus Bibulo fui, dedi operam, vt ei quam humanissimē scriberem. Ille si omnibus est maleuolus, quod nunquam existimaui: minus offendor in me. sin à me est alienior: nihil tibi literarum proderunt. nam ad Senatum quas Bibulus literas misit, in iis, quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit. Se ait curasse, vt cum Quaestu populi pecunia permutaretur. Quod autem meum erat proprium, vt alariis transpadanis vti negarem, id etiam populo se remisisse scribit. quod verò illius erat solius, id mecum com-

municat: Equitibus auxiliariis, inquit, cum amplius frumenti postularemus. Illud verò pusilli animi, & ipsa maleuolentia ieiuni, atque inanis, quòd Ariobarzanem, quem Senatus per me Regem appellauit, mihi que commendauit, iste in literis non Regem, sed Regis Ariobarzani filium appellat. Hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogati. Sed tibi morem gessi: literas ad eum scripsi: quas cum acceperis, facies quod voles. Vale.

M. T. CICERO IMP. Q. THERMO PROPRAET. S. P. D.

OFFICIUM meum erga Rhodonem, ceteraque mea studia, quae tibi ac tuis praestiti, tibi homini gratissimo grata esse vehementer gaudeo: mihi que scito in dies maiori curae esse dignitatem tuam: quae quidem à te ipso integritate & clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur. Sed mihi magis magisque quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me venit, ostendi, graueis te suscepturum inimicitias, si adolefcens potens & nobilis à te ignominia affectus esset. & hercle sine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu superiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso vincit viros optimos, hominesque innocentissimos legatos tuos, quòd & Quæstor est, & Quæstor tuus. Nocere tibi iratum neminem posse perspicio: sed tamē tres fratres summo loco natos, promptos, non indifertos, te nolo habere iratos, praesertim iure, quos video deinceps Tribunos pl. per triennium fore. Tempora autem Reip. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ego te velim incidere in terrores tribunitios, praesertim cum sine cuiusquam reprehensione legatis Quæstorē possis anteferre? Qui si dignum se maioribus suis praebuerit, ut spero & opto, tua laus ex aliqua parte fuerit. sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Quae mihi veniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar, quòd in Ciliciam proficiscebam, existimaui me ad te oportere scribere. tu quod egeris, id velim dii approbent. sed si me audies, vitabis inimicitias, & posteritatis otio consules.

M. T. CICERO IMP. C. CAELIO L. F. QVAES. D. E. S. S. P. D.

CUM optatissimum nuntium accepissem, te mihi Quæstorem obtigisse, eo iucundior mihi eam sortem sperabam fore, quo diutius in prouincia mecum fuisses. magni enim videbatur interesse, ad eam necessitudinem, quam nobis fors tribuisset, consuetudinem quoque accedere. Postea cum mihi nihil neque à te ipso, neque ab ullo alio de aduētū tuo scriberetur: verebar ne id ita caderet (quòd etiā nunc vereor) ne antè quam tu in prouinciam venisses, ego de prouincia decederem. Accepi autem à te missas literas in Cilicia, cum essem in castris, ad x. Calend. Quint. scriptas humanissime: quibus facile & officium & ingenium tuum perspici possit: sed neque vnde, neque quo die datae essent, aut quo tempore te expectarem, significabant: nec is qui attulerat, à te acceperat, ut ex eo scirem quo ex loco, aut quo tempore essent datae. Quae cum essent incerta, existimaui tamen esse faciendum, ut ad te statores meos & lictores cum literis mittere: quas si satis opportuno tempore accepisti, gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quamprimum veneris. Nam quòd ad me Curius consobrinus tuus, mihi (ut scis) maxime necessarius, quòd item C. Virginius propinquus tuus, familiarissimus noster de te accuratissime scripsit: valet id quidem apud me multum, sicuti debet hominum amicissimorum diligens commendatio: sed tuae literae, de tua praesertim dignitate, & de nostra coniunctione, maximi sunt apud me ponderis. Mihi Quæstor optatior obtingere nemo potuit. Quamobrem quaecunque à me ornamenta in te proficiscentur: elaborabo ut omnes intelligant, à me habitam esse rationem tuam, maiorumque tuorum dignitatis. Sed id iam facilius consequar, si ad me in Ciliciam veneris: quòd ego & mea, & Reip. & maxime tua interesse arbitror. Vale.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD APPIVM

LIBER III.

M. T. CICERO APPIO PVLCHRO IMP. S. P. D.



I IPSA Resp. tibi narrare posset quomodo sese haberet, non facilius ex ea cognoscere posses, quam ex liberto tuo Phania: ita est homo non modo prudens, verum etiā, quòd vidi, curiosus. quapropter ille tibi omnia explanabit: id enim mihi & ad breuitatem est aptius, & ad reliquas res prouidentius. De mea autem beneuolentia erga te, etsi potes ex eodem Phania cognoscere, tamen videntur etiam aliqua mea partes: sic enim tibi persuade, charissimum te mihi esse cum propter multas suauitates ingenii, officii, humanitatis tuae, tum quòd ex literis tuis, & ex multorum sermonibus intelligo, omnia quae à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. quòd cum ita sit, perficiam profecto ut longi temporis vsuram, qua caruimus intermissa nostra consuetudine, & gratia, crebritate, & magnitudine officiorum meorum sarciam. idque me (quoniam tu ita vis) puto non inuita Minerua esse facturum: quam quidem ego si forte de tuis sumpsero, non solum Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Cilix libertus tuus antea mihi minus fuit notus: sed ut mihi reddidit à te literas plenas & amoris & officii, mirifice ipse suo sermone subsecutus est humanitatem literarum tuarum. Iucunda mihi eius oratio fuit, cum de animo tuo, cum de sermonibus, quos de me haberes, quotidie mihi narraret. Quid quaeris? biduo factus est mihi familiaris, ita tamen ut Phaniam valde sim desideraturus. quem cum Romam remittes (quòd, ut putabamus, celeriter eras facturus) omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me voles, mandata des velim.

L. Valerium iuriconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam si non est iuriconsultus. melius enim ei cauere volo, quam ipse aliis solet. valde hominem diligo: est ex meis domesticis, atque intimis familiaribus. Omnino tibi agit gratias: sed idem scribit, meas literas maximum apud te pondus habituras. id eum ne fallat, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

M. T. C. PROCOS. APPIO PVLCHRO IMP. S. P. D.

CUM & contra voluntatem meam, & praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset: in multis, & variis molestiis, cogitationibusque meis haec vna consolatio occurrebat, quòd neque tibi amicior, quam ego sum, quisquam posset succedere, neque ego ab ullo prouinciam accipere, qui mallet eam mihi quam maxime aptam explicatamque tradere. Quòd si tu quoque eandem de mea voluntate erga te spem habes, ea te profecto nunquam fallat. A te maximopere pro nostra summa coniunctione, tuaque singulari humanitate etiā atque etiam peto & quaeso: ut quibuscunque rebus potes (potes autem plurimis) prospicias & consulas rationibus meis. Vides ex S. C. prouinciam esse habendam, si eam (quoad eius facere poteris) quam expeditissimam mihi tradideris: facilius erit mihi quasi decursus mei temporis. Quid in eo genere efficere possis, tui consilii est. ego te, quòd tibi veniet in mentem mea interesse, valde rogo. Pluribus verbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longior orationem expectaret, aut id fieri nostra amicitia pateretur, aut res verba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Hoc velim tibi persuadeas, si rationibus meis à te prouisum esse intellexero, magnam te ex eo & perpetuam voluptatem esse capturum. Vale.

M. T. C. PROCOS. APPIO PVLCHRO IMP. S. P. D.

AD XI. Cal. Iun. Brundisium cum venissem, Q. Fabius legatus tuus mihi praesto fuit, eaque me ex tuis mandatis monuit, quae non modo mihi, ad quem pertinebant, sed vniuerso Senatui venerant in mentem, praesidio firmiori opus esse ad istam prouinciam. censebat enim omnes ferè, ut in Italia supplementum meis, & Bibuli legionibus

scriberetur. Id cum Sulpitius c o s. passurum se negaret, multa nos quidem questi sumus: sed tantus consensus Senatus fuit, ut mature proficisceremur, parèdum ut fuerit: itaque fecimus. Nunc quod à te petii literis iis, quas Romæ tabellariis tuis dedi, velim tibi curæ sit, ut quæ successori coniunctissimo & amicissimo commodare potest is qui prouinciam tradit, ea pro nostra constantissima voluntate erga te, cura ac diligentia tua complectare: ut omnes intelligant, nec me beneuolentiori cuiquam succedere, nec te amicioi potuisse prouinciam tradere. Ex iis literis, quarum exemplum ad me misisti, quas in Senatu recitari voluisti, sic intellexeram, permultos à te milites esse dimissos: sed mihi Fabius idem demonstraui id te cogitasse facere: sed cum ipse à te discederet, integrum militum numerum fuisse. id si ita est, pergratum mihi feceris, si istas exiguas copias, quas habuisti, quam minimum imminueris. Qua de re s. c. quæ facta sunt, ad te missa esse arbitror. Equidem pro eo quanti te facio, quicquid feceris, approbabo: sed te quoque cōfido ea esse facturum, quæ mihi intelliges maximè esse accommodata. Ego C. Pontinum legatum meum Brundusii expectabam: eumque ante Calend. Ian. Brundisium venturum arbitror. qui cum venerit, quæ primùm nauigandi nobis facultas data erit, ea utemur. Vale.

M. T. C. PROCOS. APPIO PVLCHRO IMP. S. P. D.

PRIDIE Non. Iun. cum essem Brūdusii, literas tuas accepi: quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quæ illum mecum loqui velles. Eum sanè expectabam: ut ea quæ à te afferret, quamprimum cognoscerem. Meum studium erga te, & officiū tametsi multis iam rebus spero tibi esse cognitum, tamen in iis maximè declarabo, quibus plurimùm significare potuero, tuam mihi existimationē & dignitatem charissimam esse. Mihi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus L. F. & diligentissimè M. Octavius Cn. F. demonstraui, me à te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis iam antea iudicaram, maximèque illo libro augurali, quem ad me amantissimè scriptum suauissimum misisti. Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. nam cum te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidie pluris feci: tum accesserunt etiam coniunctiones necessariorum tuorum. duos enim duarum ætatum plurimi facio, Cn. Pompeium filia tuæ focerum, & M. Brutum generum tuum. Collegii quoque coniunctio præsertim tam honorificè à te approbata, non mediocre vinculum mihi quidem attulisse videtur ad voluntates nostras copulandas. Sed si Clodium conuenero, ex illius fermone ad te scribam plura: & ipse operam dabo, ut te quamprimum videam. Quòd scribis, manendi tibi causam eam fuisse, ut me conuenires: id mihi, ne mentiar, gratum est. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. APPIO PVLCHRO IMP. S. P. D.

TRALLEIS veni ad vi. Cal. Sext. ibi mihi præsto fuit L. Lucilius cum literis, mandatisque tuis: quo quidem homine neminem potuisti nec mihi amicioem, nec (ut arbitror) ad ea cognoscenda quæ scire volebam, aptiorem, prudētiorē me mittere. Ego autem & tuas literas legi libenter, & audiui Lucilium diligenter. Nunc quoniam & tu ita sentis (scribis enim quæ de nostris officiis ego ad te scripserim, etsi ea iucunda fuerunt, tamen quoniam ex alto repetita sint, non necessaria te putasse) & re vera, confirmata amicitia, & perspecta fide, commemoratio officiorum superuacanea est: eam partem orationis prætermittam: tibi tamen agam, ut debeo, gratias. animaduerti enim & didici ex tuis literis, te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres, restitueresque, & præparares quodammodo omnia, quo mea ratio faciliior & solutior esse posset. Hoc tuum officium cum mihi gratissimum esse dicam: sequitur illud, ut te existimare velim, mihi magnæ curæ fore, atque esse iam, primùm ut ipse tu, tuique omnes, deinde etiā ut reliqui scire possint me tibi esse amicissimum. Quod quibus adhuc non satis est perspectum, ii mihi nolle magis hoc animo nos esse, quam non intellegere videntur. sed profectò intelligent: neque enim obscuris personis, nec paruis in

causis res ageretur. sed hoc fieri melius quam dici aut scribi volo. Quòd itinerū meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurusne me sis in prouincia: ea res sic habet. Brundusii cum loquerer cum Phania liberto tuo, veni in eum sermonem, ut dicerem me libeter ad eam partem prouinciæ primùm esse venturum, quò te maximè velle arbitrarer. Tūc mihi ille dixit classe te velle decedere: perfore accommodatum tibi, si ad Sidam, maritimam partem prouinciæ, nauibus accessissem. Dixi me esse facturum: itaque fecissem, nisi mihi L. Clodius noster Corcyræ dixisset, minimè id esse faciendum: te Laodiceæ fore ad meum aduentum. Erat id mihi multò breuius, multoque commodius, cum præsertim te ita malle arbitrarer. tua ratio postea est commutata. Nunc quid fieri possit, tu facillimè statues. ego tibi meum consilium exponam. Pridie Cal. Sext. puto me Laodiceæ fore: vbi perpaucos dies, dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, cōmorabor. Deinde iter faciā ad exercitum, ut circiter Id. Sext. putem me ad Iconium fore. Sed siquid nunc me fallit in scribendo (procul enim aberā ab re ipsa, & locis) simul ac progredi cœpero, quam celerrimis potero, & quam creberrimis literis faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum atque itinerū meorum. Oneris tibi imponere nec audeo quicquam, nec debeo. sed quod tuo commodo fieri possit, vtriusque nostrum magni interest, prius ut te conueniam, quam decedas. Quam facultatem siquis casus eripuerit, mea tamen in te omnia officia constabunt, non secus, ac si te vidissem. Tibi de nostris rebus nihil sum antè mandaturus per literas, quam desperaro coram me tecum agere posse. Quòd te à Scæuola petiisse dicis, ut dum tu abesses ante aduentum meum, prouinciæ præfret: eum ego Ephesi vidi, fuitque mecum familiariter triduum illud, quod ego Ephesi commoratus sum: nec ex eo quicquam audiui, quod sibi à te mandatum diceret. Sanè vellem potuisset obsequi voluntati tuæ: non enim arbitror noluisse. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. APPIO PVLCHRO IMP. S. P. D.

QVVM meum factum cum tuo cōparo: etsi non magis mihi faueo in nostra amicitia tuenda quam tibi, tamen multò magis meo facto delector, quam tuo. ego enim Brundusii quæsiui ex Phania, cuius mihi videbar & fidelitatem erga te perspexisse, & nosse locum, quem apud te is teneret, quam in partem prouinciæ maximè putaret te velle ut in succedendo primùm venire. Cum ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quam si ad Sidam nauigassem: etsi minus dignitatis habebat ille aduentus, & ad multas res mihi minus erat aptus, tamen me ita dixi esse facturum. Idem ego cum L. Clodium Corcyræ conuenissem, hominem ita tibi coniunctum, ut mihi cum illo quum loquerer, tecum loqui viderer: dixi ei me ita facturum esse, ut in eam partem, quam Phania rogasset, primùm venirem. Tunc mihi ille cum gratias egisset, magnopere à me petiuit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima prouincia velle esse, ut quamprimum decederes: quin, nisi ego successor essem, quem tu cuperes videre, te antea quam tibi successum esset, decedendum fuisse. Quod quidem erat consentaneum cum iis literis, quas ego Romæ acceperam: ex quibus perspexisse mihi videbar, quam festinans decedere. Respondi Clodio me ita esse facturum, ac multò quidem libentius, quam si illud esset faciendum quod promiseram Phaniæ. Itaque & consilium mutavi, & ad te statim mea manu scriptas literas misi: quas quidem ex tuis literis intellexi satis mature ad te esse perlatas. Hoc ego meo facto valde delector: nihil enim potuit fieri amantius. considera nunc vicissim tuum. Non modò ibi non fuisti, vbi me quamprimum videre posses: sed eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent: ut tuum factum illis, qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis (ut leuissimè dicam) & fugientis congressum: meum verò coniunctissimi & amicissimi esse videatur. Ac mihi tamè antè quam in prouinciam venirem, redditæ sunt à te literæ: quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei con-

ueniēdi afferebas: cum interea credo equidem maleuoli homines (latè enim patet hoc vitium, & est in multis) sed tamen probabilem materiem naçti sermonis, ignari meæ constantiæ, conabantur alienare à te voluntatem meam: qui te forum Tarfi agere, statuere multa, decernere, iudicare dicerent, cum posses iam suspicari, tibi esse successum: quæ ne ab iis quidem fieri solerent, qui breui tempore sibi successum iri putarent. Horum ego sermone non mouebar: quinetiã (credas mihi velim) siquid tu ageres, leuari me putabam molestia: & ex annua prouincia, quæ mihi longa videretur, propè iam vn decim mensium prouinciam factam esse gaudebam, si absentem mihi vnus mensis labor detractus esset. Illud (verè dicam) me mouet in tãta militum paucitate abesse treis cohortes, quæ sint plenissimæ: nec me scire vbi sint. Molestissimè autem fero, quòd te vbi visurus sim, nescio: eoque ad te tardius scripsi, quòd quotidie te ipsum expectabam: cum interea ne literas quidem vllas accepi, quæ me docerent quid ageres, aut vbi te visurus essem. Itaque virum fortem, mihi que in primis probatum Antoniũ præfectum euocatorum nisi ad te, cui (si tibi videretur) cohortes traderes: vt dum tempus anni esset idoneum, aliquid negotii gerere possem. in quo tuo consilio vt me sperare esse vsurum, & amicitia nostra, & literæ tuæ fecerant: quod ego ne nunc quidem despero. Sed planè quando, aut vbi te visurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum. Ego vt me tibi amicissimum esse & æqui & iniqui intelligat, curabo. De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris non nihil loci dedisse: id si correxeris, mihi valde gratum erit. Et vt habere rationem possis, quo loco me salua lege Cornelia cõuenias: ego in prouinciam veni prid. Calend. Sext. iter in Siliciam facio per Cappadociam. Castra moui ab Iconio prid. Cal. Sext. Nũc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, si putabis me esse conueniendum, constitues quo loco id commodissimè fieri possit, & quo die. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. S. D. APPIO PVLCHRO.

PLVRIBVS verbis ad te scribam, cum plus otii nactus ero. Hæc scripsi subito, cum Brutii pueri Laodiceæ me conuenissent, & se Romam properare dixissent. Itaque nullas iis, præterquam ad te & ad Brutum dedi literas. Legati Appiani mihi volumen à te plenum querelæ iniquissimæ reddiderunt, quòd eorum ædificationem literis meis impedissent. Eadem epistola petebas, vt eos quamprimum, ne in hyemem inciderent, ad facultatem ædificandi liberarem: & simul peracutè querebare, quòd eos tributa exigere vetarè prius, quam ego re cognita permisisssem: genus enim quoddam fuisse impediendi, cum ego cognoscere non possem, nisi cum ad hyemem me ex Cilicia recepisssem. Ad omnia accipe, & cognosce æquitatem expostulationis tuæ. Primum cum ad me aditum esset ab iis, qui dicerent à se intolerabilia tributa exigere: quid habuit iniquitatis, me scribere, ne facerent antè quam ego rem, causamque cognoscerem: non poteram, credo, ante hyemem: sic enim scribis. quasi verò ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me venire debuerint. tam longè, inquis: quid: cum dabis iis literas, per quas tecum agebas, ne eos impedirem, quo minus ante hyemem ædificarent, non eos ad me venturos arbitrare: tametsi id quidem fecerunt ridiculè. quas enim literas afferebant, vt opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt. Sed scito, & multò plureis esse, qui de tributis recusent, quam qui exigere velint: & me tamen, quod te velle existimem, esse facturum. De Appianis hæc tamen. A Pausania, Lentuli liberti, accenso meo, audiui cum diceret, te secum esse questum, quòd tibi obuiam nõ prodisssem. scilicet contempsi te: nec potest fieri me quicquã superbius. Cum puer tuus ad me secunda ferè vigilia venisset, isque te ante lucem Iconium mihi venturum nuntiaffet, incertumque vtra via, cum essent duæ: altera Varronem tuũ familiarissimum, altera Q. Leptam præfectum fabrũ meũ tibi obuiam misi: mandavi vtrique eorum vt antè ad me excurrerent, vt tibi obuiam prodire possem. Currens Lepta venit, mihi que nuntiauit, te iam castra prætergressum esse: cõfestim Iconium veni. Cætera iam

tibi nota sunt. An ego tibi obuiam non prodirem: primum Appio Claudio: deinde imperatori: deinde more maiorum: deinde, quod caput est, amico: præsertim cum in isto genere multò etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus & dignitas postulet. sed hæc hæc tamen. Illud idem Pausania dicebat te dixisse: Quid: Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obuiam, Cicero Appio noluit: Quæso, etiã me tu has ineptias homo (mea sententia) summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum vsu: addo vrbaneitatem quæ est virtus, vt Stoici rectissimè putant, vllam Appietatè, aut Lentulitatem valere apud me plus, quam ornamenta virtutis existimas: cum ea consecutus nõdum eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam sum admiratus: viros eos, qui ea vobis reliquissent, magnos arbitrabar. Postea verò quam ita & accepi & gessi maxima imperia, vt mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem: superiorem quidem nunquam, sed parem vobis me sperari esse factum. Nec me hercule aliter vidi existimare vel Cn. Pompeium, quem omnibus qui vnquam fuerunt: vel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono. tu si aliter existimas, nihil errabis, si paulò diligentius (vt quid sit εὐχρηστική, quid sit ἀνθρώπινα, intelligas) Athenodorus Sandonis filius quid de his rebus dicat, attenderis. Sed vt ad rem redeam, me tibi non amicum modò, verum etiam amicissimum existimes velim: profectò omnibus meis officiis efficiam, vt ita esse verè possis iudicare. tu autem si id agis, vt minus mea causa, dum ego absum, debere videaris, quam ego tua laborarim, libero te ista cura. πρὸς ἐμοὶ γὰρ καὶ ὄντοι, οἵ κεν με τιμῆσουσι, μάλιστα ἢ μηδέποτε ζῶντος. Si autè natura es φιλαίτιος, illud non perficies, quo minus tua causa velim: hoc assequere, vt quã in partem accipias, minus laborem. Hæc ad te scripsi liberius, fretus conscientia officii mei, beneuolentiãque, quam à me certo iudicio susceptam, quoad tu voles, conferuabo. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. S. D. APPIO PVLCHRO.

ETSI quantum ex literis tuis intelligere potui, videbam te hanc epistolam, cum ad Urbem esses, esse lecturum, refrigerato iam leuissimo sermone hominum prouincialium, tamen cum tu tam multis verbis ad me de improborum oratione scripssisses, faciendum mihi putavi, vt tuis literis breui responderem. Sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodammodo relinquenda sunt: nihil enim habent quod aut definitum sit, aut certum: nisi me vultu & taciturnitate significasse tibi non esse amicum, idque pro tribunali, cum aliquid ageretur, & nonnullis in conuiuuiis intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse, possum intelligere: sed cum sit nihil, nec quid dicatur quidem intelligo. Illud quidem scio, meos multos & illustres, & ex superiore, & ex æquo loco sermones habitos cum tua summa laude, & cũ magna significatione nostræ familiaritatis, ad te verè potuisse deferri. Nã quod ad legatos attinet, quid à me fieri potuit aut elegantius, aut iustius, quam vt sumptus egētissimarum ciuitatum minuerem sine vlla imminutione dignitatis tuæ, præsertim ipsis ciuitatibus postulãtib: nã mihi totum genus legationum tuo nomine proficiscentium notum non erat. Apameæ cum essem, multarum ciuitatum principes ad me detulerunt, sumptus decerni legatis nimis magnos, cum soluendo ciuitates non essent. Hic ego multa simul cogitavi: primum, te hominem non solum sapientem, verum etiam (vt nunc loquimur) vrbaneum, non arbitrabar genere isto legationum delectari: idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis disputauisse: primum Appium Claudium Senatui, populoque Romanon Myndensium testimonio (de ea enim ciuitate mentio facta est) sed sua sponte esse laudatum: deinde me ista vidisse multis accidere, vt eorum causa legationes Romam venirent, sed his legationibus non meminisse vllum tempus laudandi, aut locum dari: studia mihi eorum placere, quòd in te bene merito grati essent, consilium totum videri minimè necessarium: si autem vellent declarare in eo officium suum, laudatum me, siquis suo sumptu functus esset officio: concessurum, si legitimo: nõ permis-

furum, si infinito. Quid enim reprehēdi potest: nisi quod addis, visum esse quibusdam edictum meum quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum. Iam non tam mihi videntur iniuriam facere ii qui hæc disputant, quam si cuius aures ad hanc disputationem patent. Romæ composui edictum. nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. Diligentissimè scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus ciuitatum: quo in capite sunt quædam noua salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector. Hoc verò, ex quo suspicio nata est, me exquisiuisse aliquid, in quo te offenderem, tralatitium est. neque enim eram tam desipiens, ut priuatæ rei causa legari putarem, qui & tibi non priuato, & pro re non priuata sua, sed publica, non in priuato, sed in publico orbis terræ consilio, id est in Senatu ut gratias agerent, mittebantur. neque cum edixi, nequis iniussu meo proficisceretur, exclusi eos, qui me in castra, & qui trans Taurum persequi non possent: nam id est maximè in tuis literis ridendum. Quid enim erat, quod me persequeretur in castra, Taurumue transfirent: cum ego Laodicea vsque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diocesum, quæ cis Taurum sunt, omniumque earum ciuitatum Magistratus, legationesque cōuenirent. Nisi fortè postea cœperūt legare, quàm ego Taurum transgressus sum: quod certè non ita est. cum enim Laodiceæ, cum Apameæ, cum Synnadis, cum Philomeli, cum Iconii essem, quibus in oppidis omnibus commoratus sum, omnes iam istius generis legationes erant cōstitutæ. Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumptu legationum aut minuendo, aut remittendo decreuisse nihil, nisi quod principes ciuitatum à me postulassent, ne in vèditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque hostiorum inducerentur sumptus minimè necessarii. Ego autem cum hoc suscepissem, non solum iustitia, sed etiam misericordia adductus, ut leuarem miseris perditas ciuitates, & perditas maximè per Magistratus suos: non potui in illo sumptu non necessario negligens esse. Tu cum istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. si autem eo genere delectaris, ut quæ tibi in mentem veniant, aliis attribuas: genus sermonis inducis in amicitiam minimè liberale. ego, si in prouincia de tua fama detrahere vnquam cogitassem, non ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundusii, neque ad præfectū fabrūm Corcyræ, quem in locū me venire velles, retulissem. Quare potes, doctissimis hominibus authoribus, quorum sunt de amicitia gerenda præclarissimè scripti libri, genus hoc totum orationis tollere. **DISPV TABANT:** ego contra differebam. Dicebant: ego negabā. An mihi de te nihil esse dictum vnquam putas: ne hoc quidem, quod cum me Laodiceam venire voluisses, Taurum ipse transisti: quòd iisdem diebus meus conuentus erat Apameæ, Synnadis, Philomeli, tuus Tarsi: non dicam plura, ne in quo te obiurgem, id ipsum videri imitari. Illud dicam, ut sentio: si ista, quæ alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa culpa est: sin alii tecum hæc loquuntur, tua tamen, quòd audis, culpa nonnulla est. Mea ratio in tota amicitia nostra constans & grauis reperietur. Quòd si quis me astutiorē fingit, quid potest esse callidius, quàm cum te absentem semper defenderim, cum præfertim mihi vsu venturum non arbitrarer, ut ego quoque absens à te defendendus essem, nunc committere, ut tu iure optimo me absentē deserere posses: Vnum genus excipio sermonis, in quo per sæpe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici: si aut legatorum tuorum cuiquam, aut præfectorum, aut Tribunorum mil. malè dicitur: quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut grauius diceretur, aut in plures, quàm mecum Corcyræ Clodius est locutus, cum in eo genere maximè quæretur, te aliorum improbitate minus felicem fuisse. Hos ego sermones, quòd & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, laceffiui nūquam, sed non valde repressi. Siquis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam: simulque non de me is peius, quàm de te

existimat. Sin autem quem mea instituta in prouincia non delectant: & quadam dissimilitudine institutorum meorum, ac tuorum lædi se putat, cum vterque nostrū rectè fecerit, sed non idem vterque secutus sit: hunc ego amicum habere non curo. Liberalitas tua, ut hominis nobilissimi, latius in prouincia patuit: nostra si angustior, & si de tua proluxa beneficæque natura limauit aliquid posterior annus, propter quandam tristitiam temporum, non debent mirari homines, cum & natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, & temporibus, quibus alii mouentur, iisdem ego mouear, me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. De rebus vrbis quòd me certior fecisti, cum per se mihi gratum fuit: tum quòd significasti tibi omnia mea mandata curæ fore. in quibus vnum illud te præcipue rogo, ut cures nequid mihi ad hoc negotii aut oneris accedat, aut temporis: Hortensiumque nostrum collegam, & familiarē roges, ut si vnquam mea causa quicquam aut fensit, aut fecit, de hac quoque sententia bima decedat, qua mihi nihil potest esse inimicius. De nostris rebus quòd scire vis, Tarso Non. Oct. Amanum versus profecti sumus. Hæc scripsi postridie eius diei, cum castra haberem in agro Mopsuhestiæ. si quid egero, scribam ad te: neque domum vnquam ad meos literas mittam, quin adiungam eas, quas tibi reddi velim. De Parthis quòd quæris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt, admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes reuertisse. hostem esse in Syria negant vllum. Tu velim ad me quam sæpissimè & de tuis rebus scribas, & de meis, & de omni Reipub. statu, de quo sum sollicitus eò magis, quòd ex tuis literis cognoui Pompeium nostrum in Hispaniam iturum. Vale.

M. T. CICERO IMP. APPIO PVLCHRO S. P. D.

vix tandem legi literas dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, officii, diligentia. Aspectus videlicet Vrbs tibi tuam pristinam vrbaneitatem reddidit. Nam quas ex itinere antè, quàm ex Asia egressus es, ad me literas misisti, vnas de legatis à me prohibitis proficisci, alteras de Apameorum ædificatione impedita, legi perinuitus. Itaque conscientia meæ constantis erga te voluntatis rescripsi tibi subiratus. iis verò literis lectis, quas Philotimo liberto meo dedisti, cognoui, intellexique in prouincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nolent. Ad Urbem verò ut accesseris, vel potius ut primū tuos videris, cognosse te ex iis, qua in te absentem fide, qua in omnibus officiis tuendis erga te obseruantia & constantia fuissem. Itaque quanti illud me æstimare putas, quòd est in tuis literis scriptum: si quid acciderit, quòd ad meam dignitatem pertineat, etsi vix fieri possit, tamen te parem mihi gratiam relaturum. Tu verò facile facies: **N I H I L** est enim, quòd studio & beneuolentia, vel amore potius effici non possit. Ego, etsi & ipse ita iudicabam, & fiebam crebrò à meis per literas certior: tamen maximam lætitiā cepi ex tuis literis de spe minimè dubia, & planè explorata triumpho tui: neque verò ob eam causam, quòd ipse facilius consequeretur (nam id quidem **Επιπροσδοξ** est) sed mehercule, quòd tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa chara per se. Quare quoniam plures tu habes, quàm ceteri, quos scias in hanc prouinciā proficisci, quòd te adeunt ferè omnes, si quid velis: gratissimum mihi feceris, si ad me, simul atque adeptus eris, quòd & tu confidis, & ego opto, literas miseris. Longi subsellii (ut noster Pompeius appellat) iudicatio, & mora si quem tibi item vnum, alterumue diem abstulerit (quid enim potest amplius?) tua tamen dignitas suum locum obtinebit. Sed si me diligis, si à me diligi vis, ad me literas, ut quam primū lætitiā afficiat, mitto. Et velim, reliquum quòd est promissi ac muneris tui, mihi persoluas. Cum ipsam cognitionem iuris auguralis cōsequi cupio: tum mehercule tuis incredibiliter studiis erga me, muneribusque delector. Quòd autem à me tale quiddam desideras: sanè mihi considerandum est, quonam te remunerer potissimū genere. nam profectò non est meum, qui in scribendo (ut soles admirari) tantum industriæ ponam, committere, ut in scribendo negligēs fuisse videar: præfertim cum id nō modò negligentis, sed etiam

ingrati animi crimen futurum sit. verum hæc videbimus. Illud quod polliceris, velim pro tua fide, diligentiaque, & pro nostra non instituta, sed iam inueterata amicitia, cures, enitare, vt supplicatio nobis quam honorificentissimè quam primùm decernatur. Omnino ferius mihi literas, quàm vellem. in quo cum difficultas nauigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum Senatus incidisse credo meas literas. Sed id feci adductus autoritate & consilio tuo: idque à me rectè factum puto: quod non statim, vt imperator appellatus sum, sed aliis rebus additis, æstiuisque confectis, literas miserim. Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum ostendis: meque totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.

M. T. CICERO IMP. APPIO PVLCHRO S. P. D.

QVVM EST ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facefferet, et si grauius primo nuntio commotus sum, quod nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen vt me collegi, cætera mihi facillima videbatur, quod & in te ipso maximam spem, & in tuis magnam habebam: multaque mihi veniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore. Illud planè molestè tuli, quod certissimum & iustissimum triumphum hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum videbam. Quod tu si tanti facies, quanti ego semper iudicauit faciendum esse, facies sapienter, & ages victor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum. ego enim planè video fore neruis opus, sapientiæque tua, vehementer vt inimicos tuos pœniteat intemperantiæ suæ. De me tibi sic contestans omnes deos, promitto atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quàm pro salute) in hac prouincia, cui tu præfuisi, rogando, deprecatoris: laborando, propinqui: autoritate, chari hominis (vt spero) apud ciuitates: grauitate, imperatoris suscepturum officia atque parteis. Omnia volo à me & postules & expectes. vincâ meis officiis cogitationes tuas. Q. Seruilius per breueis à te mihi literas reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ visæ sunt: iniuriâ enim mihi fieri putabam, cum rogabar. Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti Pompeium (quem vnum ex omnibus facio, vt debeo, plurimi) quanti Brutum facerem: quanquam in consuetudine quotidiana perspexisses, sicuti perspicies. sed quoniam accidit, siquid à me prætermisum fuerit, commissum facinus, & admissum dedecus confitebor. Pontinus, qui à te tractatus est præstanti ac singulari fide, cuius tui beneficii sum ego testis, præstat tibi memoriam beneuolentiæque, quam debet. qui, cum maximis rebus suis coactus à me inuitissimo decessisset, tamen vt vidit tua interesse, conscendens iâ nauem Epheso Laodiceam reuertit. Talia cum te studia videam habiturum esse innumerabilia, planè dubitare non possum, quin tibi amplitudini ista sollicitudo futura sit. Si verò effeceris, vt Censor creeris, & si ita gesseris Censuram, vt & debes, & potes: nõ tibi solum, sed tuis omnibus video in perpetuum summo te præsidio futurum. Illud pugna, & enitere nequid nobis temporis prorogetur: vt cum hîc tibi fatiffecerimus, istic quoque nostram in te beneuolentiâ nauare possimus. Quæ de hominum atque ordinum omnium erga te studiis scribis ad me, minimè mihi miranda, & maximè iucunda acciderunt: eadè que ad me perscripta sunt à familiaribus meis. Itaque capio magnam voluptatem, cum tibi, cuius mihi amicitia non solum ampla, sed etiam iucunda est, ea tribui, quæ debeatur: tum verò etiamnum remanere in ciuitate nostra studia propè omnium consensu erga fortes & industrios viros: quæ mihi ipsi vna semper tributa merces est laborum & vigiliarum mearum. Illud verò mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius ego salutem duobus capitibus iudiciis summa contetione defendi: vt tuis inimicis suscipiendis obliuisceretur patroni omnium fortunarum ac rationum suarum: præsertim cum tu omnibus vel ornamentis, vel præsidis redundares, illi (vt leuissimè dicam) multa deessent. cuius sermo stultus & puerilis erat iam antea ad me à M. Cælio familiaris nostro perscriptus: de quo item sermone multa scripta sunt abs te. Ego autem

citius cum eo qui tuas inimicitias suscepisset, veterem coniunctionem diremissem, quàm nouam conciliaissem. neque enim de meo erga te studio dubitare debes: neque id est obscurum cuiquam in prouincia, nec Romæ fuit. Sed tamen significatur in tuis literis suspicio quædam & dubitatio tua, de qua alienum tempus est mihi tecum expostulandi, purgandi autem mei necessarium. Vbi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quo minus Romam ad laudem tuam mitteretur: aut in quo potui, si te palam odissem, minus quod tibi obesset, facere? si clam, magis apertè inimicus esse? Quod si essem ea perfidia, qua sunt ii qui in nos hæc conferunt: tamen ea stultitia certè non fuisset, vt aut in obscuro odio apertas inimicitias: aut in quo tibi nihil nocerem, summam ostenderem voluntatem nocedi. Ad me adire quosdam memini, qui dicerent, nimis magnos sumptus legatis decerni, quibus ego non tam imperaui, quàm cen sui, sumptus legatis quam maximè ad legem Corneliam decernendos. Atque in eo ipso me non perseuerasse, testes sunt rationes ciuitatum: in quibus quatum quæque voluit, legatis tuis datum induxit. Te autem quibus mendaciis homines leuissimi onerarunt: non modò sublatos sumptus, sed etiam à procuratoribus eorū qui iam profecti essent, repetitos & ablatos: eamque causam multis omnino non eundi fuisse. Quererer tecum, atque expostularem, nisi (vt supra scripsi) purgare me tibi hoc tuo tempore, quàm accusare te mallet, idque putarem esse rectius. Itaque nihil de te, quod credideris de me: quamobrem non debueris credere, pauca dicam. nam si me virum bonum, si dignum iis studiis, eaque doctrina, cui me à pueritia dedi, si satis magni animi, non minimi consilii in maximis rebus perspectum habes: nihil in me non modò perfidiosum & infidiosum & fallax in amicitia, sed ne humile quidem aut ieiunum debes agnoscere. fin autem me astutum & occultum lubet fingere: quid est quod minus cadere in eiusmodi naturam possit, quàm aut florentissimi hominis aspernari beneuolentiâ: aut eius existimationem oppugnare in prouincia, cuius laudem domi defenderis: aut in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obsis: aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum leuissimum? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis essem, cum te ex fratre meo ne tunc quidem, cum tibi propè necesse esset eas agere parteis, inimicum mihi fuisse cognouissem? Cum verò reditum nostrum in gratiam vterque expetisset: quid in Consulatu tuo frustra mecum egisti, quod me aut facere, aut sentire voluisses? Quid mihi mandasti, cum te Puteolis prosequer, in quo non expectationem tuam diligentia mea vicerim? Quod si id est maximè astuti, omnia ad suam vtilitatem referre: quid mihi tandem erat vtilius, quid commodis meis aptius, quàm hominis nobilissimi atque honoratissimi coniunctio, cuius opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno vel ornamento, vel præsidio esse possent? Quæ tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astutia quadam, sed aliqua potius sapientia secutus sum. Quid illa vincula, quibus quidem libentissimè astringor, quanta sunt? studiorum similitudo, suauitas consuetudinis, delectatio vitæ atque victus, sermonis societas, literæ interiores. atque hæc domestica. Quid illa tandem popularia? reditus illustris in gratiam, in quo ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspitione perfidiæ: amplissimi sacerdotii collegium, in quo non modò amicitiam violari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Quæ vt omittam tam multa atque tanta: quis vnquam tanti quenquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium focerum filia tua? Etenim si merita valent, patriam, liberos, salutem, dignitatem, memet ipsum mihi per illum restitutum puto: si consuetudinis iucunditas: quæ fuit vnquam amicitia consularium in nostra ciuitate coniunctior? si vlla amoris atque officii signa: quid mihi ille non commisit? quid non mecum communicauit? quid de se in Senatu cum ipse abesset, per quenquam agi maluit? quibus ille me rebus non ornatissimum

voluit amplissimè: qua denique ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, aduersantem interdum actionibus suis: quo studio prouidit, ne qua me illius temporis inuidia attingeret, cum me consilio, cum authoritate, cum armis denique texit suis: quibus quidem temporibus hæc in eo grauitas, hæc animi altitudo fuit, non modò vt Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum maleuolis de me sermonibus crederet. Huius igitur filius cum sit gener tuus: cumque præter hanc coniunctionem affinitatis, quam sit Cn. Pompeio charus, quamque iucundus intelligam: quo tandem animo in te esse debeo? cum præsertim eas ad me is literas miserit, quibus etiam si tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen, totumque me ad eius viri ita de me meriti voluntatem nutumque conuerterem. Sed hæc hæctenus: pluribus enim etiam fortasse verbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea quæ à me perfecta, quæque instituta sunt cognosce. Atque hæc agimus, & agemus magis pro dignitate, quam pro periculo tuo: te enim (vt spero) propediem Censorem audiemus: cuius magistratus officia, quæ sunt maximi animi, summique consilii, tibi diligentius & accuratius, quam hæc quæ nos de te agimus, cogitanda esse cenfeo. Vale.

M. T. CICERO IMP. APPIO PVLCHRO
(VT SPERO) CES. S. D.

cum essem in castris ad fluuium Pyramum, redditæ mihi sunt vno tempore à te epistolæ duæ, quas ad me Q. Seruilius Tarso miserat. Earum in altera dies erat adscripta Non. April. in altera, quæ mihi recentior videbatur, dies non erat. Respondebo igitur superiori prius: in qua scribis ad me de absolute maieftatis. De qua etsi permultum antè certior factus eram literis, nuntiis, fama denique ipsa (nihil enim fuit clarius: non quò quisquam aliter putasset: sed nihil de insignibus ad laudem viris obscure nuntiari solet) tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ literæ: non solum quia plenus loquebantur, & vberius, quam vulgi sermo: sed etiam quia magis tibi videbar gratulari, cum de te ex te ipso audiebam. Complexus igitur sum cogitatione te absentem: epistolam verò osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum: quæ enim à cuncto populo, à Senatu, à iudicibus ingenio, industriæ, virtuti tribuuntur: quia mihi ipse assentor fortasse, cum ea esse in me fingo: mihi quoque ipse tribui puto. Nec tam gloriosum exitum tui iudicii extitisse, sed tam prauam inimicorum tuorum mentem fuisse mirabar.

De ambitu verò quid interest, inquires, an de maieftate? Ad rem nihil: alterum enim non attigisti, alteram auxisti. Veruntamen est maieftas (vt Sylla voluit) ne in quouis impunè declamare liceret. Ambitus verò ita apertam vim habet, vt aut accusetur improbè, aut defendatur. quæ enim facta, aut non facta largitio ignorari potest: tuorum autem honorum cursus cui suspectus vnquam fuit? Me miserum, qui non affuerim: quos ego risus excitassem! Sed de maieftatis iudicio duo mihi illa ex tuis literis iucundissima fuerunt: vnum, quòd te ab ipsa Reipub. defensum scribis: quæ quidem etiam in summa bonorum & fortium ciuium copia tueri taleis viros deberet: nunc verò eò magis, quòd tanta penuria est in omni vel honoris, vel ætatis gradu, vt tam orba ciuitas taleis tutores complecti debeat: alterum quòd Pompeii & Bruti fidem beneuolentiamque mirificè laudas. Lætor virtute & officio cum tuorum necessariorum, meorum amicissimorum, tum maximè alterius omnium seculorum & gentium principis, alterius iam pridem iuuentutis, celeriter (vt spero) ciuitatis. De mercenariis reftibus à suis ciuitatibus notandis, nisi iam aliquid factum est per Flaccum, fiet à me, cum per Asiam decedam. Nunc ad alteram epistolam venio. Quòd ad me quasi formam communium temporum, & totius Reipub. misisti expressam: prudentia literarum tuarum valde est mihi grata. video enim & pericula leuiora quam timebam, & maiora præsidia: siquidem (vt scribis) omnes vires ciuitatis se ad Pompeii ductum applicauerunt, tuumque simul promptum animum & alacrem perspexi ad defendendam Reipub.

mirificamque cepi voluptatem ex hac tua diligentia, quòd in summis tuis occupationibus mihi tamen Reipub. statum per te notum esse voluisti. Nam auguraleis libris ad commune vtriusque nostrum otium serua: ego enim à te cum tua promissa per literas flagitabam, ad urbem te otiosissimum esse arbitrabar. Nunc tamen vt ipse polliceris, pro auguralibus libris orationes tuas confectas omnibus expectabo. Tullius, cui mandata ad me dederas, non conuenerat me: nec erat iam quisquam mecum tuorum, præter omnes meos, qui sunt omnes tui. Stomachosiores meas literas, quas dicas esse, non intelligo. Bis ad te scripsi, me purgans diligenter, te leuiter accusans in eo, quòd de me citò credidisses. Quod genus querelæ mihi quidem videbatur esse amici: si tibi displicet, non vtar eo posthac. Sed si, vt scribis, eæ literæ non fuerunt disertæ, scito meas non fuisse: vt enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat: sic tu (libet enim mihi iocari) quod disertum non erit, ne putaris meum. Vale, & in Censura, si iam es Censor (vt spero) de proauo multum cogitato tuo.

M. T. CICERO IMP. APPIO PVLCHRO S. D.

GRATVLABOR tibi prius (ita enim rerum ordo postulat) deinde ad me conuertar. Ego verò vehementer gratulor de iudicio ambitus: neque id quod nemini dubium fuit, absolutum te esse: sed illud, quòd quo melior ciuis, quo vir clarior, quo fortior amicus es, quòque plura virtutis & industriæ ornamenta in te sunt, eo mirandum est magis, nullam ne in tabellæ quidem latebra fuisse absconditam maleuolentiam, quæ te impugnare auderet: non horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium. nihil iam sum pridem admiratus magis. De me autem suscipe paulisper meas parteis, & eum te esse finge, qui ego sum: si facile inueneris quod dicas, noli ignoscere hæsitati meæ. Ego verò velim mihi, Tulliaque meæ (sicut tu amicissimè & suauissimè optas) prosperè euenire ea, quæ me insciente facta sunt à meis: sed ita cecidisse vt agerentur eo tempore, spero omnino cum aliqua felicitate, & opto: veruntamen plus me in hac spe, tua sapientia & humanitas consolatur, quam opportunitas temporis. Itaque quemadmodum expediam exitum huius institutæ orationis, non reperio: neque enim tristius dicere quicquā debeo ea de re, quam tu ipse omnibus optimis prosequeris: neque non me tamen mordet aliquid. in quo vnum non vereor, ne tu parum perspicias, ea quæ gesta sunt, ab illis esse gesta: quibus ego ita mandaram, vt cum tam longè abfuturus essem, ad me ne referrent, agerent quod probassent. In hoc autè mihi illud occurrit, Quid tu igitur si affuisses? Rem probassem. De tempore, nihil te inuito, nihil sine consilio egissem tuo. Vides me sudare, iandudum laborantem quomodo ea tuear quæ mihi tuenda sunt, & te non offendam. Leua me igitur hoc onere: nunquam enim mihi videor tractasse causam difficiliorem. Sed tamen sic habeto: nisi iam tunc omnia negotia cum summa tua dignitate diligentissimè confecissem: tamen nihil videbatur ad meum erga te pristinum studium addi posse, tamen hac mihi affinitate renuntiata, non maiore equidem studio, sed acrius, apertius, significantius dignitatem tuam defendissem. Decedenti mihi, & iam imperio annuo terminato, ante diem III. Non. Sext. cum ad Sidam nauis accederem, & mecum Q. Seruilius esset, literæ à meis sunt redditæ. Dixi statim Seruilio (etenim videbatur esse commotus) vt omnia à me maiora expectaret. Quid multa? beneuolentior tibi, quam fui, nihilo sum factus: diligentior quidem ad declarandam beneuolentiam multò. nam vt vetus nostra similitas antea stimulabat me, vt cauerem ne cui suspicionem fictè reconciliatæ gratiæ darem: sic affinitas noua curam mihi affert cauendi, nequid de summo meo erga te amore detractum esse videatur. Vale.

M. T. CICERO IMP. APPIO PVLCHRO S. D.

QUASI diuinarem tali in officio fore mihi aliquando expetendum studium tuum: sic cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo. Dicam tamè verè: plus quam acceperas, reddidisti. Quis enim ad me non perscripsit, te non solum authori-

tate orationis, sententia tua, quibus ego à tali viro contentus eram: sed etiã opera, consilio, domum veniendo, conueniendis meis, nullum onus officii cuiquam reliquum fecisse: Hæc mihi ampliora multò sunt, quàm illa ipsa, propter quæ hæc elaborantur: **INSIGNIA** enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt: talium virorum tanta studia assequi sola virtus potest. Itaque mihi propono fructum amicitia nostræ ipsam amicitia, qua nihil est vberius, præsertim in iis studiis, quibus vterque nostrum deinctus est: nam tibi me profiteor & in Repub. socium, de qua idem sentimus, & in quotidiana vita coniunctum cum iis artibus studiisque, quæ colimus. Velim ita fortuna tulisset, vt quanti ego omnes tuos facio, tanti tu meos facere posses: quod tamen ipsum nescio qua per motus animi diuinatione, non despero. Sed hoc nihil ad te, nostrum est onus. Illud velim sic habeas quod intelliges: hac re nouata additum potius aliquid ad meum erga te studiũ, cui nihil videbatur addi posse, quàm quicquam esse detractum. Cum hæc scribebam, Censorem iam te esse sperabam: eo breuior est hæc epistola, & vt aduersus magistrum morum modestior. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD SVLPITIVM,
ET ALIOS LIB. IIII.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. P.



AIVS Trebatius familiaris meus ad me scripsit, te ex se quæsisse, quibus in locis essem: molestèque ferre, quòd me propter valetudinem tuam cum ad urbem accessissem, non vidisses: & hoc tempore velle te mecum, si propius accessissem, de officio vtriusque nostrum communicare. Vtinã Serui saluis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profectò aliquid opis occidenti Reipub. tulissemus. cognoram enim iam absens, te hæc mala multò antè prouidentem, defensorrem pacis, & in Consulatu tuo, & post Consulatum fuisse. Ego autem cum consilium tuum probarem, & idem ipse sentirem, nihil proficiebam. serò enim veneram: solus eram: rudis esse videbar in causa: incideram in hominum pugnandi cupidorum infanias. Nunc quoniam nihil iam videmur posse opitulari Reipub. siquid est, in quo nobismetipsis consulere possimus, non vt aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed vt quam honestissimè lugeamus: nemo est omnium, quicum potius mihi, quàm tecum communicandum putem. nec enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla: neque doctissimorum, quos semper coluisti, præcepta te fugiunt. Atque ipse antea ad te scripsissem, te frustra in Senatum, siue potius in conuentum Senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne eius animum offenderem, qui à me, vt te imitarer, petebat. Cui quidem ego cum me rogaret vt adessem in Senatu, eadem omnia quæ à te de pace & de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. Rem vides, quo modo se habeat: orbem terrarum imperiis distributis arde bello: Urbem sine legibus, sine iudiciis, sine iure, relictam direptioni & incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil potest, non modò quòd sperem, sed vix iam quòd audeam optare. Sin autem tibi homini prudentissimo videtur vtile esse, nos colloqui: quanquam longius etiam cogitabam ab Vrbe discedere (cuius iam etiam nomen inuitus audio) tamen propius accedam. Trebatio mandauit, siquid tu eum velles ad me mittere, ne recufaret: idque vt facias, velim: aut si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas: ne aut tibi exire ex Vrbe necesse sit, aut mihi accedere. Ego tibi tantum tribuo, quantum mihi fortasse arrogo: vt exploratum habeam, quicquid nos communi sententia statuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. D.

AD IIII. Cal. Maias, cum essem in Cumanò, accepi tuas literas: quibus lectis, cognoui non satis prudenter fecisse Philotimum: qui cum abs te mandata haberet, vt scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non venisset, literas tuas misisset: quas intellexi breuioribus fuisse, quòd eum perlaturum putasses. sed tamen postquã literas tuas legi, Posthumia tua me conuenit, & Seruius noster. His placuit, vt tu in Cumanum venires: quòd etiam mecum, vt ad te scriberem, egerunt. Quòd meum consilium exquiris: id est tale, vt capere facilius ipse possim, quàm alteri dare. quid enim est, quòd audeam suadere tibi homini summa autoritate, summaque prudentia? si, quid rectissimum sit, quærimus: perspicuum est. si, quid maximè expediat: obscurum. Sin hi fumus, qui profectò esse debemus, vt nihil arbitremur expedire, nisi quòd rectum honestumque sit: non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quòd existimas meam causam coniunctam esse cum tua: certè similis in vtroque nostrum, cum optimè sentiremus, error fuit. nam omnia vtriusque consilia ad concordiam spectauerunt. Qua cum ipsi Cæsari nihil esset vtilius: gratiam quoque nos inire ab eo, defendenda pace arbitramur. Quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta sit, vides: neque solum ea perspicis quæ geruntur, quæque iam gesta sunt, sed etiam qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea quæ sunt: aut interesse, etiam si non probes. quarum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio videtur. Restat vt discedendum putem: in quo reliqua videtur esse deliberatio, quòd consilium in discessu, quæ loca sequamur. Omnino cum miserius res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior: nihil enim constitui potest quòd non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, si videbitur, ita censeo facias: vt si habes iam statutum quid tibi agendum putes, in quo non sit coniunctum consilium tuum cum meo, supersedeas hoc labore itineris. sin autem est quòd mecum communicare velis: ego te expectabo. Tu, quòd tuo commodo fiat, quamprimum velim venias, sicut intellexi & Seruio & Posthumia placere. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. D.

VEHEMENTER te esse sollicitum, & in communibus miseris præcipuo quodam dolore angere, multi ad nos quotidie deferunt. quòd quanquã minimè miror, & meum quodammodo agnosco: doleo tamen te sapientia præditum propè singulari, non tuis bonis delectari potius, quàm alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo, qui maiorem ex pernicie & peste Reip. molestiam traxerit, tamen multa iam consolantur, maximèque conscientia consiliorum meorum: multò enim antè tanquam ex aliqua specula prospexi tempestatem futuram: neque id solum mea sponte, sed multò etiam magis monente & denunciante te. Etsi enim absui magnam partem Consulatus tui: tamen & absens cognoscebã quæ esset tua in hoc pestifero bello cauendo & prædicendo sententia: & ipse affui primis temporibus tui Consulatus, cum accuratissimè monuisti Senatum collectis omnibus bellis ciuilibus, vt & illa timeret quæ meminissent: & scirent, cum superiores, nullo tali exemplo antea in Rep. cognito, tam crudeles fuissent, quicumque postea Remp. oppressisset armis, multò intolerabiliorem futurum: **NAM** quòd exemplo sit, id etiam iure fieri putant, & aliquid, atque adeò multa addunt & afferunt de suo. Quare meminisse debes, eos qui autoritatem & consilium tuum non sunt secuti, sua stultitia occidisse, cum tua prudentia salui esse potuissent. Dices, Quid me ista res consolatur in tantis tenebris & quasi perpetuis Reip? est omnino vix consolabilis dolor, tanta est omnium rerum amissio & desperatio recuperandi: sed tamen & Cæsar ipse ita de te iudicat, & omnes ciues sic existimant, quasi lumen aliquod extinctis cæteris elucere sanctitatem & prudentiam & dignitatem tuam. Hæc tibi ad leuandas molestias magna esse debent. Quòd autem à tuis abes, ideo leuius ferendum est, quòd eodem tempore à multis ac magnis molestiis abes: quas ad te omnes

perscriberem, nisi vereretur ne ea cognosceres absens: quæ quia non vides, mihi videris meliore esse conditione, quàm nos qui videmus. Hactenus existimo nostram consolationem rectè adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus leuari possent molestiæ tuæ. Reliqua sunt in te ipso, neque mihi ignota, nec minima solatia, & (vt quidem ego sentio) multò maxima, quæ ego ipse experiens quotidie sic probo, vt ea mihi salutem afferre videantur. Te autem ab initio ætatis memoria teneo summè omnium doctrinarum studiosum fuisse, omniâque quæ à sapientissimis ad bene viuendum tradita essent, summo studio, curâque didicisse: quæ quidem vel optimis rebus & vsui & delectationi esse possent. his verò temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. Nihil faciam insolenter: neque te tali vel scientia vel natura præditum hortabor, vt ad eas te referas arteis, quibus à primis temporibus ætatis studium tuum dedisti. tantum dicâ quod te spero approbaturum: me posteaquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia, neque in foro viderim, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse. Tuæ scientiæ excellenti ac singulari non multò plus quàm nostræ relictum est loci. Quare non equidem te moneo: sed mihi ita persuasi, te quoque in iisdem versari rebus, quæ etiam si minus prodescent, animum tamen à sollicitudine abducerent. Seruius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisque in hac, in qua ego me scripsi acquiescere, ita versatur vt excellat: à me verò sic diligitur, vt tibi vni concedam, præterea nemini: mihi que ab eo gratia refertur: in quo ille existimat, quod facile appareat, quod me colat & obseruet, tibi quoque in eo se facere gratissimum. Vale.

M. T. CICERO S. D. SER. SULPITIO.

ACCIPIO excusationem tuam, qua vsus es, cur sæpius ad me literas vno exemplo dedisses: sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) iisdem verbis epistolas sæpius mittere, nec agnosco, nec probo. Et ego ipse quem tu per iocum (sic enim accipio) diuitias orationis habere dicis, me non esse verborum admodum inopem agnosco (*ειρω-υβροδου* enim non necesse est) sed tamen idem (nec hoc *ειρωυβροδου*) facile cedo tuorum scriptorum subtilitati & elegantia. Consilium tuum, quo te vsus scribis hoc Achaicum negotiū non recusauisse, cum semper probauissem, tum multò magis probaui lectis tuis proximis literis. omnes enim causæ, quas cōmemoras, iustissimæ sunt, tuæque & autoritate & prudentia dignissimæ. Quod aliter cecidisse rem existimas, atque opinatus sis, id tibi nullo modo assentior. sed quia tanta perturbatio & confusio est rerū, ita perculsa & prostrata scēdissimo bello iacent omnia, vt is cuique locus, vbi ipse sit, miserrimus esse videatur: propterea & tui te consilii pœnitet, & nos qui domi sumus, tibi beati videmur. at contra, nobis, non tu quidē vacuus molestiis, sed præ nobis beatus. Atque hoc ipso melior est tua quàm nostra conditio: quod tu, quid doleas scribere audes: nos, ne id quidē tutò possumus: nec id victoris vitio, quo nihil moderatius, sed ipsius victoriæ, quæ ciuilibus bellis semper est insolens. Vno te vicimus, quod de Marcelli collegæ tui salute paulò antè quàm tu cognouimus: etiam mehercule, quod quemadmodū ea res ageretur, vidimus. nam sic fac existimes, post has miseras, id est, postquā armis disceptari cœptū est de iure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate: nā & ipse Cæsar accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudatæque honorificentissimæ & æquitate tua & prudentia, repente præter spem dixit se Senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. fecerat autem hoc Senatus, vt cum à L. Pisone mentio esset facta de Marcello: & cum C. Marcellus se ad Cæsarum pedes abiecisset, cunctus confurgeret, & ad Cæsarem supplex accederet. Noli quære: ita mihi pulcher hic dies visus est, vt speciem aliquam viderer videre quasi reuiuiscantis Reip. Itaque cum omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, præter Volcatiū

(is enim, si eo loco esset, negauit se facturum fuisse) ego rogatus mutavi meum consilium: nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristina dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & Senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Cæsari gratias: meque meruo ne etiam in cæteris rebus honesto otio priuarim: quod erat vnicum solatium in malis. Sed tamen, quando effugi eius offensionem qui fortasse arbitraretur me hanc Rempub. non putare, si perpetuò tacerem: modicè hoc faciam, aut etiam intra modum: vt & illius voluntati & meis studiis seruiam. nam etsi à prima ætate me omnis ars & doctrina liberalis, & maximè philosophia delectauit: tamen hoc studium quotidie ingrauescit, credo & ætatis maturitate ad prudentiam, & his temporum vitiis, vt nulla res alia leuare animum molestiis possit. à quo studio te abduci negotiis, intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid iam noctes te adiuuabunt. Seruius tuus, vel potius noster, summa me obseruantia colit: cuius ego cum omni probitate, summaque virtute, tum studiis, doctrinæque delector. Is mecum sæpe de tua mansione aut decessione communicat. Adhuc in hac sum sententia, nihil vt faciamus, nisi quod maximè Cæsar velle videatur. Res sunt eiusmodi, vt si Romæ sis, nihil te præter tuos delectare possit. De reliquis nihil melius ipso est. cæteri & cætera eiusmodi, vt si alterutrū necesse sit, audire ea malis, quàm videre. hoc nostrum consilium nobis minimè iucundum est, qui te videre cupimus: sed consulimus tibi. Vale.

SER. SULPITIVS M. CICERONI S.

POSTEA QUAM mihi renuntiatum est de obitu Tullia filia tuæ: sanè quàm pro eo, ac debui, grauiter, molestèque tuli: communemque eam calamitatem existimaui: qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbū est, propterea quia per quos id fieri debet propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lachrymis multis id conari queunt: vt magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quàm aliis posse suum officium præstare: tamen quæ in præsentia mihi in mentem venerunt, decreui breui ad te perscribere: non quod ea te fugere existimem: sed quod forsitan dolore impeditus, minus ea perspicias. Quid est quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minus quàm liberi, chara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc vno incommodo addito, quid ad dolorē adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atque omnia minoris æstimare? An illius vicē (credo) doles, quoties in eâ cogitationem necesse est vt tu veneris, vt nos sæpe incidimus, hisce tēporibus non pessimè cum iis esse actū, quibus sine dolore licitum est mortē cum vita commutare? Quid autē fuit, quod illam hoc tēpore ad viuendū magnopere inuitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? vt cum aliquo adolescente primario coniuncta ætatem ageret? Licitū est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac iuuentute generū deligere, cuius fidei liberos tuos, te tutò cōmittere putares. An vt ea liberos ex sese pareret, quos cum florentis videret, lætaretur? qui rē à parēte traditā per se tenere possent: honores ordinatim in Rep. peturi essent: in amicorū negotiis liberalitate sua vterentur? quid horū fuit quod nō prius quàm datum, adēptum sit? At verò malū est liberos amittere. Malum, nisi hoc peius sit, hæc sufferre & perpeti. Quæ res mihi nō mediocrē consolationē attulit, volo tibi commemorare, si fortè eadē res tibi minuere dolorē possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megarā versus nauigarem, cœpi regiones circūcirca prospicere. post me erat Aegina, antè Megara, dextra Piræus, sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita breuior esse debet, cum vno loco tot oppidorū cadauera proiecta iaceat:

vísne tu te Serui cohibere, & meminisse hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas: Modò vnò tēpore tot viri clarissimi interierunt: de imperio præterea tanta diminutio facta est: omnes prouinciæ cōquassatæ sunt: in vnus mulierculæ animus: la si iactura facta sit, tantopere commoueris? quæ si hoc tempore non suum diem obiiisset: paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam auoca: atque ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt: illam quandiu ei opus fuerat, vixisse: vnà cum Reip. fuisse: te patrem suum Prætorem, Consulē, Augurē vidisse: adolescentibus primariis nuptam fuisse, omnibus bonis propè perfunctā esse: cum Resp. occideret, vita excessisse. Quid est quod tu, aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te obliuisci Ciceronem esse, & eum, qui aliis consueueris præcipere & dare cōsiliū: neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius, quæ aliis tute præcipere soles, ea tute tibi subiice, atque apud animum propone. *NVLVS* dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat. Hoc te expectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei factiua tua te occurrere. Quòd si quis etiā inferis sensus est: qui illius amor in te fuit, pietasque in omnes suos, hoc certè illa te facere non vult. Da hoc illi mortuæ: da cæteris amicis & familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, vt si qua in re opus sit, opera & consilio tuo vt possit. Denique quoniam in eam fortunā deuenimus, vt etiam huic rei nobis seruiendum sit: noli committere vt quisquam te putet non tam filiam, quàm Reip. tempora, & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare si hoc vnum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, aduersam quoque te æquè ferre posse, neque id maius quàm debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus hæc vna tibi videatur deesse. Quòd ad me attinet, cum te tranquilliore animo esse cognouero, de iis rebus quæ hîc geruntur, quemadmodumque se prouincia habeat, certiorē faciam. Vale.

M. T. CICERO S. D. SER. SVLPITIO.

EGO verò Serui vellem, vt scribis, in meo grauissimo casu affuisses. quantum enim præsens me adiuuare potueris & consolando, & propè æquè dolendo, facile ex eo intelligo, quòd literis tuis lectis aliquantulum acquieui. nam & ea scripsisti quæ leuare luctum possent: & in me consolando non mediocre ipse animi dolorem adhibuisti. Seruius tamen tuus omnibus officiis, quæ illi tempore tribui potuerunt, declarauit & quanti ipse me faceret, & quàm suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius officia iucundiora scilicet sæpe mihi fuerunt, nunquā tamen gratiora. Me autem non oratio tua solùm, & societas penè ægritudinis, sed etiam authoritas consolatur. turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, vt tu tali sapientia præditus ferendum putas. Sed opprimor interdum, & vix resisto dolori, quòd ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam & Q. Maximus, qui filium Consularem, clarum virum, & magnis rebus gestis, amisit: & L. Paulus, qui duos septem diebus: & vester Gallus: & M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit: iis temporibus fuerunt, vt eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex Reip. consequerentur. Mihi autem amissis ornamentis iis, quæ ipse commemoras, quæque eram maximis laboribus adeptus, vnum manebat illud solatium, quod ereptum est, Non amicorum negotiis, non Reip. procuratore impediabantur cogitationes meæ. Nihil in foro agere licebat. aspicere curiam non poteram. existimabam id quod erat, omnes me & industriam meam fructus, & fortunam perdidisse. Sed cum cogitarem hæc mihi tecum, & cum quibusdam esse commu-

nia: & cum frangerem iam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter: habebam quòd confugerem, vbi conuiescerem, cuius in fermone & suauitate omnes curas, doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam graui vulnere etiam illa, quæ consenuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, vt tum me à Reip. mœstum domus excipiebat, quæ leuaret: sic nunc domo mœrens ad Reip. confugere possum, vt in eius bonis acquiescam. Itaque & domo absum, & foro, quòd nec eum dolorem, quem à Reip. capio, domus iam consolari potest, nec domesticum Reip. quo magis te expecto, teque videre quamprimum cupio. Maior mihi leuatio afferri nulla potest, quàm coniunctio consuetudinis, sermonumque nostrorum. quanquam sperabam tuum aduetum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cum multis de causis te exopto quamprimum videre, tum etiam vt antè commentemur inter nos, qua ratione nobis tradendum sit hoc tempus, quod est totum ad vnus voluntatē accommodandum & prudentis, & liberalis, & (vt perspexisse mihi videor) nec à me alieni, & tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magnæ tamen est deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius concessu & beneficio quiescendi. Vale.

M. T. CICERO S. D. M. MARCELLO.

ETSI eo te adhuc consilio vsus intelligo, vt id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quòd ea te sapientia esse iudicem, vt meum consilium non anteponam tuo: tamen & amicitiam nostram vetustas, & tua summa erga me beneuolentia, quæ mihi iam à pueritia tua cognita est, me hortata est, vt ea scriberem ad te, quæ & salutis tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate. Ego cum te esse, qui horum malorum initia multò antè videris, qui Consulatum magnificentissimè atque optimè gesseris, præclare memini. sed idem etiam illa vidi, neque te consilium ciuiliis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeii, nec genus exercitus probare, semperque summè diffidere. Qua in sententia me quoque fuisse, memoria tenere te arbitror. Itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis: & ego id semper egi, ne interessem. Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, causa, quæ erant in nobis superiora: sed lacertis & viribus, quibus pares non eramus. Victi sumus igitur: aut si vinci dignitas non potest, fracti certè & abiecti. In quo tuum consilium nemo potest non maximè laudare, quòd cum spe vincendi simul abiecasti certandi etiam cupiditatem, ostendisti que sapientem & bonum ciuem initia belli ciuiliis inuitum suscipere, extrema non libenter persequi. Qui non idem consilium, quod tu, securi sunt, eos video in duo genera esse distractos: aut enim renouare bellum conati sunt, & se in Africam contulerunt: aut quemadmodum nos, victori sese crediderunt. Medium quoddam tuum consilium fuit, qui hoc fortasse humilis animi duceres, illud pertinacis. Fateor à plerisque, vel dicam ab omnibus sapiens tuum consilium, à multis etiam magni ac fortis animi iudicatum: sed habet ista ratio, vt mihi quidem videtur, quendam modum: præsertim cum tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortunas omnibus obtinendas, præter voluntatem. sic enim intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, penes quem est potestas, nisi quòd vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere: cum appareat, ipse quid fecerim. sed tamen si iam ita constituisses, vt abesse perpetuò malles, quàm ea quæ nolles, videre: tamen id cogitare deberes, vbi cunque esses, te fore in eius ipsius, quem fugeres, potestate. Qui si facile passurus esset te carentem patria, & fortunis tuis quietè & liberè viuere: cogitandum tibi tamen esset, Romane, & domi tuæ, cuiusmodi res esset, an Mytilenis, aut Rhodi malles viuere. sed cum ita latè pateat eius potestas, quem veremur, vt terrarum orbem complexa sit: nonne maus sine periculo domi tuæ esse, quàm cum periculo alienæ? Equidem etiam si oppetenda mors esset, domi atque in patria malle, quàm in externis atque alienis locis. Hoc idem omnes qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna pro tuis maximis clarissimisque virtutibus multitudo. Habemus

etiã rationem rei familiaris tuã, quã dissipari nolumus. nam etsi nullam potest accipere iniuriã, quã futura perpetua sit, propterea quòd neque is qui tenet Remp. pateretur, neque ipsa Resp. tamen impetum prædonum in tuas fortunas fieri nolo. Ii autem qui essent, aunderem scribere, nisi te intelligere cõsiderem. Hic te vnus sollicitudines, vnus etiã multã & assidua lachrymã C. Marcelli fratris optimi deprecantur. Nos cura & dolore prõximi sumus, precibus tardiores, quòd ius ad eũdẽ, cum ipsi deprecatore eguerimus, non habemus. gratia tantum possumus, quãtum victi. sed tamen consilio, studio, Marcello nõ defumus. A tuis reliquis nõ adhibemur. ad omnia parati sumus. Vale.

M. T. CICERO S. D. M. MARCELLO.

NEQVE monere te audeo præstanti prudentia virum, nec cõfirmare maximĩ animi hominẽ, virumque fortissimum, consolari verò nullo modo. nam si ea quã acciderunt, ita fers, vt audio: gratulari magis virtuti debeo, quã consolari dolorem tuum. sin te tanta mala Reip. frangunt, non ita abundo ingenio, vt te consolet, cum ipse me non possim. Reliquum est igitur, vt tibi me in omni re eum præbeam, præstẽmque, vt ad omnia, quã tui velint, ita sim præsto, vt me non solum omnia debere tua causa, quã possum, sed ea quoque, quã non possum, putent. Illud vel tu me monuisse, vel censuisse puta, vel propter benevolentiam tacere non potuisse: vt quod ego facio, tu quoque in animum inducas, si sit aliqua Respub. in ea te esse oportere, iudicio omnium, reque principem, necessitate cedentem tempori: sin autem nulla sit, hunc tamẽ aptissimum esse etiam ad exulandũ locum. Si enim libertatem sequimur: qui locus hoc dominatu vacat: sin qualemcunque locum, qui est domestica sede iucundior? Sed mihi crede, etiam is qui omnia tenet, fauet ingenis: nobilitatem verò, & dignitatem hominum, quantum ei res, & ipsius causa concedit, amplectitur. Sed plura quã statueram. Redeo ergo ad vnum illud, me tuum fore cum tuis, si modò erunt tui: sin minus, me certè in omnibus rebus satis nostrã coniunctioni, amorique facturum. Vale.

M. CICERO S. D. M. MARCELLO.

ETSI per paucis antè diebus dederam Q. Mutio literas ad te pluribus verbis scriptas, quibus declaraueram, quo te animo censerem esse oportere, & quid tibi faciendũ arbitrarer: tamen cum Theophilus libertus tuus proficisceretur, cuius ego fidem erga te, benevolentiamque perspexeram: sine meis literis cum ad te venire nolui. Iisdem igitur de rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum, vt in ea Rep. quacunque est, quamprimũ velis esse. multa videbis fortasse, quã nolis: nõ plura tamen, quã audis quotidie. Non est porrò tuum, vno sensu solum oculorũ moueri: cum illud idem auribus percipias, quod etiam maius videri solet, minus laborare. At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias, aut faciendum, quod non probes. Primũ TEMPORI cedere, id est necessitati parẽre, semper sapientis est habitum. deinde non habet, vt nunc quidem est, id vitii res. Dicere fortasse quã sentias, non licet: tacere planè licet. omnia enim delata ad vnum sunt. is vtitur consilio ne suorum quidem, sed suo. Quod non multò secus fieret, si is Remp. teneret, quem secuti sumus. An qui in bello, cum omnium nostrũm coniunctum esse periculum suo cerneret, certorum hominum minimè prudentium consilio vteretur: eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quã incertis in rebus fuisset? & qui nec te Consule tuum sapientissimum consilium secutus esset: nec fratre tuo Consulatum ex autoritate tua gerente, vobis authoribus vti voluerit: nunc omnia tenentem, nostras sententias desideraturum censes fuisse? OMNIA sunt misera in bellis ciuilibus: quã maiores nostri ne semel quidem, nostra ætas sæpe iam sensit: sed MISERIVS nihil quã ipsa victoria: quã etiam si ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresque reddit: vt etiam si natura tales non sint, necessitate esse cogantur. MVLTAE enim victori, eorum arbitrio per quos vicit, etiam inuito facienda sunt. An tu nõ videbas mecum simul, quã illa crudelis esset futura victoria: igitur tũc quoque patria careres, ne, quã

nolles, videres? Non, inquires: ego enim ipse tenerem opes & dignitatem meam. At erat tuã virtutis, in minimis res tuas ponere, de Repub. vehementius laborare. Deinde qui finis istius consilii est? nam adhuc & factum tuum probatur, & vt in tali re, etiam fortuna laudatur: factum, quòd & initium belli necessariò secutus sis, & extrema sapienter persequi nolueris: fortuna, quòd honesto otio tenueris & statum & famam dignitatis tuã. Nunc verò nec locus tibi vllus dulcior esse debet patria: nec eam diligere minus debes, quòd deformior est, sed misereri potius: nec eam multis claris viris orbatam, priuare etiam aspectu tuo. Denique, si fuit magni animi non isse supplicem victori: vide ne superbi sit, aspernari eiusdem liberalitatem. & si sapiẽtis est carere patria, duri non desiderare: & si re publica non possis frui, stultum est nolle priuata. Caput illud est, vt si ista vita tibi commodior esse videatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. magna gladiatorum est licentia: sed in externis locis minor etiã ad facinus verecundia. Mihi salus tua tãtã curã est, vt Marcello fratri tuo aut par, aut certè proximus sim. Tuum est consulere temporibus, & incolumitati, & vitã, & fortunis tuis. Vale.

M. T. CICERO M. MARCELLO S.

ETSI nihil noui, quod ad te scriberem, habebam: magisque literas tuas iam expectare incipiebam, vel te potius ipsum: tamen cum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, vt quamprimũ venias: venies enim, mihi crede, expectatus: neque solum nobis, id est tuis, sed prorsus omnibus. venit enim mihi in mentem, subuereri interdum, ne te deleat tarda decessio. Quòd si nullum haberes sensum, nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles videre. sed cum leuiores non multò essent quã audirentur, quã quã viderentur: suspicarer autem multum interesse rei familiaris tuã, te quamprimũ venire, idque in omneis parteis vale re: putaui ea de re te esse admonendum. Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi: reliqua tu pro tua prudentia considerabis: me tamen velim, quod ad tempus te expectemus, certiore facias. Vale.

M. MARCELLVS M. CICERONI S.

PLVRIMVM valuisse apud me tuam semper authoritatem, cum in omni re, tum in hoc maximè negotio potes existimare. cum mihi C. Marcellus frater amantissimus mei non solum consilium daret, sed precibus quoque me obsecraret: non prius mihi persuadere potuit, quã tuis est effectum literis, vt vterer vestro potissimum consilio. Res quemadmodum sit acta, vestrã literã mihi declarant. Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quòd ab optimo fit animo: tamen hoc mihi multò iucundius est & gratius, quòd in summa paucitate amicorum, propinquorum ac necessariorum, qui verè meã saluti fauerent, te cupidissimum mei, singularẽmque mihi benevolentiam præstitisse cognoui. Reliqua sunt eiusmodi, quibus ego, quoniam hæc erant tempora, facilè, & æquo animo carebã. Hoc verò eiusmodi esse statuo, vt sine talium virorum & amicorum benevolentia, neque in aduersa, neque in secunda fortuna quisquam viuere possit. Itaque hoc ego mihi gratulor. Tu verò vt intelligas homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi præstabo. Vale.

SER. SULPITIVS CICERONI S.

ETSI scio non iucundissimum nuntium me vobis allaturum: tamen quoniam casus & natura in bonis dominatur, visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos certiores vt facerem. Ad v. Cal. Iun. cum ab Epidauro Piræum nauis aduectus essem, ibi Marcellum collegam nostrum conueni: eumque diem ibi cõsumpsi, vt cum eo essem. Postero die cum ab eo digressus essem eo consilio, vt ab Athenis in Bœotiam irem, reliquamque iurisdictionem absoluerem: ille, vt iacebat, supra Maleas Italiam versus nauigaturus erat. Postridie eius diei, cum ab Athenis proficisci in animo haberem: circiter horam decimam noctis Posthumius familiaris eius ad me venit, & mihi nuntiavit M. Marcellum collegam nostrum post cœnã tempus à P. Magio Chilone fami-

liari eius, pugione percussum esse, & duo vulnera accepisse: vnū in stomacho, alterum in capite secundum aurem: sperare tamen eum viuere posse: Magium se ipsum interfecisse: postea se à Marcello ad me missum esse qui hæc nuntiaret, & rogaret vt cogere medicos. coëgi, & è vestigio eò sum profectus prima luce. Cùm non longè à Piræo abessem, puer Acidini obuam mihi venit cum codicillis, in quibus erat scriptū, paulò ante lucem, Marcellum diem suum obiisse. Ita vir clarissimus ab homine teterrimo acerbissima morte est affectus: & cui inimici propter dignitatem pepercerant, inuentus est amicus qui ei mortem afferret. Ego tamen ad tabernaculum eius perrexi: inueni duos liberos, & pauculos seruos: reliquos aiebant profugisse metu perterritos, quòd dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. Coactus sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram, meisque lecticariis in urbem eum referre: ibique pro ea copia quæ Athenis erat, funus ei satis amplum faciendū curauim. ab Atheniensibus locum sepulturæ intra urbem vt darent impetrare non potui, quòd religione se impediri dicerent: neque tamen id antea cuiquam concesserant, quod proximum fuit, vt in quo vellemus gymnasium eum sepeliremus, nobis permiserunt. Nos in nobilissimo orbis terrarū gymnasium Academia locum delegimus: ibique eum combussimus: posteaque curauimus, vt iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. ita quæ nostra officia fuerūt, pro collegio & propinquitate, & viuo, & mortuo omnia ei præstitimus. Vale. Data prid. Cal. Iun. Athenis.

M. CICERO P. NIGIDIO FIGULO S. D.

QUAERENTI mihi iandiu quid ad te potissimum scriberem, non modò certa res vlla, sed ne genus quidem literarum vsitatum veniebat in mentem. Vnam enim partem, & consuetudinem earum epistolarum, quibus secūdis rebus vti solebamus, tempus eripuerat: perfeceratque fortuna, nequid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddam & miserum, & his temporibus consentaneū genus literarum. id quoque deficiebat me, in quo debebat esse aut promissio auxilii alicuius, aut consolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat: ipse enim pari fortuna abiectus, aliorum opibus casus meos sustentabam, sapiusque mihi veniebat in mentem queri, quòd ita viuerem, quàm gaudere quòd viuerem. Quanquā enim nulla me ipsum priuatim perculit insignis iniuria: nec mihi quidquam tali tempore in mentē venit optare, quod non vltro mihi Cæsar detulerit: tamen nihilo minus eis conficior curis, vt hoc ipsum quòd maneam in vita, peccare me existimem. careo enim cū familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga: tum omnibus amicis, quorum beneuolentiam nobis conciliarat per me quondam te socio defensa Resp. verforque in eorum naufragiis & bonorū direptionibus: nec audio solum, quòd ipsum esset miserum, sed etiam id ipsum video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari, quibus nos olim adiutoribus illud incēdium extinximus: & in qua vrbe modò gratia, auctoritate, gloria floruimus, in ea nūc iis quidem omnibus caremus. Obtinemus ipsius Cæsarum summam erga nos humanitatem: sed ea plus non potest, quàm vis & mutatio omnium rerum atque temporum. Itaque orbis iis rebus omnibus, quibus & natura me, & voluntas & consuetudo assuefecerat: cū cæteris, vt quidē video, tum ipsi mihi displiceo: natus enim ad agendum semper aliquid dignum viro, nunc non modò agendi rationem nullam habeo, sed ne cogitandi quidem. & qui antea aut obscuris hominibus, aut etiam fontibus opitulari poteram: nunc P. Nigidio vni omnium doctissimo & sanctissimo, & maxima quondam gratia, & mihi certè amicissimo ne benignè quidem polliceri possum. Ergo hoc ereptum est literarum genus. Reliquum est, vt cōsoler & afferam rationes, quibus te à molestiis coner abducere. At ea quidem facultas vel tui, vel alterius consolandi, in te summa est, si vnquam in vlllo fuit. Itaque eam partem quæ ab exquisita quadam ratione & doctrinā proficiscitur, non attingam: tibi totam relinquam. Quid sit forti & sapienti homine dignū, quid grauitas, quid altitudo

animi, quid acta tua vita, quid studia, quid artes, quibus à pueritia floruisti, à te flagitent, tu videbis. Ego, quod intelligere & sentire, quia sum Romæ, & quia curo, attendoque, possum, id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum: in iis autem, in quibus etiam nos sumus, fortasse semper fore. Videor mihi perspicere, primū ipsius animum qui plurimū potest, propensum ad salutem tuā. Non scribo hoc temerè: quo minus familiaris sum, hoc sum ad inuestigandum curiosior. Quo facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit, hoc est, adhuc tardior ad te molestia liberandum. Familiares verò eius, & ii quidem qui illi iucundissimi sunt, mirabiliter de te & loquuntur & sentiunt. Accedit eodē vulgi voluntas, vel potius consensus omnium. etiam illa quæ minimum nunc quidem potest (sed possit necesse est) Resp. quascunque vires habebit, ab iis ipsis, quibus tenetur, de te propediē (mihi crede) impetrabit. Redeo igitur ad id, vt iā tibi etiam pollicear aliquid, quod primò omiserā. nam & amplectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt, multūque mecum sunt: & in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuaabo: & certè omnes vias persequar, quibus putabo ad id quod volumus peruenire posse. In hoc toto genere plura faciā, quàm scribere audeo. Cætera quæ tibi à multis propta esse certo scio, à me sunt paratissima. nihil in re familiari mea est, quod ego malim meum esse quàm tuum. Hac de re & de hoc genere toto, hoc scribo parcius, quòd te (id quod ipse confido) sperare malo esse vsurum tuis. Extremum illud est, vt te horter & obsecrem, animo vt maximo sis: nec ea solum memineris, quæ ab aliis magnis viris accepisti: sed illa etiam quæ ipse ingenio, studioque peperisti. Quæ si colliges, & sperabis omnia optimè: & quæ accident, qualiacunque erunt, sapiēter feres. sed hæc tu melius, vel optimè omnium. Ego quæ pertinere ad te intelligam, studiosissimè omnia, diligentissimèque curabo, tuorumque tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conferuabo.

M. CICERO S. D. CN. PLANCIO.

BINAS à te accepi literas, Corcyræ datas: quarum alteris mihi gratulabare, quòd au disses me meam pristinam dignitatem obtinere: alteris dicebas te velle, quæ egissem, bene ac feliciter euenire. Ego autem, si dignitas est bene de Rep. sentire, & bonis viris probare quod sentias: obtineo dignitatem meam. sin autē in eo dignitas est, quod sentias, aut re efficere si possis, aut denique libera oratione defendere, ne vestigiū quidem vllum est reliquum nobis dignitatis: agiturque præclare, si nosmetipsos regere possimus, vt ea, quæ partim iam adsunt, partim impendēt, moderatè feramus: quod est difficile in eiusmodi bello, cuius exitus ex altera parte cædem ostentat, ex altera seruitutem. Quo in periculo non nihil me cōsolatur, cū recordor hæc me tum vidisse, cū secundas etiam res nostras, non modò aduersas pertimescebam: videbāque, quanto periculo de iure publico disceptaretur armis. Quibus si ii vicissent, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram, intelligebam tamen, & iratorum hominum & cupidorum, & insolentium quàm crudelis esset futura victoria: sin autem victi essent, quantus interitus esset futurus ciuium partim amplissimorum, partim etiā optimorum, qui me hæc prædicentem atque optimè consulentem saluti suæ, malebāt nimium timidum, quàm satis prudentē existimari. Quòd autem mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita velle, certè scio: sed ego tam misero tempore nihil noui consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quàm Rempub. offendissem. quibus enim pro meis immortalibus beneficiis charissima mea salus, & meæ fortunæ esse debebant: cū propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil infidiis vacuum viderem: nouarum me necessitudinum fidelitate cōtra veterum perfidiam muniendum putauim. Sed de nostris rebus satis, vel etiam nimium multa.

De tuis velim vt eo sis animo, quo debes esse, id est, vt nequid tibi præcipuè timēdum putes. si enim status erit aliquis ciuitatis, quicūque erit, te omnium periculorum video

expertem fore: nam alteros tibi iam placatos esse intelligo, alteros nunquã iratos fuisse. De mea autem in te voluntate sic velim iudices, me quibuscunque rebus opus esse intelligam, quanquam videam quis sim hoc tempore, & quid possim: opera tamen, & consilio, studio quidem certè, rei, famæ, salutis tuæ præsto futurum. Tu velim, & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quàm diligentissimè certiosem. Vale.

M. CICERO S. D. CN. PLANCIO.

ACCEPTI perbreueis tuas literas: quibus id quod scire cupiebam, cognoscere non potui: cognoui autem id quod mihi dubium non fuit. nam quàm fortiter ferres communes miseras, non intellexi: quàm me amares, facile perspexi: sed hoc sciebam. illud si scissem, ad id meas literas accommodassem. Sed tamen etsi antea scripsi, quæ existimaui scribi oportere: tamen hoc tempore breuiter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse. in magno omnes, sed tamè in communi sumus. quare non debes aut propriam fortunam & præcipuam postulare, aut communem recusare. Quapropter eo animo simus inter nos, quo semper fuimus. quod de te sperare, de me præstare possum. Vale.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD METELLVM,
ET ALIOS LIBER V.

Q. METELLVS Q. F. CELER PROCOS. S. D.
M. T. CICERONI.



SI VALES, bene est. Existimaram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, neque me absentem ludibrio læsum iri, nec Metellum fratrem ob dictum, capite ac fortunis per te oppugnatum iri. quem si parum pudor ipsius defendebat, vel familiæ debebat nostræ dignitas, vel meum studium erga vos, remque pub. satis subleuare. Nunc video illum circumuentum, me desertum, à quibus minimè cõueniebat. Itaque in luctu & squalore sum, qui prouinciæ, qui exercitui præsum, qui bellum gero. quæ quoniam nec ratione, nec maiorum nostrorum clementia administratis, non erit mirandum si vos pœnitebit. Te tam mobili in me, meosque esse animo, non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquã iniuria à Rep. abducat. Vale.

M. T. CICERO Q. METELLO Q. F. CELERI PROCOS. S. D.

SI TV, exercitusque valetis, bene est. Scribis ad me te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nunquam te à me ludibrio læsum iri: quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatum, me in Senatu, cum disputarè, permultos esse qui Remp. à me conseruatam dolerent, dixisse, à te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse, vt ea quæ statuisses tibi in Senatu de mea laude esse dicenda, reticeres. quod cum dicerem, illud adiunxi: mihi tecum ita dispertitum officium fuisse in Reip. salute retinenda, vt ego urbem à domesticis insidiis, & ab intestino scelere: tu Italiam & ab armatis hostibus, & ab occulta coniuratione defenderes: atque hanc nostram tanti, & tam præclari muneris societatem à tuis propinquis labefactatam: qui cum tu à me rebus amplissimis atque honorificèssimis ornatus esses, timuissent nequa mihi pars abs te voluntatis mutux tribueretur. Hoc in sermone cum à me exponeretur quæ mea expectatio fuisset orationis tuæ, quæ rōque in errore versatus essem: visa est oratio non iniucunda, & mediocris quidam est risus consecutus, non in te, sed magis in errorem meum, & quod me abs te cupisse laudari, apertè atque ingenuè confitebar. Iam hoc non potest in te non honorificè esse dictum, me in clarissimis meis atque amplissimis rebus tamè aliquod testimonium tuæ vocis habere voluisse. Quod autem ita scribis, Pro mutuo inter nos animo: quid tu

existimes esse in amicitia mutuam, nescio: equidem hoc arbitror, cum par voluntas accipitur & redditur. Ego si hoc dicam, me tua causa prætermisisse prouinciam, tibi ipse leuior videar esse: meæ enim rationes ita tulerunt: atque eius mei consilii maiore in dies singulos fructum, voluptatèque capio. Illud dico, me, vt primùm in concione prouinciam deposuerim, statim quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpisse. Nihil dico de fortitione vestra: tantum te suspicari volo, nihil in ea re per collegam meum me insciente esse factum. Recordare cætera, quàm citò Senatum illo die facta fortitione cœgerim, quàm multa de te verba fecerim, cum tu ipse mihi dixisti, orationem meam non solum in te honorificam, sed etiam in collegas tuos contumeliosam fuisse. Iam illud s. c. quod eo die factum est, ea percriptione est, vt, dum id extabit, officium meum in te obscurum esse non possit. Postea verò quàm profectus es, velim recordere quæ ego de te in Senatu egerim, quæ in cõcionibus dixerim, quas ad te literas miserim. quæ cum omnia collegeris, tu ipse velim iudices, satisne videatur his omnibus rebus tuus aduentus, cum proximè Romam venisti, mutuo respondisse. Quod scribis de reconciliata nostra gratia: non intelligo cur reconciliatã esse dicas, quæ nunquam immutata est. Quod scribis, non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum à me oppugnari: primùm hoc velim existimes, animum mihi istum tuum vehementer probari, & fraternam plenam humanitatis ac pietatis voluntatem. Deinde si qua ego in re fratri tuo Reip. causa restiterim, peto vt mihi ignoscas: tã enim sum amicus Reip. quàm qui maximè. Si verò meam salutem contra illius impetum in me crudelissimum defenderim: satis habeas, nihil me etiamnum tecum de tui fratris iniuria conqueri. Quem ego cum comperissem omnem sui tribunatus conatũ in meam perniciem parare atque meditari: egi cum Claudia vxore tua, & cum vestra sorore Mutia: cuius erga me studium pro Cn. Pompeii necessitudine multis in rebus perspexeram, vt eum ab illa iniuria detererent. Atque ille, quod te audisse credo, prid. Cal. Ian. quæ iniuria nemo vnquã in aliquo magistratu improbissimus ciuis affectus est, ea me Consul affecit, cum Remp. conseruassem: atque abeuntem magistratu, cõcionis habendæ potestate priuauit. cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. Nã cum ille mihi nihil, nisi vt iurarem, permetteret, magna voce iuravi verissimum, pulcherrimũque iusiurandum: quod populus item magna voce me verè iurasse iurauit. Hac accepta tam insigni iniuria, tamè illo ipso die misi ad Metellum communeis amicos, qui agerent cum eo, vt ab illa mente desisteret. quibus ille respondit, sibi non esse integrum. etenim paulò antè in concione dixerat, ei qui in alios animaduertisset indicta causa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. Hominem grauem, & ciuem egregium, qui, qua pœna Senatus, consensu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere, magistratus ac Senatum trucidare, bellum maximum conflare voluissent, eadem dignum iudicaret eum, qui curiam cæde, urbem incendiis, Italiam bello liberasset. Itaque ego Metello fratri tuo præsentem restiti. nam in Senatu Calend. Ian. sic cum eo de Rep. disputavi, vt sentiret sibi cum viro forti & constanti esse pugnandũ. Ad III. Non. Ian. cum agere cœpisset, tertio quoque verbo orationis suæ me appellabat, mihi minabatur: neque illi quicquam deliberatius fuit, quàm me, quacunque ratione posset, non iudicio, neque disceptatione, sed vi atque impressione euertere. Huius ego temeritati, si virtute atque animo non restituissem: quis esset qui me in Consulatu non casu potius existimaret, quàm consilio fortem fuisse? Hæc si Metellum cogitare de me nescisti: debes existimare, te maximis de rebus à fratre esse celatũ. sin aliquid impertiuit tibi sui consilii: lenis à te & facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem: etsi intelligis non me dicto Metelli, vt scribis, sed consilio eius, animoque in me inimicissimo esse commotum. Cognosce nunc humanitatem meam: si humanitas appellanda est in acerbissima iniuria remissio animi ac dissolutio. Nulla est à me vnquam sententia dicta in fratrem tuũ. quotiescunque aliquid est actum, sedens iis as-

fenſi, qui mihi leniſſimè ſentire viſi ſunt. Addam illud etiam, quod iam ego curare non debui, ſed tamen fieri non moleſtè tuli: atque etiam, vt ita fieret, pro mea parte adiuui, vt ſ. c. meus inimicus, quia tuus frater erat, ſubleuaretur. Quare non ego oppugnaui fratrem tuum, ſed fratri tuo repugnaui: nec in te, vt ſcribis, animo fui mobili, ſed ita ſtabili, vt in mea erga te voluntate, etiam deſertus ab officiis tuis permanerem. Atque hoc ipſo tempore tibi penè minitanti nobis per literas, hoc reſcribo, atque reſpondeo: Ego dolori tuo nò ſolùm ignoſco, ſed ſummam etiam laudem tribuo: meus enim me ſenſus, quanta vis fraterni ſit amoris, admonet. A te peto, vt tu quoque æquum te iudicem dolori meo præbeas, ſi acerbè, ſi crudeliter, ſi ſine cauſa ſum à tuis oppugnatus, vt ſtatuas mihi non modò non cedendum, ſed etiam tuo atque exercitus tui auxilio in eiufmodi cauſa vtendum fuiſſe. Ego te mihi ſemper amicum eſſe volui: me vt tibi amiſſimum eſſe intelligeres, laboraui. maneo in voluntate, & quoad voles tu, permanebo: citiuſque amore tui fratrem tuum odiſſe deſinam, quàm illius odio quicquam de noſtra beneuolentia detrahatur. Vale.

Q. METELLVS NEPOS S. D. M. T. CICERONI.

HOMINIS importuniſſimi contumeliæ, quibus crebris concionibus me onerat, tuis erga me officiis leniuntur: & vt ſunt leues huiufmodi homines, à me deſpiciuntur: libenterque commutata perſona, te mihi fratris loco eſſe duco. De illo ne meminiſſe quidem volo: tametſi bis eum inuitu ſeruauit. De me, meiſque rebus, ne vobis multitudi-¹⁰ ne literarum moleſtior eſſem, ad Lollium perſcripſi: de rationibus etiam prouinciarum quid vellem fieri, vt is vos doceret, & commonefaceret. Si poteris, velim priſtinam tuam erga me voluntatem conſerues. Vale.

M. T. CICERO S. D. Q. METELLO NEPOTI COS.

LITERAE Q. fratris, & T. Pomponii neceſſarii mei tantum mihi ſpei dederant, vt in te non minus auxilii, quàm in tuo collega mihi conſtitutum fuerit. Itaque ad te literas ſtatim miſi: per quas, vt fortuna poſtulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petii. Poſtea mihi non tam meorum literarum, quàm ſermones eorum qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum ſignificabant. quæ res fecit vt tibi literis obſtrepere non auderem. Nunc mihi Q. frater meus mitiſſimam tuam orationem, quam in Senatu habuiſſes, perſcripſit, qua inductus, ad te ſcribere ſum coactus: & ab¹¹ te, quantum tua fert voluntas, peto, quæſoque vt tuos mecum ſerues potius, quàm propter arrogantiam & crudelitatem tuorum me oppugnes. Tu tuas inimicitias vt Reip. donares, te viciſti: alienas vt contra Rempub. confirmes adducis? Quòd ſi mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua poteſtate tibi confirmo. ſi mihi neque magiſtratum, neque Senatum, neque populū auxiliari propter eam vim, quæ me cum Repub. vicit, licuerit: vide, ne cum velis reuocare tempus omnium ſeruandorum, cum qui ſeruetur, non erit, non poſſis. Vale.

M. T. CICERO S. D. C. ANTONIO M. F. IMP.

ET SI ſtatueram nullas ad te literas mittere, niſi commendatitiâs, (non quòd eas intelligerem ſatis apud te valere, ſed ne iis qui me rogarent, aliquid de noſtra cõiunctione imminutum eſſe oſtenderem) tamè cum T. Pomponius, homo omnium meorum¹² in te ſtudioſum & officioſum maximè conſcius, tui cupidus, noſtri amantiſſimus, ad te proficiſceretur, aliquid mihi ſcribendum putaui, præſertim cum aliter ipſi Pomponio ſatiſſacere non poſſem. Ego ſi abs te ſumma officia deſiderem, mirum nemini videri debeat: omnia enim à me in te proſecta ſunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent: pro iis rebus nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. Contra etiam eſſe aliquid abs te proſectum, ex multis audiui: nam comperiſſe me non audeo dicere, ne fortè id ipſum verbum ponam, quod abs te aiunt falſò in me ſolere conferri, ſed ea quæ ad me delata ſunt, malo te ex Pomponio, cui non minus moleſta fuerunt, quàm ex meis literis cognoſcere. Meus

¹³ in te animus quàm ſingulari officio fuerit, & Senatus, & populus Ro. teſtis eſt. tu quàm gratus erga me fueris, ipſe exiſtimare potes. quantum mihi debeas, cæteri exiſtiment. Ego quæ tua cauſa antea feci, voluntate ſum adductus, poſtea que conſtantia. Sed reliqua, mihi crede, multò maius meum ſtadium, maiorè que grauitatem & laborem deſiderant: quæ ego ſi non profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus ſuſtinebo: ſi ingrata eſſe ſentiam, non committam, vt tibi ipſe inſanire videar. Ea quæ ſint, & cuiuſmodi, poteris ex Pomponio cognoſcere. atque ipſum tibi Pomponium ita commendo, vt quanquam ipſius cauſa conſido te facturum eſſe omnia: tamen abs te hoc petam, vt ſiquid reſidet in te amoris erga me, id omne in Pomponii negotio oſtendas. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

M. CICERO S. D. P. SESTIO L. F. PROCOS.

¹⁴ CVM ad me Decius libertus tuus veniſſet, egiſſetque mecum vt operam darem, ne tibi hoc tempore ſuccederetur: quanquam illum hominem frugi, & tibi amicum exiſtimabam: tamen quòd memoria tenebã, cuiuſmodi ad me literas antea miſiſſes, non ſatis credidi homini prudenti tam valde eſſe mutatam voluntatem tuam. ſed poſtea-
quam & Cornelia tua Terentiam conuenit, & ego cum Q. Cornelio locutus ſum: adhibui diligentiam, quotieſcunque Senatus fuit, vt ad eſſem: plurimùm que in eo negotii habui, vt Q. Fuſium Trib. pleb. & cæteros, ad quos tu ſcripſeras, cogere mihi potius credere, quàm tuis literis. Omnino res tota in menſem Ian. reiecta erat, ſed facile obtinebatur. Ego tua gratulatione commotus, quòd ad me pridem ſcripſeras, velle te bene euenire, quòd de Craſſo domum emiſſem: emi eam ipſam domum x x v, ali-
¹⁵ quantò poſt tuam gratulationem. Itaque nunc me ſcito tantum habere æris alieni, vt cupiam coniurare, ſiquis me recipiat. ſed partim odio inducti me excludunt, & aperte vindicem coniurationis oderunt: partim non credunt, & à me inſidias metuunt, nec putant ei numos de eſſe poſſe, qui ex obſidione fœneratores exemerit. omnino ſemiſibus magna copia eſt. Ego autem meis rebus geſtis hoc ſum aſſecutus, vt bonum nomen exiſtimer. Domum tuam, atque ædificationem omnem perſpexi, & vehementer probaui. Antonium, eſſi eius in me officia omnes deſiderat, tamen in Senatu grauiſſimè ac diligentiſſimè deſendi, Senatùm que vehementer oratione mea atque auctoritate commouit. Tu ad me velim literas crebrius mittas. Vale.

M. TVLLIVS M. F. CICERO S. D. CN. POMPEIO
CN. F. MAGNO, IMP.

SI tu, exercitūſque valetis, bene eſt. Ex literis tuis, quas publicè miſiſti, cepi vnà cum¹⁶ omnibus incredibilem voluptatem: tantam enim ſpem otii oſtendiſti, quantam ego ſemper omnibus te vno fretus pollicebar. Sed hoc ſcito, tuos veteres hoſteis, nouos amicos vehementer literis percuſſos, atque ex magna ſpe deturbatos iacere. Ad me autem literas, quas miſiſti, quanquam exiguam ſignificationem tuæ erga me voluntatis habebant, tamè mihi ſcito iucundas fuiſſe. nulla enim re tam lætari ſoleo, quàm meorum officioſum conſcientia. quibus ſiquando non mutuò reſpondetur, apud me plus officii reſidere facillimè patior. Illud non dubito, quin ſi te mea ſumma erga te ſtudia parū mihi adiunxerunt, Reipub. nos inter nos conciliatura, coniuncturæ que ſit. Ac ne ignores quid ego in tuis literis deſiderarim: ſcribam aperte, ſicut & mea natura, & noſtra amicitia poſtulat. Res eas geſſi, quarum aliquam in tuis literis & noſtræ neceſſitudinis, & Reipub. cauſa gratulationem expectaui: quam ego abs te prætermiſſam eſſe¹⁷ arbitror, quòd verebare ne cuius animum offenderes. ſed ſcito ea quæ nos pro ſalute patriæ geſſimus, orbis terræ iudicio ac teſtimonio comprobari. quæ, cum veneris, tanto conſilio, tantæ que animi magnitudine à me geſta eſſe cognosces, vt tibi multò maiori, quàm Africanus fuit, me non multò minorem, quàm Lælius, facile & in Rep. & in amicitia adiunctum eſſe patiare. Vale.

D. i.

M. T. CICERO M. LICINIO P. F. CRASSO S. D.

QUANTVM meum studium extiterit dignitatis tuæ vel tuendæ, vel etiam augēdæ, non dubito quin ad te omnes tui perscripserint. non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset præteriri. Nam & cum Consulibus, & cum multis consularibus tanta contentione decertavi, quanta nunquam antea vlla in causa: susceptique mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis: veterique nostræ necessitudini iandiu debitum, sed multa varietate temporū interruptum officium cumulatè reddidi. Neque mehercule vnquam mihi tui aut colendi, aut ornandi voluntas defuit: sed quædam pestes hominum laude aliena dolentium, & te nonnunquam à me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. Sed extitit tempus optatum mihi magis, quàm speratum, vt florentissimis tuis rebus, mea perspicere posset & memoria nostræ voluntatis & amicitia fides. sum enim consecutus, non modò vt domus tua tota, sed vt cuncta ciuitas me tibi amicissimum esse cognosceret. Itaque & præstantissima omnium foeminarū vxor tua, & eximia pietate, virtute, gratia tui Crassus meis consiliis, monitis, studiis, actionibusque nituntur: & Senatus, populūque Ro. intelligit, tibi absenti nihil esse tam promptum, aut tam paratū, quàm in omnibus rebus quæ ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam. Quæ sint acta, quæque agantur, domesticorum tibi literis declarari puto. De me sic existimes, ac tibi persuadeas vehementer velim, non me repentina aliqua voluntate, aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectēdam incidisse: sed vt primū forum attingerem, spectasse semper vt tibi possem quammaximè esse coniunctus. Quo quidem ex tempore memoria teneo, neque meam tibi obseruantiam, neque mihi tuam summam beneuolentiam ac liberalitatem defuisse. si qua interciderunt non tam re, quàm suspitione violata, ea cum fuerint & falsa & inania, sint euulsa ex omni memoria, vitæque nostra. Is enim tu vir es, & eum me esse cupio, vt quoniam in eadem Reip. tempora incidimus, coniunctionem, amicitiamque nostram vtrique nostrū laudi sperem fore. Quamobrem tu quantum tuo iudicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse, & vt spero, statues ex nostra dignitate. Ego verò tibi profiteor atque polliceor eximium & singulare meum studium in omni genere officii, quod ad honestatem & gloriam tuam spectet. in quo etiam si multi mecum contēdent, tamen cum reliquis omnibus, tum Crassis tuis iudicibus, omnes facilè superabo: quos quidem ego ambos vnice diligo, sed in Marco beneuolentia impari. hoc magis sum Publico deditus, quòd me quanquam à pueritia sua semper, tamen hoc tempore maximè, sicut alterum parentem & obseruat & diligit. Has literas velim existimes foederis habituras esse vim, non epistolæ: meque ea quæ tibi promitto ac recipio, sanctissimè esse obseruaturum, diligentissimèque facturum. Quæ à me suscepta defensio est te absente dignitatis tuæ, in ea iam ego non solū amicitia nostræ, sed etiam constantia meæ causa permanebo. Quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum, hoc ad te scribere: me, siquid ipse intelligerem aut ad voluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea sponte id esse facturum: sin quidpiam aut à te essem admonitus, aut à tuis, effecturum vt intelligeres nihil neque te scripisse, neque quēquam tuorum ad me frustra detulisse. Quamobrem velim ita & ipse ad me scribas de omnibus minimis, maximis, mediocribusque rebus, vt ad hominem amicissimum: & tuis præcipias, vt opera, consilio, auctoritate, gratia mea sic vtantur in omnibus publicis, priuatis, forensibus, domesticis tuis, amicorum, hospitem, clientum tuorum negotiis, vt quoad eius fieri possit, præsentia tuæ desiderium meo labore minuatur. Vale.

P. VATINIUS IMP. M. CICERONI SVO S. D.

SI vales, bene est: ego valeo. Si tuam consuetudinem in patrociniis tuendis seruas, P. Vatinius cliens ad te venit, qui pro se causam dicere vult. Nō puto repudiabis in honore, quē in periculo recepisti. Ego autē quem potius adoptē, aut inuocem, quàm illū,

quo defendente vincere didici: an verear, ne qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit pro mea salute, is pro honore meo, pusillorum ac maleuolorum obtrectationes & inuidias nō prosternat atque obterat? Quare si me, sicut soles, amas, suscipe me totum: atque hoc quicquid est oneris ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta. scis meam fortunam nescio quomodo facilè obtrectatores inuenire, non meo quidem mehercule merito: sed quanti id refert, si tamē facto nescio quo accidit? Siquis fortè fuerit, qui nostræ dignitati obesse velit: peto à te, vt tuam consuetudinem & liberalitatem in me absente defendēdo mihi præstes. Literas ad Senatū nostris de rebus gestis quo exemplo miseram, infra tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus seruus Anagnostes fugitiuus cū Vardais esse: de quo tu mihi nihil mandasti. ego tamen, terra, marique vt conquireretur, præmandavi: & profectò tibi illum reperiam, nisi in Dalmatiam aufugerit, & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. ad III. Id. Quint. ex castris, Narona.

P. VATINIUS IMP. M. CICERONI SVO S. D.

SI vales, bene est: ego quidem valeo. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico, & eo minus, quòd me frigus Dalmaticum, quod illinc eiecit, etiam hīc refrigerauit. Sed tamen non desistam quin illum aliquando eruam. sed tamen omnia mihi dura imperas. De Catilio nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligentissimæ. Apage te cum nostro Sext. Seruilio: nā mehercule ego illū quoque amo. sed huiuscemodi vos clientes, huiusmodi causas recipitis? Hominē vnum omnium crudelissimū, qui tot ingenuos, matrefamilias, ciueis Ro. occidit, arripuit, disperdidit, regiones vastauit? Simius, nō semis homo, contra me arma tulit, & eum bello cepi. sed tamē mi Cicero quid facere possum? Omnia mehercule cupio, quæ tu mihi imperas. meā animaduersionem & supplicium, quo vsurus eram in eum quem cepissem, remitto tibi & condono. Quid illis respondere possum, qui sua bona direpta, nauis expugnatas, fratres, liberos, parenteis occisos, actione exoptulant? Si mehercule Appii os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est? faciam omnia sedulò, quæ te sciam velle. Defenditur à Q. Volusio tuo discipulo. si fortè ea res poterit aduersarios fugare, in eo maxima spes est. Nos, siquid erit istic opus, defendes. Cæsar adhuc mihi iniuriam facit. De meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi verò non iustissimi triumpho in Dalmatia res gesserim. nam si hoc expectandum sit, dum totum bellum cōficiam: viginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua: quæ ipsi sibi ascuerunt, amplius sexaginta. Hæc nisi omnia expugno, si mihi supplicationes non decernuntur, longè alia conditione ego sum, ac ceteri imperatores. Ego post supplicationes mihi decretas, in Dalmatiam profectus sum: sex oppida vi oppugnādo cepi: vnum hoc quod erat maximum, quater à me iam captum: quatuor enim turreis, & quatuor muros cepi, & arcem eorū totam: ex qua me niues, frigora, imbres detruferunt: indignèque mi Cicero oppidum captū, & bellum iam confectum relinquere sum coactus. Quare te rogo, si opus erit, ad Cæsarem meam causam agas, meque tibi in omnes partes defendēdum putes: hoc existimans, neminem te tui amatiorem habere. Vale. Non. Decemb. Narona.

M. CICERO P. VATINIO IMP. S.

GRATA tibi esse officia mea non miror: cognoui enim te gratissimū omnium: idque nunquam destiti prædicare. nec enim tu mihi gratiam modò habuisti, verū etiam cumulatissimè retulisti. quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me studio erga te, & eadē voluntate cognosces. Quòd mihi foeminā primariā Pompeiam vxorē tuam commendas: cum Sura nostro statim tuis literis lectis locutus sum, vt ei meis verbis diceret, vt quicquid opus esset, mihi denūtiaret: me omnia quæ ea vellet, summo studio, curaque facturum: itaque faciam: eamque si opus esse videbitur, ipse conueniā. Tu tamen ei velim scribas, vt nullam rem neque tam magnam, neque tam paruam putet,

quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur. Omnia quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi & honesta videbuntur. De Dionysio, si me amas, cōfice. quan-
cunque ei fidem dederis, præstabo. Si verò improbus fuerit, ut est, duces eū captiuum
in triumpho. Dalmatis dii malè faciant, qui tibi molesti sunt, sed ut scribis, breui ca-
pientur, & illustrabunt res tuas gestas. semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

M. T. CICERO S. D. L. LVCEIO Q. F.

CORAM me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam pe-
nè subrusticus, quæ nunc expromam absens audacius. epistola enim nō erubescit. ar-
deo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum
scriptis illustretur, & celebretur tuis. quod etsi mihi sæpe ostendis te esse facturum, ta-
men ignoscas velim huic festinationi meæ. Genus enim scriptorū tuorū etsi erat sem-
per à me vehemèter expectatum, tamen vicit opinionem meam: meque ita vel cepit,
vel incendit, ut cuperem quàm celerrimè res nostras monumentis commendari tuis.
Non enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis
rapit: sed etiam illa cupiditas, ut vel autoritate testimonii tui, vel indicio beneuolen-
tiæ, vel suauitate ingenii viui perfruamur. Neque tamen hæc cum scribebam, eram
nescius quantis oneribus premerere susceptarum rerum, & iam institutarum. sed quia
videbam Italici belli, & ciuilibus historiam iam penè à te esse perfectam, (dixeras autem
mihi, te reliquas res ordiri) deesse mihi nolui quin te admonerem, ut cogitares, cōiun-
ctene malles cum cæteris rebus nostra contexere: an, ut multi Græci fecerūt, Callisthe-
nes Troicum bellum, Tymæus Pyrrhi, Polybius Numatinum (qui omneis à perpetuis
suis historiis ea quæ dixi bella separauerunt) tu quoque item ciuilem cōiurationem ab
hostilibus, externisque bellis seiungeres. Equidem ad nostram laudem non multū vi-
deo interesse: sed ad properationem meam quiddā interest, non te expectare, dum ad
locum venias, ac statim causam illam totam & tempus arripere. Et simul si vno in ar-
gumēto, vnāque in persona mens tua tota versabitur: cerno iam animo, quāto omnia
vberiora atque ornatiores futura sint. Neque tamen ignoro quàm impudenter faciam,
qui primū tibi tantum oneris imponam (potest enim mihi denegare occupatio tua)
deinde etiam, ut ornes me, postulem. Quid si illa tibi non tantopere videntur ornāda?
Sed tamen, qui semel verecūdiæ sineis transierit, eum bene & nauiter oportet esse im-
pudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea vehementius etiam,
quàm fortasse sentis, & in eo leges historiæ negligas: gratiāque illam, de qua suauissi-
mè quodam in proœmio scripsisti, à qua te affici non magis potuisse demonstras, quàm
Herculem Xenophonteium illum à voluptate: ea si me tibi vehementius commēda-
bit, ne aspernere, amorique nostro plusculum etiam, quàm concedit veritas, largiare.
Quod si te adducemus, ut hoc suscipias: erit (ut mihi persuadeo) materies digna facul-
tate & copia tua. à principio enim coniurationis vsque ad reditum nostrū videtur mi-
hi modicum quoddam corpus confici posse. In quo & illa poteris vti ciuiliū cōmu-
tationum scientia, vel in explicandis causis rerum nouarū, vel in remediis incommo-
dorum, cum & reprehendes ea quæ vituperanda duces: & quæ placebunt, exponendis
rationibus comprobabis: & si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorū in nos
perfidiam, insidias, prodicionem notabis. Multam etiam casus nostri tibi varietatem in
scribendo suppeditabunt, plenam cuiusdam voluptatis, quæ vehementer animos ho-
minum in legendo scripto retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationē le-
ctoris, quàm temporum varietates, fortunæque vicissitudines: quæ etsi nobis optabiles
in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundæ: HABET enim præteriti
doloris secreta recordatio delectationem: cæteris verò nulla perfunctis propria mole-
stia, casus alienos sine vlllo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda.
Quem enim nostrū ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum qua-
dam miseratione delectat: qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, posteaquam

ei percontanti dictum est, clypeum esse saluum: ut etiam in vulneris dolore, æquo ani-
mo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo nō erectum Themistoclis fuga,
reditūque retinetur: etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enume-
ratione factorum. At viri sæpe excellentis ancipites, variæque casus habent admiratio-
nem, expectationem, lætitiā, molestiam, spem, timorem: si verò exitu notabili cōclu-
duntur, expletur animus iucundissimæ lectionis voluptate. Quod mihi acciderit opta-
tius, si in hac sententia fueris, ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam re-
rum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum, euentorū
que nostrorum: habet enim verius actus, multasque actiones & consiliorū & tem-
porum. Ac non vereor ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiā videar, cum
hoc demonstrarem, me à te potissimum ornari, celebrarique velle. neque enim tu is es,
qui, quid sis, nescias: & qui non eos magis qui te non admirerentur, inuidos: quàm eos, qui
laudent, assentatores arbitrere. Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternæ
gloriæ per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando pro-
priam ingenii gloriam consequatur. Neque enim Alexander ille gratiæ causa ab Apel-
le potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat, sed quod illorum artem cum ipsis, tum
etiam sibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices, corporis simulacra ignotis nota fa-
ciebant: quæ vel si nulla sint, nihilo sunt tamè obscuriores clari viri. Nec minus enim
est Spartiatus Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem
suam passus est esse, quàm qui in eo genere laborarunt. vnus enim Xenophontis libel-
lus in eo rege laudando facile omneis imagines omnium, statuasque superauit. Atque
hoc præstantius mihi fuerit & ad lætitiā animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua
scripta peruenero, quàm si in cæterorum, quod non ingenium mihi solum suppedita-
tum fuerit tuum, sicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam
authoritas clarissimi & spectatissimi viri, & in Reip. maximis, grauissimisque causis co-
gniti, atque in primis probati: ut mihi non solum præconium, quod cum in Sigæum
venisset, Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam graue testimo-
nium impertitū clari hominis, magnique videatur. Placet enim Hector ille mihi Na-
uianus, qui nō tantum laudari se lætatur, sed addit etiam à laudato viro. quod si à te nō
impetro, hoc est, si qua te res impedierit (neque enim fas esse arbitror, quicquam me ro-
gantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt:
scribam ipse de me, multorum tamen exemplo, & clarorum virorum. Sed quod te nō
fugit, hæc sunt in hoc genere vitia: & verecundius ipsi de sese scribant, necesse est, si-
quid est laudandum: & prætereant, siquid fortè reprehendendum est. Accedit etiam,
ut minor sit fides, minor autoritas: multi denique reprehendant & dicant, verecun-
diores esse præcones ludorum gymnicorum, qui cum cæteris coronas imposuerunt vi-
ctoribus, eorūque nomina magna voce pronuntiarunt, cum ipsi antè ludorum mis-
sionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne sua voce ipsi se victores esse
prædicent. Hæc nos vitare cupimus, & si recipis causam nostram, vitabimus: idque ut
facias rogamus. Ac ne fortè mirere, cur cum mihi sæpe ostenderis te accuratissimè no-
strorum temporum consilia atque euentus literis mandaturum, à te id nunc tantope-
re, & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festi-
nationis, quod alacres animo sumus: ut & cæteri viuentibus nobis ex libris tuis nos co-
gnoscant, & nosmetipsi viui gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis,
si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis causam, conficiam cō-
mentarios rerū omnium. sin autem differs me in tempus aliud, coram tecū loquar: tu
interea non cessabis, & ea quæ habes instituta, perpolies, nosque diliges. Vale.

M. T. CICERO S. D. L. LVCEIO Q. F.

QUANQUAM ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissima est, declarat enim
summam beneuolentiā coniunctam pari prudentia: tamè illum fructum ex iis literis
D.iii.

Vel maximum cepi, quod te præclare res humanas contemnentē, & optimè cōtra fortunam paratum, armatumque cognoui. Quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximā, NON aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene, aut malè viuendi suspensas habere rationes. Quæ cogitatio cum mihi non omnino excidisset (etenim penitus infederat) vi tamen tempestatum, & concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque cōuulsa: cui te opitulari & video, & id fecisse etiam proximis literis, multumque profecisse sentio. Itaque hoc sapius dicendum, tibi que non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis literis gratius. Ad consolandum autem cum illa valent, quæ eleganter, copiosèque collegisti: tum nihil plus quam quod firmitudinē, grauitatēque animi tui perspexi: quam non imitari turpissimum existimo. Itaque hoc etiā fortio rem me puto, quam te ipsum præceptorem fortitudinis, quod tu mihi videre spem nonnullam habere, hæc aliquando futura meliora. Casus enim gladiatorii, similitudinēque eā, tum rationes in ea disputatione à te collectæ, vetabant me Reip. penitus diffidere. Itaque alterum minus mirum, fortio rem te esse, cum aliquid speres: alterum mirum, spe vlla teneri. Quid est enim non ita affectum, vt id non deletū extinctūque omne esse fateare? Circumspice omnia membra Reipub. quæ notissima sunt tibi: nullum reperies profectò, quod non fractum, debilitatūque sit. quæ persequerer, si aut melius ea viderem, quam tu vides, aut cōmemorare possem sine dolore: quanquā tuis monitis, præceptis que omnis est abiiciendus dolor. Ergo & domestica feremus, vt censes: & publica paulò etiam fortius fortasse quam tu ipse, qui præcipis. te enim spes aliqua consolatur, vt scribis: nos autē erimus etiam in omni desperatione fortes, vt tu tamen idem & hortaris & præcipis: das enim mihi iucundas recordationes conscientia nostræ, rerūque earum, quas te in primis authore gessimus. præstitimus enim patriæ non minus certè quam debuimus: plus profectò quam est, ab animo cuiusquā, aut consilio hominis postularum. Ignosces mihi de me ipso aliquid prædicanti: quarum enim tu rerum cogitatione nos leuare ægritudine voluisti, earum etiā commemoratione lenimur. Itaque vt mones, quantū potero, me ab omnibus molestiis & angoribus abducam: transferamque animum ad ea, quibus secundæ res ornantur, aduersæ adiuuantur: tecumque & ero tantum, quantum patietur vtriusque ætas & valetudo: & si esse vnà minus poterimus, quam volumus, animorum tamen coniunctione iisdem studiis ita fruemur, vt nunquam non vnà esse videamur. Vale.

L. LVCEIVS Q. F. S. D. M. TVLLIO CICERONI M. F.

SI vales, bene est: ego valeo sicut soleo, paululo tamē etiam deterius, quam soleo. Te requisivi sapius vt viderem. Romæ quia postea non fuisti, quam à me discesseras, miratus sum: quod item nunc miror. Non habeo certum quæ te res hinc maximè retrahat. si solitudine delectare, cum scribas, & aliquid agas eorum quorum consuesti, gaudeo: neque reprehendo tuum consiliū: nam nihil isto potest esse iucundius, non modò miseris his tēporibus & luctuosis, sed etiam tranquillis & optatis: præsertim vel animo defatigato tuo, qui nūc requiē quærit ex magnis occupationibus: vel erudito, qui semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, te ipsum laudibus illustret. sin autē, sicut hīc dum eras, & lachrymis & tristitiæ te tradidisti: doleo, quia doles, & angere: nec possum te, si concedis quod sentimus, vt liberius dicamus, non accusare. quid enim? tu solus aperta non videbis, qui propter acumen occultissima perspicias: tu non intelliges te querelis quotidianis nihil proficere? nō intelliges duplicari sollicitudines, quas eleuare tua te prudentia postulat? Quod si non possumus aliquid proficere suadendo, gratia cōtemdimus, & rogando, siquid nostra causa vis, vt istis te molestiis laxes, & ad cōiūctum nostrum redeas, & ad consuetudinem, vel nostram cōmuniem, vel tuam solius, ac propriā. Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio. cupio deterrere, ne permaneas in incœpto: cum duæ res istæ contrariæ me conturbent. ex quibus, aut in altera mihi velim, si potes, obtemperes, aut in altera non offendas. Vale.

M. CICERO L. LVCEIO Q. F. S.

OMNIS amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his literis, quas à te proximè accepi, non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus & optatus: dicerem iucundus, nisi id verbum in omne tēpus perdidissem, neque ob eam vnam causam, quam tu suspicaris, & in qua me lenissimis & amātissimis verbis vtēs, re grauitè accusas: sed quod illius tanti vulneris, quæ remedia esse debebant, ea nulla sunt. Quid enim? ad amicōsne confugiam? quā multi sunt: habuimus enim ferè communeis: quorum alii occiderunt, alii nescio quo pacto obduruerunt. Tecum viuere possem equidem, & maximè vellem: vetustas est, amor, consuetudo, studia paria. quod vinculum, quæ res deest nostræ cōiūctioni: possumusne igitur esse vnā? nec mehercule intelligo quid impediatur: sed certè adhuc nō fuimus, cum essemus vicini in Tusculano, in Puteolano: nam quid dicam in Vrbe? in qua, cum forum commune sit, vicinitas non requiritur. Sed casu nescio quo in ea tempora nostra ætas incidit, vt cum maximè florere nos oporteret, tum viuere etiam puderet. Quod enim mihi poterat esse perfugium spoliato & domesticis & forensibus ornamentis, atque solatiis? Literæ, credo, quibus vtor assidue: quid enim aliud facere possum? sed nescio quò modo ipsæ illæ excludere me à portu & perfugio videntur: & quasi exprobrare, quod in ea vita maneam, in qua nihil inest, nisi propagatio miserissimi temporis. Hīc tu ea me abesse vrbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiæ? Itaque sic literis vtor, in quibus consumo omne tempus, non vt ab his medicinam perpetuam, sed vt exiguā doloris obliuionem petam. Quod si id egissemus, ego atque tu (quod ne in mentē quidem nobis veniebat propter quotidianos metus) omne tempus vnā fuissemus: neque me valetudo tua offenderet, neque te mœror meus. quod quantum fieri poterit, consequamur. Quid enim est vtrique nostrū aptius? Propediem te igitur videbo. Vale.

M. T. CICERO S. D. TITIO.

ET SI vnus ex omnibus minimè sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, vt consolatione ipse egerem, tamen cum longius à summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, statui nostræ necessitudinis esse, meæque in te benevolentia, non tacere tātò in tuo mœrore tandiu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ leuare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio peruulgata quidē illa maximè, quam semper in ore atque in animo habere debemus, HOMINES nos vt esse meminerimus, ea lege natos, vt omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione viuamus: neue tam grauitè eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus: euentisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis noui cogitemus. Neque hæc, neque cæteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis viris vsurpatæ, memoriæque & literis prodita, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostræ ciuitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt: minus autem miseri, qui his temporibus miserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua Rep. perdidissent. Quod si tuum te desiderium mouet, aut si tuarum rerum cogitatione mœres: non faciliè exhauriri tibi istū dolorem posse vniuersum puto. sin illa te res cruciat, quæ magis amoris est, vt eorum qui occiderunt, miserias lugeas: vt ea non dicam, quæ sapientissimè & legi, & audiui, nihil mali esse in morte: in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quam mors ducenda sit: sin sit amissus, nulla videri miseria debeat quæ nō sentiatur. hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendēre Reip. quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur: quid est enim iam nō modò pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci? non mehercule quenquā audiui hoc grauissimo & pestilentissimo anno adolescentulū, aut puerum mortuum, qui mihi non à diis immortalibus ereptus ex his miseris, atque ex

iniquissima conditione vitæ videretur. Quare si tibi vnum hoc detrahi potest, nequid 46
iis, quos amasti, mali putes contigisse: permultum erit ex mœrore tuo diminutum. re-
linquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur,
sed ad te ipsum propriè referetur. in qua non est iam grauitatis ac sapientiæ tuæ, quam
tu à puero præstitisti, ferre immoderatus casum incommodorū tuorum, qui sit ab eo-
rum, quos dilexeris, miseria, maloque seiunctus. etenim eū semper te & priuatis in re-
bus & publicis præstitisti, tuēdā tibi vt sit grauitas, & constantiæ seruiendū. nam quod
allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præripere cō-
silio, prudentiæque debemus. Etenim si nulla vnquam fuit liberis amissis tam imbe-
cillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod est
dies allatura, id consilio antè ferre debemus: neque expectare temporis medicinam, 47
quam repræsentare ratione possimus. His ego literis siquid profecissem, existimabam
optandum quiddam me esse affecutum: sin minus fortè valuissent, officio tamen esse
functum benevolentissimi atque amicissimi: quem me tibi & fuisse semper existimes
velim, & futurum esse confidas. Vale.

M. CICERO S. D. P. SESTIO P. F.

NON obliuione amicitia nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ, superio-
ribus temporibus ad te nullas literas misi, sed quod priora tempora in ruinis Reip. no-
strisque iacuerunt: posteriora autem me à scribendo tuis iniustissimis atque acerbissi-
mis incommodis retardarunt. Cùm verò & interuallum iam satis longum fuisset, &
tuam virtutem, animique magnitudinem diligentius essem mecum recordatus, non
putaui esse alienum institutis meis hæc ad te scribere. Ego te P. Sesti & primis tempo- 48
ribus illis, quibus in inuidiam absens & in crimen vocabare, defendi: & cùm in tui fa-
miliarissimi iudicio ac periculo tuum nomen coniungeretur, quàm potui accuratissi-
mè te, tuamque causam tutatus sum: & proximè recenti aduentu meo cùm rem aliter
institutam offendissem, ac mihi placuisset si affuissem, tamen nulla re salutis tuæ defui.
cùmque eo tempore inuidia annonæ inimici non solum tui, verum etiam amicorum
tuorum, iniquitas totius iudicii, multaque alia Reip. vitia plus quàm causa ipsa, veritas-
que valuissent: Publio tuo neque opera, neque consilio, neque labore, neque gratia, ne-
que testimonio defui. Quamobrem omnibus officiis amicitia diligenter à me, sancte-
que seruatis, ne hoc quidem prætermittendum esse duxi, te vt hortarer, rogaremque
vt & hominem te, & virum esse meminisses, id est, vt & communem, incertumque ca-
sum, quem neque vitare quisquam nostrum, neque præstare vlllo pacto potest, sapien- 49
ter ferres: & dolori fortiter, ac fortunæ resisteres: cogitarisque & in nostra ciuitate, & in
cæteris, quæ rerū potitæ sunt, multis fortissimis atque optimis viris, iniustis iudiciis ta-
leis casus incidisse. Illud vtinam ne verè scriberem, ea te Rep. carere, in qua neminem
prudentem hominem res vlla delectet. De tuo autē filio vereor, ne, si nihil ad te scri-
pserim, debitum eius virtuti videar testimonium non cepisse. sin autē omnia, quæ sen-
tio, perscripserim, ne refricem meis literis desiderium ac dolorem tuum. Sed tamen
prudentissimè facies, si illius pietatem, virtutem, industriam, vbicunque eris, tuam esse,
tecum esse duces. NEC enim minus nostra sunt, quæ animo complectimur, quàm quæ
oculis intuemur. Quamobrem & illius eximia virtus, summusque in te amor, magnæ
tibi consolationi debet esse: & nos, cæterique, qui te non ex fortuna, sed ex virtute tua
pendimus, semperque pædemus: & maximè animi tui conscientia, cùm tibi nihil me- 50
ritò accidisse reputabis, & illud adiunges, HOMINES sapientis turpitudine, non casu:
& delicto suo, non aliorum iniuria commoueri. Ego & memoria nostræ veteris ami-
citia, & virtute atque obseruantia filii tui monitus, nullo loco deero, neque ad conso-
landum, neque ad leuandum fortunam tuam. Tu siquid ad me fortè scripseris, perscri-
pseris, ne te frustra scripsisse arbitrere. Vale.

M. CICERO S. D. T. FABIO.

ETSI egomet, qui te consolari cupio, cōsolandus ipse sum, propterea quod nullam
rem grauius iandiu tuli, quàm incommodum tuum: tamen te magnopere non hor-
tor solum, sed etiam pro amore nostro rogo atque oro, te colligas, virumque præbeas:
51 & qua conditione omnes homines, & quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus ti-
bi virtus tua dedit, quàm fortuna abstulit, propterea quod adeptus es, quod non multi
homines noui: amisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea denique videtur condi-
tio impendēre legum, iudiciorum, temporum, vt optimè actum cum eo videatur ef-
se, qui quàm leuissima pœna ab hac Repub. discesserit. Tu verò qui & fortunas & libe-
ros habeas, & nos, cæterosque necessitudine & benevolentia tecum coniunctissimos:
quique magnam facultatem sis habiturus nobiscum, & cum omnibus tuis viuendi: &
cùm vnum sit iudiciū ex tam multis, quod reprehendatur, vt quod vna sentētia, eaque
dubia, potentia alicuius condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam
molestiam quam leuissimè ferre. Meus animus erit in te, liberisque tuos semper, quem
tu esse vis, & qui esse debet. Vale.

M. CICERO RVFO S. D.

ETSI mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem charissimus, tamen quotidie ma-
gis id perspicio: extatque id quod mihi ostenderas quibusdam literis, hoc te studiosio-
rem in me colendo fore, quàm in prouincia fuisses (etsi meo iudicio nihil ad tuū pro-
uinciale officium addi potest) quò liberius iudicium esse posset tuum. Itaque me & su-
periores literæ tuæ admodum delectauerunt, quibus & expectatum meum aduētum
abs te amanter videbam, & cùm aliter res cecidisset, ac putasses, te meo cōsilio magno-
pere esse lætatum: & his proximis literis magnum cepi fructum & iudicii & officii tui:
iudicii, quò intelligo te, id quod omnes fortes ac boni viri facere debent, nihil putare
vtile esse, nisi quod rectum, honestumque sit: officii, quò te mecum quodcunque ce-
pisssem cōsilio, polliceris fore: quo neque mihi gratius, neque, vt ego arbitror, tibi hone-
stius esse quicquam potest. Mihi consilium captū iandiu est: de quo ad te non quo ce-
53 lādus esses, nihil scripsi antea, sed quia communicatio consilii tali tempore, quasi qua-
dam admonitio videtur esse officii, vel potius efflagitatio ad coeundam societatem vel
periculi vel laboris. Cùm verò ea tua sit voluntas, humanitas, benevolentia erga me: li-
benter amplector talem animum, sed ita (non enim dimittam pudorem in rogando
meum) si feceris id quod ostendis, magnam habebō gratiam: si non feceris, ignoscā:
& alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. est enim res pro-
fectò maxima: quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est: ita tamen, vt si
nos ii sumus, qui esse debemus, id est studio digni, & literis nostris, dubitare non pos-
simus, quin ea maximè conducant, quæ sunt rectissima. Quare tu, si simul placebit,
statim ad me venies: sin idem placebit, atque eodem, nec continuo poteris: omnia tri-
54 bi vt nota sint, faciam. quicquid statueris, te mihi amicum: sin id quod opto, etiam ami-
cissimum iudicabo. Vale.

M. T. CICERO S. D. RVFO.

QVO QVO modo potuissem, te conuenissem, si eò, quò constitueras, venire voluis-
ses. Quare etsi mei commodi causa cōmouere me noluisti: tamen ita existimes velim,
me antè laturum fuisse, si ad me misisses, voluntatem tuam commodo meo. Ad ea quæ
scripsisti, cōmodius equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius scri-
ba meus adesset: à quo mihi exploratum est, in rationibus duntaxat referendis (de cæ-
teris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse scientem, quod esset cōtra aut rem,
aut existimationem tuam. deinde si rationum referendarū ius vetus & mos antiquus
55 maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro coniunctione nostræ necessitudinis
contulissem, confecissemque, non fuisse. Quod igitur fecissem ad urbem, si consuetu-
do pristina maneret: id (quādo lege Iulia relinquere rationes in prouincia necesse erat,

easdemque totidem verbis referre ad ararium) feci in prouincia: neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem, sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam poenitebit. totum enim scribam meum, quem tibi video nunc esse suspectum, tibi tradidi, tu ei M. Mindium fratrem tuum adiunxisti. Rationes confectæ me absente sunt tecum: ad quas ego nihil adhibui præter lectionem. Ita accepi librum à meo seruo scriba, ut eundem acceperim à fratre tuo. si honos is fuit, maiorem tibi habere non potui: si fides, maiorem tibi habui, quam penè ipsi mihi: si prouidendum fuit, nequid aliter, ac tibi & honestum & vile esset, referretur: non habui cui potius id negotii dare, quam scribæ meo. Illud quidem certè factum est, quod lex iubebat, ut apud duas ciuitates, Laodicensem & Apamensem, quæ nobis maximè videbantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas & consoluras deponeremus. Itaque huic loco primùm respondeo, me, quanquam iustis de causis rationes deferre properarim, tamen te expectaturum fuisse, nisi in prouincia relictas rationes pro latis haberem. Quamobrem de Volusio quod scribis, non est id rationum: docuerunt enim me periti homines, in his cum omnium peritissimus, tum mihi amicissimus C. Camillus ad Volusium transferri nomē à Valerio non potuisse, sed prædes Valerianos teneri. Neque id erat HS XXX, ut scribis, sed XXI. erat enim curata nobis pecunia Valerii mancipis nomine: ex qua reliquum quod erat in rationibus, retuli. Sed sic me & liberalitatis fructu priuas, & diligentia, & (quod minimè tamen laboro) mediocris etiam prudentia, liberalitatis, quod maui scribæ mei beneficio, quam meo, legatum meum, præfectumque maxima calamitate leuatos, cum præsertim non deberent esse obligati diligentia, quod existimas de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec scisse me quicquam, nec cogitasse: scribam quicquid voluisset, cum id mihi ne recitasset quidē, retulisse. prudentia, cum rem à me ne insipienter quidem cogitata putes. nam & Volusii liberandi meum fuit consilium: & ut multa tam grauis Valerianis prædibus, ipsique T. Mario depelleretur, à me inita ratio est: quam quidem omnes non solum probant, sed etiam laudat. & si verum scire vis, hoc vni scribæ meo intellexi non nimium placere. Sed ego putavi esse viri boni, cum populis suum seruaret, consulere fortunis tot vel amicorum vel ciuium. Nam de Luceio est ita actum, ut authore Cn. Pompeio, ista pecunia in fano poneretur. Id ego agnoui meo iussu esse factum. qua pecunia Pompeius est usus, ut tua, quam tu deposueras, Sestius. Sed hoc ad te nihil intelligo pertinere. Illud me non animaduertisse molestè ferrem, ut adscriberem, te in fano pecuniam iussu meo deposuisse, nisi ista pecunia grauissimis esset, certissimisque monumentis testata, cui data, quo s. c. quibus tuis, quibus meis literis P. Sestio tradita esset. Quæ cum viderem tot vestigiis impressa, ut in his errari non posset: non adscripsi id, quod tua nihil referebat: ego tamē adscripsisse mallem, quando id te video desiderare. Sicut scribis tibi id esse referendum, idem ipse sentio: neque in eo quicquam à meis rationibus discrepabunt tuæ. Adde enim tu, meo iussu: quod ego nunquam addidi: nec causa est, cur negem: nec, si esset, & tu noles, negare. Nam de HS nongentis millibus certè ita relatum est, ut tu, siue frater tuus referri voluit. Sed siquid est, quando de Luceio parum prouisum est, quod ego in rationibus referendis etiamnum corrigere possim: de eo mihi, cum s. c. non sum usus, quid per leges liceat considerandum est. Te certè in pecunia exacta ita efferre ex meis rationibus relatis non oportuit, nisi quid me fallit: sunt enim alii peritiores. Illud caue dubites, quin ego omnia faciam quæ interesse tua, aut etiam velle te existimem, si villo modo facere possim. Quod scribis de beneficiis, scito à me & Tribunos mil. & præfectos, & contubernales duntaxat meos delatos esse. in quo quidem ratio me fefellit: liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari: postea certior sum factus, triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulisset. Sanè molestè tuli, non illa beneficia tuæ potius ambitioni reseruata esse, quam meæ, qui ambitione nihil vterer. De centurionibus tamen, & de Tribunorum mil. contubernalibus res est in integro:

60 genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum est de HS. centum milibus: de quibus memini mihi à te Myrina literas esse allatas, non mei errati, sed tui: in quo peccatum videbatur esse, si modò erat, fratris tui & Tullii. sed cum id corrigi non posset, quod iam depositis rationibus ex prouincia decessemus: credo me quidem tibi pro animi mei voluntate, proque ea spe facultatum, quam tum habebamus, quam humanissimè potuerim, rescripsisse. Sed neque tum me humanitate mearum literarum obligatum puto, neque tuam hodie epistolam de HS. centum sic accepisse, ut ii accipiunt, quibus epistolæ per hæc tempora molestæ sunt. Simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quæ ad me saluis legibus peruenisset, Ephesi apud publicanos deposuisse: id fuisse HS. XXI, eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse. quod ego siue æquo animo fero, siue iniquo, tu de HS. centum æquo animo ferre debes, & existimare, eo minus ad te vel de tuis cibariis, vel de mea liberalitate peruenisse. Quod si mihi expensa ista HS. centum tulisses: tamen quæ tua est suauitas, quique in me amor, nolles à me hoc tempore æstimationem accipere: nam numeratum si cuperem, non erat. Sed hæc iocatum me putato, ut ego te existimo. Ego tamen, cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te, siquid ad rem putabis pertinere. Hanc epistolam cur non scindi velim, causa nulla est. Vale.

M. CICERO S. D. L. MESCINIO.

GRATIAE mihi tuæ literæ fuerunt: ex quibus intellexi, quod etiam sine literis arbitrabar, videndi mei te summa cupiditate affectum esse. Quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam: nam tecum esse, ita mihi commoda omnia quæ opto, contingant, ut vehementer velim. Etenim cum esset maior & virorum, & ciuium bonorum, & iucundorum hominum, & amantium mei copia, tamē erat nemo, quicum essem libentius quam tecum, & pauci quibuscum æquè libenter: hoc verò tempore, cum alii interierint, alii absint, alii mutati voluntate sint, vnum mediufidius tecum diem libentius posuerim, quam hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuscum viuo necessario. Noli enim existimare, mihi non solitudinem iucundiorē esse, qua tamen ipsa uti non licet, quam sermones eorum qui frequentat domum meam, excepto vno, aut summum altero. Itaque utror eodem perugio, quo tibi utendum censeo, literulis nostris, præterea etiam conscientia consiliorum meorum: ego enim is sum, quemadmodum tu facillimè potes existimare, qui nihil vnquam mea potius, quam meorum ciuium causa fecerim: cui nisi inuidisset is, quem tu nunquam amasti (me enim amabas) & ipse beatus esset, & omnes boni. Ego sum qui nullius vim plus valere volui, quam honestum otium. idemque cum illa ipsa arma, quæ semper timueram, plus posse sensi, quam illum consensum bonorum, quem ego idem effeceram: quauis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare. Sed & hæc, & multa alia coram breui tempore licebit. neque me tamē vlla res alia Romæ tenet, nisi expectatio rerum Africanarum. videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. Puto autem mea non nihil interesse: quanquam id ipsum, quid intersit, non sanè intelligo: veruntamen quicquid illinc nuntiatum sit, non longè abesse à consiliis amicorum: est enim res ipsa iam in eum locum adducta, ut quaquam multum intersit inter eorum causas qui dimicant, tamen inter victorias non multum interfuturum putem. Sed planè animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multum: quem etiam superiores tuæ literæ confirmarunt: quibus intellexi, quam fortiter iniuriam ferres: iuuatque me, tibi cum summam humanitatem, tum etiam tuas literas profuisse. verum enim scribam: teneriore mihi animo videbare, sicut omnes ferè, qui vita ingenua, in beata & libera ciuitate viximus. Sed ut illa secunda moderatè tulimus, sic hanc non solum aduersam, sed etiam funditus euersam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti non

modò contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruere isto otio: tibi que persuade, *PRÆTER* culpam ac peccatum, quo semper caruisti, & carebis, homini accidere nihil posse quod sit horribile aut pertimescendum. Ego, si videbitur rectè fieri posse, ad te veniam breui: siquid acciderit, ut mutandum consilium sit, te certiorrem faciam statim. Tu ita fac cupidus mei videndi sis, ut istinc te ne moueas tam infirma valetudine, nisi ex me prius quæsieris per literas, quid te velim facere. Me velim, ut facis, diligas: valetudinique tuæ & tranquillitati animi seruias. Vale.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD A. TORQVATVM,
ET ALIOS LIRER VI.

M. CICERO S. D. A. TORQVATO.



TSI ea perturbatio est omnium rerum, ut suæ quæque fortunæ maximè pœniteat: nemòque sit, quin ubiuis, quàm ibi ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore bono viro Romæ esse miserrimum sit. nam etsi quocunque in loco quisque est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum & suarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere à miseris cogitationem sinunt. Quare etsi multarum rerum desiderio te angere necesse est: tamen illo dolore, quo maximè te confici audio, quòd Romæ non sis, animum tuum libera. etsi enim cum magna molestia tuos, tuæque desideras, tamen illa quidem quæ requiris, suum statum tenent: nec melius, si tu adesses, tenerent, nec sunt vllò in proprio periculo. Nec debes tu, cum de tuis cogitas, aut præcipuam aliquam fortunam postulare, aut communem recusare. De te autem ipso Torquate est tuum sic agitare animo, ut nò adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem aut timorem. nec enim is, qui in te adhuc iniustior, quàm tua dignitas postulat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati. Nec tamen is ipse, à quo salus petitur, habet explicatam aut exploratam rationem salutis suæ. *CVMQUE* omnium bellorum exitus incerti sint: ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem seiunctum sit ab omnium interitu: ab altera te ipsum nūquam timuisse, certò scio. Reliquū est, ut te id ipsum, quod ego quasi consolationis loco pono, maximè excruciet, commune periculum Reip. cuius tanti mali, quauis docti viri multa dicant: tamen vereor, ne consolatio vlla possit vera reperiri, præter illam quæ tanta est, quantum in cuiusque animo roboris est atque neruorum. si enim *BENE* sentire, rectèque facere, satis est ad bene beatèque viuendum: vereor ne eum qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse, nefas sit dicere. Nec enim nos arbitror victoriæ præmiis ductos, patriam olim & liberos & fortunas reliquisse: sed quoddam nobis officium iustum & pium & debitum Reip. nostræque dignitati videbatur, qui neque, cum id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis esset victoria. Quare si id euenit, quod ingredientibus nobis in causam propositum fuit accidere posse: nò debemus ita cadere animis, quasi aliquid eueniret quod fieri posse nunquam putarimus. Simus igitur ea mète, quam ratio & veritas præscribit: ut nihil in vita nobis præstādum præter culpam putemus: eaque cum careamus, omnia humana placatè & moderatè feramus. Atque hæc eò pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur. Sed si est spes aliqua rebus communibus, ea tu, quicunque status est futurus, carere non debes. Atque hoc mihi scribenti veniebat in mentem, me eum esse, cuius tu desperationem accusare solitus esses, quémque autoritate tua cunctantem & diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego causam nostram, sed consilium improbabam. ferò enim nos iis armis aduersari vi-

debam, quæ multò antè confirmata per nosmetipsos erant: docebamque, pilis & gladiis, non consiliis, neque autoritatibus nostris, de iure publico disceptari. Neque ego ea quæ facta sunt, fore cum dicebā, diuinabam futura: sed quòd & fieri posse, & exitiosum fore, si euenisset, videbam, id ne accideret, timebam: præsertim cum, si mihi alterutrum de euentu atque exitu rerum promittendum esset, id futurum, quod euenit, exploratius possem promittere. iis enim rebus præstabamus quæ non prodeunt in aciem: vsu autem armorum & militum robore inferiores eramus. Sed tu illum animum nūc adhibe quæso, quo me tum esse oportere cesebas. Hec eò scripsi, quòd mihi nunc Phylargyrus tuus omnia de te requirenti, fidelissimo animo (ut mihi quidem visus est) narrauit, te interdum sollicitum solere esse vehementius: quod facere non debes: nec dubitare, quin aut aliqua Rep. sis futurus qui esse debes: aut perdita, non afflictiore conditione, quàm cæteri. Hoc verò tempus quo exanimati omnes & suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quòd & in ea vrbe es, ubi nata & alta est ratio ac moderatio vitæ: & habes Ser. Sulpitium, quem semper vnice dilexisti: qui te profectò & benevolentia & sapientia consolatur. cuius si essemus & autoritatem & consilium secuti, togati potius potentiam, quàm armati victoriam subissemus. Sed hæc longiora fortasse fuerunt, quàm necesse fuit. illa quæ maiora sunt, breuius exponam. Ego habeo cui plus quàm tibi debeam, neminem: quibus tantum debebam, quātum tu intelligis, eos mihi huius belli casus eripuit. Qui sim autem hoc tempore intelligo. sed quia *NEMO* est tam afflictus, qui si nihil aliud studeat, nisi id quod agit, non possit nauare aliquid & efficere: omne meum consilium, operam, studium certè velim existimes tibi, tuisque liberis esse debitum. Vale.

M. T. CICERO S. D. A. TORQVATO.

PE TO à te, ne me putes obliuione tui rarius ad te scribere, quàm solebam, sed aut grauitate valetudinis, qua tamē iam paululum videor leuari, aut quòd absim ab Vrbe, ut qui ad te proficiscantur, scire non possim. Quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam summa cum benevolentia tenere, tuasque omnes res non minori mihi curæ quàm meas esse. Quòd maiore in varietate versata est adhuc tua causa, quàm homines aut volebant, aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis temporum quod molestè feras. necesse est enim, aut armis vrgeri Remp. sempiternis: aut his positis, recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma valebūt: nec eos à quibus reciperis, vereri debes, nec eos quos adiuuisti. si armis aut conditione positis, aut defatigatione abiectis, aut victoria detractis, ciuitas respirauerit: & dignitate tua frui tibi, & fortunis licebit. sin omnino interierint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentissimus M. Antonius iam tum timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur, misera est illa quidem consolatio, tali præsertim ciui & viro, sed tamen necessaria: *NIL* esse præcipuè cuiquam dolendum in eo quod accadat vniuersis. quæ vis insit in his paucis verbis (plura enim committenda epistolæ non erant) si attendes, quod facis, profectò etiam sine meis literis intelliges te aliquid habere quod speres: nihil quod aut hoc, aut aliquo Reip. statu timeas: omnia si interierint, cum superstitem te esse Reip. ne, si liceat, quidem velis, ferendam esse fortunam, præsertim quæ absit à culpa. Sed hæc hæc tenus. Tu velim scribas ad me quid agas, & ubi futurus sis: ut aut quò scribam, aut quò veniam, scire possim. Vale.

M. T. CICERO S. D. A. TORQVATO.

SUPERIORIBVS literis benevolentia magis adductus, quàm quo res ita postulat, fui longior. neque enim confirmatione nostra egebat virtus tua: neque erat ea mea causa atque fortuna, ut cui ipsi omnia deessent, alterum confirmarem. Hoc item tempore breuior esse debeo: siue enim tum nihil opus fuit tam multis verbis, nihilo magis nūc opus est: siue tum opus fuit, illud satis est, præsertim cum accesserit nihil noui: nam etsi quotidie aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri existimo: summa

tamen eadem est, & idem exitus, quem ego tam video animo, quàm ea quæ oculis cer-
nimus. Nec verò quicquã video, quod non idem te videre certò sciam, nam etsi quem
exitum acies habitura sit, diuinare nemo potest: tamen & belli exitum video: & si id mi-
nus, hoc quidem certè cum sit necesse alterutrum vincere, qualis futura sit vel hæc, vel
illa victoria. idq; cum optimè perspexi, tale video, nihil vt mali videatur esse futurum,
si id vel antè acciderit, quod vel maximum ad timorem proponitur: I T A enim viuere,
vt non sit viuendum, miserimum est: mori autem nemo sapiens miserum duxit, ne
beato quidem. Sed in ea es vrbe, in qua hæc vel plura, & ornatiora parietes ipsi loqui
posse videantur. Ego tibi hoc confirmo, E S T I leuis est cõsolatio ex miseris aliorum,
nihil te nunc maiore in discrimine esse, quàm quenuis aut eorum qui discesserint, aut
eorum qui remanserint. alteri dimicant: alteri victorem timent. Sed hæc cõsolatio le-
uis: illa grauior, qua te vti spero: ego certè vtor. nec enim dum ero, angar vlla re, cum
omni vacem culpa: & si nõ ero, sensu omnino carebo. sed rursus *γλαυκὴ εἰς Ἀθήνας*, qui
ad te hæc. Mihi tu, tui, tua omnia maximè curæ sunt, & dum viuam, erunt. Vale.

M. CICERO S. D. A. TORQVATO.

N O V I quod ad te scriberem, nihil erat: & tamen siquid esset, sciebam te à tuis certio-
rem fieri solere. de futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum
coniectura possis propius accedere, cum res est eiusmodi, cuius exitus prouideri pos-
sit. Nunc tantum videmur intelligere, non diuturnum bellum: etsi id ipsum nonnul-
lis videatur secus. Equidem cum hæc scribebam, aliquid iam actum putabam: nõ quò
ego certò scirem, sed quòd non difficilis erat coniectura. nam cum O M N I S belli Mars
communis, & cum semper incerti exitus præliorum sunt, tum hoc tẽpore ita magnæ
vtrinque copiæ, ita paratæ ad pugnandum esse dicuntur, vt vtercunque vicerit, non sit
mirum futurum. Illa in dies singulos magis, magisque opinio hominum cõfirmatur,
etiam si inter causas armorum aliquantum interlit, tamen inter victorias nõ multum
interfuturum. alteros propemodum iam sumus experti: de altero nemo est quin co-
gitet, quàm sit metuendus iratus victor armatus. Hoc loco si videor augerè dolorem
tuum, quem consolando leuare debebam, fateor me communium malorum conso-
lationem nullam inuenire, præter illam, quæ tamẽ, si possis eam suscipere, maxima est,
quæque ego quotidie magis vtor: C O N S C I E N T I A M rectæ volûtatis maximam con-
solationem esse rerum incommodarum: nec esse vllum magnum malum præter cul-
pam. à qua quando tantum absumus, vt etiam optimè senserimus, euentusque magis
nostri consilii, quàm consiliũ reprehendatur: & quando præstitimus quod debuimus:
moderatè quod euenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, vt te consolet de cõ-
munibus miseris, quæ ad cõsolandum: maioris ingenii, & ad ferendum singularis vir-
tutis indigent. Illud cuius facile est docere, cur præcipuè tu dolere nihil debeas. eius
enim, qui tardior in te aliquando fuit, quàm fore putaramus, nõ est mihi dubia de tua
salute sententia: de aliis autem non arbitror te expectare quid sentiam. Reliquum est
vt te angat, quòd absis à tuis tãdiu, res molesta, præsertim ab iis pueris, quibus nihil po-
test esse festiuus. Sed vt antea ad te scripsi, tempus est huiusmodi, vt suam quisque cõ-
ditionem miserimã putet: & vbi quisque sit, ibi esse minimè velit. Equidem nos quòd
Romæ sumus, miserimum esse duco: non solum quòd in omnibus malis acerbius est
videre, quàm audire: sed etiam quòd ad omnes casus subitorum periculorum magis
obiecti sumus, quàm si abessemus. etsi me ipsum consolatore tuum non tantum li-
teræ, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigauit. quanto fuerim
dolore, meministi. in quo prima illa consolatio est, vidisse me plus, quàm cæteros, cum
cupiebam quamuis iniqua cõditione pacem. quod etsi casu, non diuinatione mea fa-
ctum est: tamen hac inani prudentiæ laude delector. Deinde, quod mihi ad conso-
lationem commune tecum est, si iam vocer ad exitum vitæ, non ab ea Rep. auellar, qua
carendum esse doleam, præsertim cum id sine vllò sensu futurum sit. Adiuuat etiam

14 ætas & acta iam vita, quæ cum cursu suo bene cõfecto delectatur, tum vetat in eo vim
timere, quò nos iam natura ipsa penè perduxerit. Postremò is vir, vel etiam ii viri hoc
bello occiderunt, vt impudentia videatur eandẽ fortunam, si res cogat, recusare. Equi-
dem mihi omnia propono: nec vllum est tantum malum, quod non putem impen-
dère. S E D C V M plus in metuendo mali sit, quàm in illo ipso, quod timetur, desino:
præsertim cum id impendeat, in quo non modò dolor nullus, verum finis etiam do-
loris futurus sit. Sed hæc satis multa, vel plura potius, quàm necesse fuit. facit autẽ non
loquacitas mea, sed beneuolentia longiores epistolas. Seruium discessisse Athenis,
molestè tuli. non enim dubito quin magnæ tibi leuationi sit solitus esse quotidianus
congressus, & sermo cum familiarissimi hominis, tum optimi & prudentissimi viri. Tu
15 velim te, vt debes & soles, tua virtute sustetes. Ego quæ te velle, quæque ad te & ad tuos
pertinere arbitror, omnia studiose diligentèrque curabo. Quæ cum faciam, beneuo-
lentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Vale.

M. CICERO A. CAECINNAE S. D.

Q V O T I E S C V N Q V E filium tuum video (video autem ferè quotidie) polliceor ei
studium quidem meum, & operam sine vlla exceptione aut laboris aut occupationis
aut temporis: gratiam autem atque authoritatem cum hac exceptione quantum va-
leam, quantumque possim. Libertus & lectus est, & legitur à me diligenter, & cu-
stoditur diligentissimè. Res & fortunæ tuæ mihi maximæ curæ sunt, quæ quidẽ quo-
16 tidie faciliores mihi & meliores videntur, multisque video magnæ esse curæ: quorum
de studio, & de sua spe filium ad te perscripsisse certò scio. His autem de rebus, quas cõ-
iectura consequi possumus, non mihi sumo, vt plus ipse prospiciam, quàm te videre
atque intelligere mihi persuaserim. Sed tamen quia fieri potest, vt tu ea perturbatiore
animo cogites, puto esse meum quid sentiam exponere. Ea natura rerum est, & is tem-
porum cursus, vt non possit ista aut tibi, aut cæteris fortuna esse diuturna, neque hæ-
rere in tam bona causa, & in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Quare ad eam spẽ,
quam extra ordinem de te ipso habemus, non solum propter dignitatem & virtutem
tuam (hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præ-
cipua, propter eximium ingenium, summamque virtutem: cui me hercule hic, cuius
in potestate sumus, multum tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in ista for-
17 tuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, se violatum putaret. Quod ipsum læ-
nitur quotidie: significaturque nobis ab iis, qui simul cum eo viuunt, tibi hanc ipsam
opinionem ingenii apud ipsum plurimum profuturam. Quapropter primum fac ani-
mo forti atque magno sis: ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cogni-
tus, vt tibi id faciendum sit. Deinde spem quoque habeas firmissimam propter eas cau-
sas, quas scripsi. A me verò tibi omnia liberisque tuis paratissima esse confidas velim.
id enim & vetustas nostri amoris, & mea cõsuetudo in meos, & tua multa erga me of-
ficia postulant. Vale.

M. CICERO A. CAECINNAE S. D.

18 V E R E O R ne desideres officium meum, quod tibi pro nostra & meritorum multo-
rum, & studiorum, & partium coniunctione deesse non debet: sed tamen vereor ne li-
terarum à me officium requiras: quas tibi & iam pridem & sæpe misissem, nisi quotidie
melius expectans, gratulationem, quàm confirmationem animi tui complecti literis
maluissem. Nunc autem, vt spero, breui gratulabimur: itaque in aliud tempus id argu-
mẽtum epistolæ differo. His autem literis animum tuum, quem minimè imbecillum
esse & audio & spero, etsi non sapientissimi, at amicissimi hominis autoritate confir-
mandum etiam atque etiam puto: nec iis quidem verbis, quibus te consolet vt afflictu,
& iam omni spe salutis orbatum, sed vt eum de cuius incolumitate nõ plus dubitem,
quàm te meminisse dubitare de meâ. nam cum me ex Repub. expulissent ii, qui illam ca-
dere posse, stante me non putarunt: meminisse me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia,

in qua tu eras, venerant, audire, te de glorioso & celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quædam Etruscæ disciplinæ, quam à patre nobilissimo atque optimo viro accep-
 ras, non fefellit: nec nos quidem nostra diuinationi fallit, quam tum sapientissimorum
 virorum monimentis atque præceptis, plurimoque, vt scis, doctrinæ studio, tum ma-
 gno etiam vsu tractandæ Reip. magnæque nostrorum temporum varietate consecuti
 sumus. cui quidem diuinationi hoc plus confidimus, quòd ea nos nihil in his tam ob-
 scuris rebus, tamque perturbatis vnquam omnino fefellit. dicerem quæ antea futura
 dixissem, ni vereretur ne ex euentis fingere viderer. Sed tamen plurimi sunt testes, me &
 initio, ne coniungeret se cum Cæsare, monuisse Pompeium, & postea ne seiungeret.
 Coniunctione frangi Senatus opes, disiunctione ciuile bellum excitari videbam. At-
 que vtebar familiarissimè Cæsare, Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum con-
 silium cum fidele Põpeio, tum salutare vtrique. Quæ præterea prouiderim, prætereo:
 nolo enim hunc de me optimè meritum existimare ea me suauis Pompeio, quibus
 ille si paruisset, esset hîc quidem clarus in toga, & princeps: sed tantas opes, quantas nûc
 habet, non haberet. Eundem in Hispaniam censui. quod si fecisset, ciuile bellum nul-
 lum omnino fuisset. Rationem haberi absentis non tam pugnari vt liceret, quàm vt
 quando ipso Consule pugnante populus iusserat, haberetur. Causa belli orta est. Quid
 ego prætermisi aut monitorum, aut querelarum, cum vel iniquissimam pacem iustif-
 simo bello anteferrem? Victa est authoritas mea non tam à Pompeio (nam is moue-
 batur) quàm ab iis qui duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domesticis, & cu-
 piditatibus suis illius belli victoriã fore putabant. Susceptum bellum est, quiescente me:
 depulsum ex Italia, manente me quoad potui. sed valuit apud me plus pudor meus,
 quàm timor. Veritus sum deesse Pompeii saluti, cum ille aliquãdo non defuisset me.
 Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, vt in fabulis Amphiarus, sic
 ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Quo in bello nihil
 aduersi accidit non prædicente me. Quare quando, vt augures & astrologi solent, ego
 quoque augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te authoritatem
 augurii & diuinationis meæ: debet habere fidem nostra prædictio. Non igitur ex alitis
 inuolatu, nec è cãtu sinistro oscinis, vt in nostra disciplina est, nec è tripudiis solistimis,
 aut somniis tibi auguror: sed habeo alia signa quæ obseruem. quæ etsi non sunt certio-
 ra illis, minus tamen habent vel obscuritatis vel erroris. Notantur autem mihi ad diui-
 nandum signa duplici quadã via: quarum alteram duco è Cæsare ipso, alteram è tem-
 porum ciuiliu natura atque ratione. In Cæsare hæc sunt: mitis clemensque natura,
 qualis exprimitur præclare illo libro querelarum tuarum. Accedit, quòd mirificè inge-
 niis excellentibus, quale est tuum, delectatur. Præterea cedit multorum iustis, & offi-
 cio incensis, non inanibus aut ambitiosis voluntatibus. In quo vehementer eum con-
 sentiens Etruria mouebit. Cur hæc igitur adhuc parum profecerunt? quia non putat
 se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui iustus videtur irasci posse, concesserit.
 Quæ est igitur, inquires, spes ab irato? eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas,
 è quo sit leuiter aspersus. Postremò homo est valde acutus, & multum prouidens: in-
 telligit te hominem in parte Italiæ minimè contemnenda facillè omnium nobilissi-
 mum, & in communi Repub. cuius summorum tuæ ætatis vel ingenio, vel gratia, vel
 fama, populi Rom. parem nõ posse prohibere à Rep. diutius. Nollet hoc temporis po-
 tius esse aliquando beneficium, quàm iam suum. Dixi de Cæsare: nunc dicam de tem-
 porum rerumque natura. Nemo est tam inimicus ei causæ, quam Pompeius anima-
 tus melius, quàm paratus susceperat, qui nos malos ciueis dicere, aut homines impro-
 bos audeat. In quo admirari soleo grauitatem & iustitiam & sapientiam Cæsaris: nun-
 quam nisi honorificentissimè Pompeium appellat. At in eius personam multa fecit
 asperius, Armorum ista, & victoriæ sunt facta, nõ Cæsaris. At nos quemadmodum est
 complexus? Cassium sibi legauit: Brutum Galliæ præfecit, Sulpitium Græciæ: Marcel-

lum, cui maximè succensebat, cum summa illius dignitate restituit. Quò igitur hæc
 spectant? Rerum hoc natura, & ciuiliu temporum non patietur: nec manens, nec
 mutata ratio feret, primùm vt non in causa pari, eadem sit & conditio & fortuna om-
 nium: deinde vt in eam ciuitatem boni viri, & boni ciues nulla ignominia notati non
 reuertantur, in quam tot nefariorum scelerum condemnati reuerterunt. Habes augu-
 rium meum: quo siquid addubitarem, non potius vterer, quàm illa consolatione, qua
 facillè fortem virum sustentarem, te, si explorata victoria arma sumpsisse pro Repub.
 (ita enim tum putabas) non nimis esse laudandum. sin propter incertos exitus, euen-
 tisque bellorum posse accidere, vt vinceremur, putasses: non debere ad secũdam for-
 tunam bene paratum fuisse, aduersam ferre nullo modo posse. Disputarem etiã, quã-
 to solatio tibi conscientia tui facti, quantæ delectationi in rebus aduersis literæ esse de-
 berent. commemorarem non solum veterum, sed & horum etiam recentium vel du-
 cum, vel comitum tuorum grauissimos casus. Etiam externos multos claros viros no-
 minarem. LEVAT enim dolorem communis quasi legis & humanæ cõditionis re-
 cordatio. Exponerem etiam quemadmodum hîc, & quanta in turba, quantaque in con-
 fusione rerum omnium viueremus. necesse est enim minore desiderio perdita Rep. ca-
 rere, quàm bona. sed hoc genere nihil opus est. Incolumem te citò, vt spero, vel potius,
 vt perspicio, videbimus. interea tibi absenti & huic, qui adest imagine animi & corpo-
 ris tui, constantissimo atque optimo filio tuo studium, officium, operã, laborem meum
 iam pridem & pollicitus sum, & detuli: nunc hoc amplius, quòd me amicissimè quoti-
 die magis Cæsar amplectitur, familiares quidem eius, sicuti neminè. apud quem quic-
 quid valebo vel authoritate, vel gratia, valebo tibi. Tu cura, vt cum firmitudine te ani-
 mi, tum etiam spe optima sustententes. Vale.

A. CAECINNA M. CICERONI S.

26 QVOD tibi non tam celeriter liber est redditus, ignosce timori nostro, & miserere
 temporis. Filius, vt audio, pertimuit (neque iniuria) si liber exisset, quando non tam in-
 terest, quo animo scribatur, quàm quo accipiatur, ne ea res ineptè mihi noceret: cum
 præsertim adhuc styli pœnas dem. Qua quidem in re, singulari sum fato: nã cum men-
 dum scripturæ litura tollatur, stultitia fama multetur, meus error exilio corrigitur: cu-
 ius summa criminis est, quòd armatus aduersario maledixi. Nemo nostrum est, vt opi-
 nor, quin vota victoriæ suæ fecerit: nemo quinetiam cum de alia re immolaret, tamen
 eo quidem ipso tempore, vt quamprimùm Cæsar superaretur, optarit. Hoc si non co-
 gitat, omnibus rebus fœlix est: si scit, & persuasus est, quid irascitur ei, qui aliquid scri-
 psit contra suam voluntatem, cum ignorit omnibus qui multa deos venerati sint con-
 tra eius salutem? Sed vt eodem reuertar, causa hæc fuit timoris: scripsi de te parcè me-
 diussidius, & timidè, non reuocans me ipse, sed penè refugiens. Genus autem hoc scri-
 pturæ non modò liberum, sed incitatum atque elatum esse debere, quis ignorat? solutum
 existimatur esse, alteri maledicere: tamen cauendum est, ne in petulantia incidas. im-
 peditum, seipsum laudare, ne vitium arrogantia subsequatur. solum verò liberum, al-
 terum laudare. de quo quicquid detrahas, necesse est aut infirmitati, aut inuidiæ assigne-
 tur. Ac nescio an tibi gratius opportuniúsque acciderit: nam quod præstare non po-
 teram, primùm erat non attingere: secundum beneficium, quamparcissimè facere.
 sed tamen ego me quidem sustinui: multa minui, multa sustuli: complura ne posui
 quidem. QVEMADMODVM igitur scalarum gradus si alios tollas, alios incidas, non-
 nullos malè hærentes relinquant, ruinæ periculum struas, non ascensum pares: sic tot
 malis tum victum, tum fractum studium scribendi, quid dignum auribus, aut proba-
 bile potest afferre? Cum verò ad ipsius Cæsaris nomẽ veni, toto corpore contremisco,
 non pœnæ metu, sed ipsius iudicii: totum enim Cæsarem non noui. Quem putas ani-
 mum esse, ubi secum loquitur? hoc probabit: hoc verbum suspiciosum est. quid si muto?
 at vereor ne peius sit. Age verò, laudo aliquem, num offendo? cum porrò offendã, quid si

non vult? Armati stylum persequitur, victi & nondum restituti quid faciet? Auges etiã tu mihi timorem, qui in Oratore tuo caues tibi per Brutum, & ad excusationẽ socium quærís. Vbi hoc omnium patronus facis, quid me veterem tuum, nunc omnium clientem sentire oportet? In hac igitur calumnia timoris, & cæcæ suspicionis tormento, cum plurima ad alieni sensus coniecturam, non ad suum iudicium scribantur, quàm difficile sit euadere, si minus expertus es, quod te ad omnia summum atque excellens armavit ingenium, nos sentimus. Sed tamen ego filio dixeram librum tibi legeret & auferret: aut ea conditione daret, si reciperes te correcturum, hoc est, si totum alium faceres. De Asiatico itinere, quanquã summa necessitas premebat, vt imperasti feci.

Te pro me quid horter? vides tempus venisse, quo necesse sit de nobis constitui. Nihil est mi Cicero, quod filium meum expectes: adolescens est: omnia excogitare vel studio, vel ætate, vel metu non potest. Totum negotium tu sustineas oportet: in te mihi omnis spes est. tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæsar tenes. A te omnia proficiscantur, & per te ad exitum perducatur, necesse est. Apud ipsum multum, apud eius omnes plurimum potes. vnum si tibi persuaseris, non hoc esse tui muneris, siquid rogatus fueris, vt facias (quãquam id magnum & amplum est) sed totum tuum esse onus, perficies. nisi fortè aut in miseria nimis stultè, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono. Sed vtrique rei excusationem tuæ vitæ consuetudo dat. nam quod ita consueuisti pro amicis laborare, non iam sic sperant abs te, sed etiam sic imperant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit: peto à te ne exeat: aut ita corrigas, ne mihi noceat. Vale.

M. CICERO A. CAECINNAE S. D.

CVM ESSET mecum Largus homo tui studiosus locutus, Cal. Ian. tibi præfinitas esse: quod omnibus in rebus perspexeram quæ Balbus & Oppius absente Cæsare egissent, ea solere illi rata esse: egi vehementer cum his, vt hoc mihi darent, tibi in Sicilia, quoad vellemus, vti esse liceret. Qui mihi cum fuissent aut libenter polliceri, siquid esset eiusmodi, quod eorũ animos non offenderet: aut etiam negare, & afferre rationem cur negarent: huic meæ rogationi potius non continuo responderunt: eodem die tamen ad me reuerterunt: mihi que hoc dederunt, vt esses in Sicilia, quoad velles: se præstituros, nihil ex eo te offensionis habiturum. Quando quid tibi permittatur, cognouisti: quid mihi placeat, puto te scire oportere. Actis his rebus, literæ à te mihi sunt redditæ: quibus à me consilium petis, quid sim tibi author, in Siciliãne subsidias, an vt ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficiscare. Hæc tua deliberatio non mihi cõuenire visa est cum oratione Largi. Ille enim mecum, quasi tibi non liceret in Sicilia diutius commorari, ita locutus erat: tu autè, quasi concessum sit, ita deliberas. Sed ego, siue hoc, siue illud est, in Sicilia censeo commorandum. Propinquitas locorum vel ad impetrandũ adiuuat crebris literis & nuntiis: vel ad reditus celeritatem, re aut impetrata, quod spero, aut aliqua ratione confecta. Quamobrem censeo magnopere commorandum. T. Furfano Posthumio familiari meo, legatĩsque eius, item meis familiaribus diligentissimè te commendabo, cum venerint: erant enim omnes Mutinæ. Viri sunt optimi, & tui similibus studiosi, & mei necessarii. quæ mihi venient in mentem, quæ ad te pertinere arbitror, ea mea sponte faciam. siquid ignorabo, de eo admonitus, omnium studia vincam. Ego etsi coram de te cum Furfano ita loquar, vt tibi literis meis ad eum nihil opus sit: tamen quoniam tuis placuit, te habere meas literas quas ei redderes, morè eis gessi. earum literarum exemplum infra scriptum est. Vale.

M. T. CICERO T. FURFANO PROCOS. S. D.

CVM A. Cæcinna tanta mihi familiaritas, consuetudõque semper fuit, vt nulla maior esse possit: nã & patre eius claro homine, & forti viro plurimum vsi sumus: & hunc à puero, quod & spem mihi magnã afferebat summæ probitatis, summæque eloquentiæ, & viuebat mecum coniunctissimè, non solum officiis amicitia, sed etiam studiis

communibus, sic semper dilexi, vt non villo cum homine coniunctius viuerem. Nihil attinet me plura scribere. quàm mihi necesse sit eius salutem & fortunas, quibuscunque rebus possim, tueri, vides. Reliquum est, vt cum cognorim, pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de Reipub. calamitatibus sentires, nihil à te petam, nisi vt ad eam voluntatem, quam tua sponte erga Cæcinnam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me à te fieri intelligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

M. CICERO TREBATIO S. D.

E GO quanti te faciam, semperque fecerim, quanti me à te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis: nam & consilium tuum, vel casus potius diutius in armis ciuilibus commorandi, semper mihi magno dolori fuit: & hic euetus (quod tardius, quàm est æquũ, & quàm ego vellem, recuperes fortunam & dignitatem tuam) mihi non minori curæ est, quàm tibi semper fuerint casus mei. Itaque & Posthumuleno & Sestio, & sapissimè Attico nostro, proximèque Theudæ liberto tuo totum me patefeci: & his singulis sæpe dixi, quacunque re possim, me tibi & liberis tuis satisfacere cupere: idque tu ad tuos velim scribas, hæc quidem certè quæ in potestate mea sunt, vt operam, studium, consilium, rem, fidem meam sibi ad omnes res paratam putent. Si autoritate & gratia tantum possim, quantum in ea Repub. de qua ita meritus sum, posse deberem: tu quoque is esses qui fuisti, cum omni gradu amplissimo dignissimus, tum certè ordinis tui facile princeps. Sed quando eodem tempore, eadèque de causa nostrum vterque cecidit: tibi & illa polliceor, quæ supra scripsi, quæ sunt adhuc mea: & ea quæ præterea videor mihi ex aliqua parte retinere tanquã ex reliquiis pristinae dignitatis. neque enim ipse Cæsar, vt multis rebus intelligere potui, est alienus à nobis: & omnes ferè familiarissimi eius casu deuincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter obseruant & colunt. Itaque si quis mihi erit aditus de tuis fortunis, id est, de tua incolumitate, in qua sunt omnia agendi, quod quidem quotidie magis ex eorum sermonibus adducor vt sperem, agam per me ipse, & moliar. Singula persequi non est necesse: vniuersum studium meum & beneuolentiã ad te defero. Sed magni mea interest, hoc tuos omnes scire: quod tuis literis fieri potest, vt intelligant omnia Ciceronis patere Trebatio. Hoc eò pertinet, vt nihil existiment esse tam difficile, quod non pro te mihi susceptum, iucundum sit futurum. Vale.

M. CICERO TREBATIO S.

ANTEA misissem ad te literas, si genus scribendi inuenirem: tali enim tempore aut consolari amicorum est, aut polliceri. Consolatione non vtebar, quod ex multis audiebam, quàm fortiter, sapienterque ferres iniuriam temporum, quàmque te vehementer consolaretur conscientia factorum & consiliorum tuorum. quod quidem si facis, magnum fructum studiorum optimorum capis, in quibus te scio semper esse versatum: idque vt facias, etiam atque etiam te hortor. Simul & illud tibi homini peritissimo rerum & exemplorum, & omnis vetustatis, ne ipse quidem rudis, sed in studio minus fortasse quàm vellem, at in rebus atque vsu plus etiam quàm vellem, versatus, spondeo, tibi acerbitatem istam & iniuriam non diuturnam fore. Nam & ipse, qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad æquitatem & ad rerum naturam videtur: & ipsa causa ea est, vt iam simul cum Repub. quæ in perpetuum iacere non potest, necessariò reuiuifcat atque recreetur: quotidieque fit aliquid lenius & liberalius, quàm timebamus. Quæ quoniam in temporum inclinationibus sæpe paruis posita sunt: omnia momenta obseruabimus, neque vllum prætermitemus tui iuuandi & leuandi locum. Itaque illud alterum quod dixi, literarum genus quotidie mihi, vt spero, fiet procliuius, vt etiam polliceri possim: id re, quàm verbis, faciam libentius. Tu velim existimes, & plures te amicos habere, quàm qui in isto casu sint ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim: & me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas, E.ii.

& magnum: quod est in vno te. Quæ sunt in fortuna, temporibus regentur, & consiliis nostris prouidebuntur. Vale.

M. CICERO TREBATIO S.

DOLABELLAM antea tantummodo diligebam: obligatus ei nihil eram: nec enim acciderat mihi opus esse: & ille mihi debebat, quod non defueram eius periculis. Nunc tanto sum deuinctus eius beneficio, quod & antea in re, & hoc tempore, in salute tua cumulatissime mihi satisfecit, ut nemini plus debeam. Qua in re tibi gratulor ita vehementer, ut te quoque mihi gratulari, quam gratias agere malim. alterum omnino non desidero: alterum verè facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi virtus & dignitas tua redditum ad tuos aperuit: est tuæ sapientiæ, magnitudinisque animi, quid amiseris, obliuisci: quid recuperaueris, cogitare. Viues cum tuis: viues nobiscum. Plus acquisiisti dignitatis, quam amisisti rei familiaris: quæ ipsa tum esset iucundior, si vlla res esset publica. Nestorius noster familiaris ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere. Hæc prædicatio tua mihi valde grata est: eaque te uti facile patior cum apud alios, tum mehercule apud Syronem nostrum amicum. Quæ enim facimus, ea prudentissimo cuique maximè probata esse volumus. Te cupio videre, quamprimùm. Vale.

M. CICERO AMPIO BALBO S. D.

GRATULOR tibi mi Balbe, verèque gratulor: nec sum tam stultus, ut te vsura falsi gaudii frui velim: deinde frangi repente, atque ita cadere, ut nulla res te ad æquitatem animi postea possit extollere. Egi tuam causam apertius, quam tempora nostra ferebant: vincebatur enim fortuna ipsa debilitate gratiæ nostræ, tui charitate, & meo perpetuo erga te amore, culto à te diligentissime. Omnia promissa, confirmata, certa, & rata sunt quæ ad redditum & salutem tuam pertinent. Vidi, cognoui, interfui. etenim omnes Cæsaris familiares satis opportunè habeo implicatos consuetudine & beneuolentia, sic, ut cum ab illo discesserint, me proximum habeant. Hoc Panfa, Hircius, Balbus, Oppius, Marius, Posthumius, planè ita faciunt, ut me vnicè diligant, quod si mihi pro me efficiendum fuisset, non me pœniteret pro ratione temporum ita esse molitum. Sed nihil est à me inferuitum temporis causa. Veteres mihi necessitudines cum his omnibus intercedunt, quibuscum ego agere de te non destiti. Principem tamè habuimus Panfam, tui studiosissimum, mei cupidum: qui valet apud illum non minus autoritate, quam gratia. Cimber autem Tullius mihi planè satisfecit. Valent tamen apud Cæsarem non tam ambitiosæ rogationes, quam necessariæ: quas quia Cimber habebat, plus valuit, quam pro vilo alio valere potuisset. Diploma statim non est datum, quod mirifica est improbitas in quibusdam, qui tulissent acerbius veniam tibi dari, quem illi appellant tubam belli ciuili: multaque ita dicunt, quasi non gaudeant id bellum incidisse. Quare visum est occultius agendum, neque vilo modo diuulgandum, de te iam esse perfectum: sed id erit perbreui: nec dubito quin legente te has literas, cõfecta iam res futura sit. Pansa quidem mihi grauis homo & certus, non solum confirmauit, verum etiam recepit, perceleriter se ablaturum diploma. Mihi tamè placuit, hæc ad te perscribi. minus enim te firmum sermo Apuleiæ tuæ, lachrymæque Ampia declarabant, quam significant literæ tuæ. Atque illæ arbitrabatur, cum à te abessent ipsæ, multo in grauiore te cura futurum. Quare magnopere putavi, angoris & doloris tui leuandi causa, pro certis ad te ea quæ essent certa, perscribi oportere. Scis me antea sic solitum esse scribere ad te, magis ut consolarer fortem virum atque sapientem, quam ut exploratam spem salutis ostenderem, nisi eam, quam ab ipsa Rep. cum hic ardor extinctus esset, sperari oportere censerem. Recordare tuas literas, quibus & magnam animam mihi semper ostendisti, & ad omnes casus ferendos constantem atque paratum. Quod ego non mirabar, cum recordarer te & à primis temporibus ætatis in Repub. esse versatum, & tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse salutis, fortunarumque communium: & in

hoc ipsum bellum esse ingressum, non solum ut victor beatus, sed etiam, si ita accidisset, victus ut sapiens esses. deinde, cum studium tuum consumas in virorum fortium factis memoriæ prodendis, considerare debes, nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum quos laudas, non te similem præbeas. Sed hæc oratio magis esset apta ad illa tempora quæ iam effugisti. Nunc verò tantum te para ad hæc nobiscum ferenda: quibus ego siquam medicinam inuenirem, tibi quoque eandem traderem. Sed est vnum perflugium, doctrina ac literæ, quibus semper vsi sumus: quæ secundis rebus delectationem modò habere videbantur, nunc verò etiam salutem. Sed ut ad initium reuertar, caue dubites quin omnia de salute ac reditu tuo perfecta sint. Vale.

M. CICERO Q. LIGARIO S. D.

ETSI tali tuo tempore me aut consolandi, aut iuuandi tui causa scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat: tamen adhuc id non feci, quia neque lenire videbar oratione, neque leuare posse dolorem tuum. Postea verò quam magnam spem habere cœpi, fore ut te breui tempore incolumem haberemus: facere non potui, quin tibi & sententiam & voluntatem declararem meam. Primum igitur scribam quod intelligo & perspicio, non fore in te Cæsarem duriores. nam & res eum quotidie, & dies, & opinio hominum, & ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit: idque cum de reliquis sentio, tum de te etiam audio ex familiarissimis eius: quibus ego ex eo tempore, quo primùm ex Africa nuntius venit, supplicare vnà cum fratribus tuis non destiti. quorum quidem & virtus, & pietas, & amor in te singularis, & assidua & perpetua salutis tuæ cura tantum proficit, ut nihil sit quod non ipsum Cæsarem tributurum existimem. Et si tardius sit quam volumus: magnis occupationibus eius, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliore fuerunt: & simul Africanæ causæ iratior, diutius velle videtur eos habere sollicitos, à quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum. Sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissius & placatius ferre. Quare mihi crede, & memoriæ manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestiis diutius non futurum. Quando quid sentirem, exposui: quid velim tua causa, re potius declarabo, quam oratione. Et si tantum possem, quatum in ea Repub. de qua ita meritus sum, ut tu existimas, posse debere: ne tu quidem in istis incommodis esses. Eadem enim causa opes meas fregit, quæ tuam salutem in discrimen adduxit. Sed tamen quicquid imago veteris meæ dignitatis, quicquid reliquæ gratiæ valebunt: studium, consilium, opera, gratia, fides mea nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti: primùm ob eas causas, quas scripsi: deinde, quod ea de Rep. semper voluisti atque sensisti, ut non modò nunc secunda sperare debeas, sed etiam, si omnia aduersa essent, tamen conscientia & factorum & consiliorum tuorum, quæcunque acciderent, fortissimo & maximo animo ferre deberes. Vale.

M. CICERO Q. LIGARIO S. D.

ME scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere. nam cum te semper maximè dilexi, tum fratrum tuorum, quos æquè atque te, summa beneuolentia sum cõplexus, singularis pietas, amorque fraternus nullum me patitur officii erga te, studiique munus aut tempus prætermittere. Sed quæ faciã, fecerimque pro te, ex illorum te literis, quam ex meis malo cognoscere. Quid autem sperem, aut confidam, & exploratum habeam de salute tua, id tibi à me declarari volo. Nam si quisquam est timidus in magnis, periculosisque rebus, semperque magis aduersos rerum exitus metuens, quam sperans secundos, is ego sum: & si hoc vitium est, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen cum ad i. i. Calend. intercalareis priores rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Cæsarem: atque omnem adeundi & conueniendi illius indignitatem & molestiam pertulissem: cum fratres & propinqui tui iacerent ad pedes, & ego essem locutus, quæ causa, quæ tuum tempus postulabat: non solum ex oratione Cæsaris, quæ sanè mollis & liberalis fuit, sed etiam ex oculis, & vultu, &

multis præterea signis, quæ facilius perspicere potui, quàm scribere, hæc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. Quamobrem fac animo magno, fortique sis: & si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora latè feras. Ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis: neque Cæsari solùm, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognoui, pro te, sicut adhuc feci, libentissimè supplicabo. Vale.

CICERO BASILIO S.

TIBI gratulor: mihi gaudeo. te amo: tua tueor. A te amari, & quid agas, quidque istic agatur, certior fieri volo. Vale.

BITHYNICVS CICERONI S.

SI mihi tecum nõ & multæ & iustæ causæ amicitia priuatim essent, repeterem initia amicitia ex parentibus nostris: quod faciendum iis existimo, qui paternam amicitiam nullis ipsi officiis profecuti sunt. Itaque contentus ero nostra ipsorum amicitia: cuius fiducia peto à te, ut absentem me, quibuscunque in rebus opus fuerit, tueare, si nullum officium tuum apud me intermoriturum existimas. Vale.

M. CICERO BITHYNICO S.

CVM cæterarum rerum causa cupio esse aliquando Rempub. constitutam: tum velim, mihi credas, accidere id etiam, quò magis expetam promissum tuum quo in literis vteris: scribis enim, si ita sit, te mecum esse victurum. Gratissima mihi tua voluntas est: facisque nihil alienum necessitudine nostra, iudiciisque patris tui de me, summi viri. nam sic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus valuerunt, aut valeant, coniunctiores tecum esse, quàm me, necessitudine neminem. Quamobrem grata mihi est & memoria tua nostræ coniunctionis, & eius etiam augendæ voluntas. Vale.

M. CICERO LEPTAE S. D.

SI MVLT accipi à Seleuco tuo literas, statim quæsiui è Balbo per codicillos, quid esset in lege. rescriptit, eos, qui facerent præconium, vetari esse in decurionibus: qui fecissent, non vetari. Quare bono animo sint & tui & mei familiares: neque enim erat ferendum, cum, qui hodie aruspicinam facerent, in Senatu Romæ legeretur: eos, qui aliquando præconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere. De Hispaniis noui nihil: magnum tamen exercitum Pompeium habere constat: nam Cæsar ipse ad nos misit exemplum Patieti literarum, in quo erat, illi x i. esse legiones. scripserat etiam Messala Q. Salasso, Q. Curtium fratrem eius, iussu Pompeii, inspectante exercitu interfectum, quod consensisset cum Hispanis quibusdam, si in oppidum nescio quod Pompeius rei frumentariæ causa venisset, eum comprehendere, ad Cæsaremque deducere. De negotio tuo, quod sponsores pro Pompeio: si Balbus cõsponsores tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non desinam cum illo communicare, si quid expediri possit: quod videbatur mihi ille confidere. Oratorem meum tantopere à te probari, vehementer gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, me, quicquid habuerim iudicii de dicendo, in illum librum contulisse. qui si est talis, qualè tibi videri scribis, ego quoque aliquid sum: sin aliter, non recuso, quin quantum de illo libro, tantundem de mei iudicii fama detrahatur. Leptam nostrum cupio delectari iam talibus scriptis: etsi abest maturitas ætatis, iã tamen personare aureis eius huiusmodi vocibus non est inutile. Me Romæ tenuit omnino Tullia mea partus. sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit: teneor tamen, dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem. & mehercule non tam sum peregrinator iam, quàm solebam. ædificia mea me delectabant, & otium: domus est, quæ nulli villarum mearum cedat: otium omni desertissima regione maius. Itaque ne literæ quidem meæ impediuntur: in quibus sine vlla interpellatione versor. Quare, ut arbitror, prius hinc te nos, quàm istic tu nos videbis. Lepta suauissimus ediscat Hesiodum: & habeat in ore, Τῆς ἰσοπέρας ἰσοπέρας.

CICERO LEPTAE S.

MACVLAM officio functum esse gaudeo. eius salernum mihi semper idoneum visum est diuersorio, si modò recti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. cæteroqui is mihi locus non displicet: nec ea re Petrinum tuum deseram. nam & villa, & amœnitas illa commorationis est, non diuersorii. De curatione aliqua munerum regionum cum Oppio locutus sum: nam Balbum, posteaquã tu es profectus, non vidi. tantis pedum doloribus afficitur, ut se conueniri nolit. Omnino de tota re, ut mihi videris, sapientius faceres, si non curares. quod enim eo labore assequi vis, nullo modo assequere. tanta est enim intimorum multitudo, ut ex his potius aliquis effluat, quàm nouo sit aditus, præsertim qui nihil afferat præter operam, in qua ille se dedisse beneficium putabit (si modò ipsum sciet) non accepisse. Sed tamè aliquid videbimus, in quo sit spes, aliter quidem non modò non appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat. Vale.

CICERO THORANIO S.

DEDERAM triduo antè pueris Cn. Plancii literas ad te: eò nunc ero breuior: tēque, ut antea consolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse vtilius, quàm ibidem operiri, quoad scire possis, quid tibi agendum sit. nam præter nauigationis longæ & hyemalis, & minimè portuosæ periculum, quod vitaueris, ne illud quidè non, quavis subito, cum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci. Nihil est præterea cur aduenientibus te offerre gestias. Multa præterea metuo, quæ cum Chilone nostro comunicauit. Quid multa? loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te, quocunque opus erit, facillimè & expeditissimè conferas. Quòd si recipiet ille se, ad tempus aderis. sin (quoniam multa accidere possunt) aliqua res eum vel impediet, vel morabitur, tu ibi eris, vbi omnia scire possis. hoc mihi prorsus valde placet. De reliquo ut te sæpe per literas hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere quod timendum sit, præter communem casum ciuitatis: qui etsi est grauissimus, tamè ita viximus, & id ætatis iam sumus, ut omnia quæ non nostra culpa nobis accidēt, fortiter ferre debeamus. Hinc tui omnes valent, summaque pietate te desiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura ut valeas, & te istinc ne temerè commoueas.

CICERO THORANIO S. D.

ETSI cum hæc ad te scriberè, aut appropinquare exitus huius calamitosissimi belli, aut iam aliquid actum & confectum videbatur: tamen quotidie commemorabam, te vnum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi: solòsque nos vidisse quatum esset in eo bello mali, in quo spe pacis exclusa, ipsa victoria futura esset acerbissima, quæ aut interitum allatura esset, si victus esses: aut, si vicisses, feruitutem. Itaque ego quæ tum fortes illi viri & sapientes, Domitii & Lentuli timidum esse dicebant (& eram plane: timebam enim ne euenirent ea quæ acciderunt) idem nunc nihil timeo, & ad omnem euentum paratus sum. cum aliquid videbatur cauere posse, tum id negligi debebam. nunc verò euersis omnibus rebus, cum consilio profici nihil possit, vna ratio videtur, quicquid euenerit, ferre moderatè: PRÆSERTIM cum omnium rerum mors sit extremum: & mihi sim conscius, me, quoad licuerit, dignitati Reip. consuluisse: & hac amissa, salutem retinere voluisse. Hæc scripsi, non ut de me ipse dicerem, sed ut tu, qui coniunctissima fuisti mecum & sententia & voluntate, eadè cogitares. MAGNA enim consolatio est, cum recordare, etiam si secus acciderit, te tamen rectè, verèque sensitisse. Atque vtinam liceat aliquando aliquo Reip. statu nos frui, interque nos conferre solitudines nostras, quas pertulimus tum, cum timidi putabamur, quia dicebamus ea futura quæ facta sunt. De tuis rebus nihil esse quod timeas, præter vniuersæ Reip. interitum, tibi confirmo. De me autem sic velim iudices, quantum ego possim, me tibi, salutis tuæ, liberisque tuis summo cum studio præsto semper futurum. Vale.

E.iiii.

CICERO DOMITIO S. D.

NON ea res me deterruit, quo minus, posteaquam in Italiã venisti, literas ad te mitterem, quòd tu ad me nullas miseris: sed quia nec quid tibi pollicerer, ipse egens rebus omnibus: nec quid suaderẽ, cum mihi metipsum consilium deesset: nec quid consolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. Hęc quãquam nihilo meliora sunt, nũc etiam atque etiã multò desperatiora: tamẽ inaneis esse meas literas, quàm nullas, malui. Ego si te intelligerẽ plus conatũ esse suscipere Reip. causa muneris, quàm quantum præstare potuisses, tamen quibuscũque rebus possem, ad eam conditionẽ te viuendi, quã daretur, quãque esset, hortarer. Sed cum cõsiliũ tu bene, fortiterque suscepti eum tibi finẽ statueris, quem ipsa fortuna terminũ nostrarum contentionum esse voluisset: oro, obtestorque te pro nostra vetere cõiunctione ac necessitudine, próque summa mea in te beneuolẽtia, & tua in me pari, te vt nobis, parenti, coniugi, tuisque omnibus, quibus es, fuisque semper charissimus, saluũ conserues: incolumitati tuã, tuorumque qui ex te pendent, consulas: quã didicisti, quãque ab adolescẽtia pulcherrimẽ à sapientissimis viris tradita, memoria & scientia cõprehendisti: iis hoc tempore vtare: quos cõiunctos summa beneuolẽtia, plurimisque officiis amisisti, eorum desiderium, si non æquo animo, at forti feras. Ego quid possim, nescio, vel potius me parũ posse sentio: illud tamen tibi polliceor, me, quãcũque salutem, dignitatẽque tuã conducere arbitrabor, tãto studio esse facturum, quãto semper tu & studio & officio in meis rebus fuisti. Hanc meam voluntatẽ ad matrem tuam optimam fœminam, tuque amatissimam detuli. Siquid ad me scripseris, ita faciã, vt te velle intellexero: sin tu minus scripseris, ego tamẽ omnia, quã tibi vtilia esse arbitrabor, summo studio, diligentiaque curabo. Vale.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD MARIVM,
ET ALIOS LIBER VII.

M. CICERO M. MARIO S. D.



TE dolor aliquis corporis, aut infirmitas valetudinis tuã tenuit: quò minus ad ludos venires: fortunã magis tribuo, quàm sapientiã tuã. sin hęc, quã ceteri mirantur, contẽnenda duxisti, & cum per valetudinem posses, venire tamen noluisti: vtrũque lator, & sine dolore corporis te fuisse, & animo valuisse, cum ea, quã sine causa mirantur alii, neglexeris: modò vt tibi cõstiterit fructus otii tui, quo quidem tibi perfrui mirificẽ licuit, cum esses in ista amœnitate penẽ solus relictus. Neque tamẽ dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianũ perforasti, & patefecisti Seganum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris, cum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communeis mimos semisomni. Reliquas verò parteis diei tu consumebas iis delectationibus, quas tibi ipsi ad arbitrium tuum compararas. nobis autem erãt ea perpetienda, quã scilicet P. Metius probauisset. Omnino, si quãris, ludi apparatusissimi, sed non tui stomachi: cõiecturam enim facio de meo. nam primũ honoris causa in scenã redierant ii, quos ego honoris causa de scena decessisse arbitrabor. delicia verò tuã noster AEsopus eiusmodi fuit, vt ei desinere per omnes homines liceret. is iurare cum cœpisset, vox eũ defecit in illo loco, sicut sciens fallo. Quid tibi ego alia narrem? nosti enim reliquos ludos, quid? ne id quidem lepõris habuerũt, quod solent mediocres ludi. apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem: quo quidem apparatu nõ dubito quin animo æquissimo carueris. Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytemnestra: aut in Equo Troiano craterarũ tria milia: aut armatura varia peditatus & equitatus in aliqua pugna: quã popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent. Quòd si tu per eos dies

operam dedisti Protogeni tuo: dum modo is tibi quiduis potius, quàm orationes meas legerit: nã tu haud paulò plus, quàm quisquam nostrũm, delectationis habuisti. non enim te puto Grãcos, aut Oscos ludos desiderasse: præsertim cum Oscos ludos vel in Senatu nostro spectare possis, Grãcos verò ita nõ ames, vt ne ad villam quidem tuam via Græca ire soleas. Nam quid ego te athletas putem desiderare, qui gladiatores contempseris: in quibus ipse Pompeius confitetur se & operam & oleum perdidisse. reliquã sunt venationes binã per dies quinque, magnificã, nemo negat. sed quã potest esse homini politico delectatio, cum haud homo imbecillus à valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulo transuerberatur? Quã tamen si videnda sint, sæpẽ vidisti: neque nos, qui hęc spectauimus, quicquam noui vidimus. Elephantorum extremus dies fuit: in quo admiratio magna vulgi, atque turbã, delectatio nulla extitit: quinetiam misericordia quãdam consecuta est, atque opinio eiusmodi, esse quandam illi belluã cum genere humano societã. His ego tamen diebus, ludis scenicis, ne fortẽ videar tibi nõ modò beatus, sed liber omnino fuisse, dirupi penẽ me in iudicio Galli Caninii familiaris tui, quòd si tam facilem populum haberem, quàm AEsopus habuit, libẽter mehercule artem desinerem, tecũque & cum similibus nostri viuerem: nam me cum antea tãdebat, cum & atas & ambitio hortabãtur, & licebat denique, quem nolebam, non defendere: tum verò hoc tempore vita nulla est. neque enim fructũ vllum laboris expecto: & cogor nonnunquam homines non optimẽ de me meritos, rogatu eorum qui bene meriti sunt, defendere. Itaque quãro causas omnes aliquando viuendi arbitrato meo: tẽque, & istam rationẽ otii tui & laudo vehementer, & probo: quòdque nos minus interuisis, hoc fero animo æquiore: quòd si Romã esses, tamen neque nos lepõre tuo, neque te, si quis est in me, meo frui liceret propter molestissimas occupationes meas: quibus si me relaxaro (nam vt planẽ exoluã, non postulo) te ipsum quidem qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profectò quid sit humaniter viuere. Tu modò istam imbecillitatem valetudinis tuã sustenta, & tuere vt facis: vt nostras villas obire, & mecum simul lecticula concurrere possis. Hęc ad te pluribus verbis scripsi, quàm soleo, non otii abundantia, sed amoris erga te, quòd me quadã epistola subinuitaras, si memoria tenes, vt ad te aliquid eiusmodi scriberem, quo minus te pratermisisse ludos pœniteret. Quòd si assecutus sum, gaudeo: sin minus, hoc me tamen consolabor, quòd posthac ad ludos venies, nõsque vides, neque in epistolis relinques meis spem aliquam delectationis tuã. Vale.

M. CICERO M. MARIO S. D.

MANDATVM tuum curabo diligenter. Sed homo acutus ei mandasti potissimum cui expediret, illud vãnire quam plurimo. Sed eò vidisti multum, quòd prænististi, quòd ne plaris emerem. Quòd si mihi permisisses: qui meus amor in te est, cõfecissem cum cohæredibus. Nunc quando tuum pretium noui, licitatore potius apponam, quàm illud minoris vaneat. Sed de ioco satis est: tuum negotium agã, sicuti debeo, diligenter. De Bursa te gaudere certò scio: sed nimis verecundẽ mihi gratularis: putas enim, vt scribis, propter hominis sordes minus me magnam illam lætitiã putare. Credas mihi velim, magis me iudicio hoc, quàm morte inimici lætatum. Primũ enim iudicio malo, quàm gladio: deinde gloria potius amici, quàm calamitate. In primisque me delectauit, tantum studium bonorum in me extitisse contra incredibilem contentionẽ clarissimi ac potētissimi viri. Postremò, quòd vix verisimile fortasse videatur, oderã multò peius hunc, quàm illum ipsum Clodium. illum enim oppugnaram, hũc defenderam. Et ille cum omnis Resp. in meo capite discrimẽ esset habitura, magnum quiddam spectauit, nec sua quidem spõte, sed eorum auxilio, qui me stante stare non poterant. Hic simiolus animi causa, me, in quẽ inueheretur, delegerat: persuaferãtque nonnullis inuidis meis, se in me emissarium semper fore. Quamobrem valde iubeo gaudere te. magna res gesta est: nunquam vlli fortiores ciues fuerunt, quàm qui ausi sunt

eum contra tantas opes eius, à quo ipsi lecti iudices erant, cōdemnare. Quod fecissent nunquam, nisi iis dolori meus fuisset dolor. Nos hīc multitudine & celebritate iudiciorum, & nouis legibus ita distinemur, vt quotidie vota faciamus ne intercaletur, vt quamprimum te videre possimus. Vale.

M. CICERO M. MARIO S. D.

PER SAEPE mihi cogitāti de communibus miseriis, in quibus tot annos versamur, & (vt video) versabimur, solet in mentem venire illius temporis, quo proximè fuimus vnā: quinetiam ipsum diem memoria teneo. Nam ad I I I. Id. Maias, Lentulo & Marcello Coss. cum in Pompeianum vesperi venissem, tu mihi sollicito animo praesto fuisti. Sollicitum autem te habebat cogitatio tum officii, tum etiam periculi mei. Si manerem in Italia, verebare, ne officio deessem: si proficiscerer ad bellū, periculum te meū commouebat. Quo tempore vidisti profectō me quoque ita conturbatum, vt non explicarem quid esset optimū factū: pudori tamen malui, famāque cedere, quā salutis meae rationem ducere. Cuius me mei facti poenituit, non tam propter periculum meum, quā propter vitia multa, quae ibi offendi, quō veneram. primū neque magnas copias, neque bellicosas: deinde extra ducem, paucosque praeterea (de principibus loquor) reliqui primū in ipso bello rapaces. deinde in oratione ita crudeles, vt ipsam victoriā horrerem. maximum autē as alienum amplissimorum virorum. quid quaris: nihil boni praeter causam. Quae cum vidissem, desperans victoriā, primū coepi suadere pacem, cuius fueram semper author: deinde cum ab ea sententia Pompeius valde adhorreret, suadere institui vt bellum duceret. Hoc interdum probabat, & in ea sententia videbatur fore: & fuisset fortasse, nisi quadam ex pugna coepisset suis militibus confidere. Ex eo tempore vir ille summus, nullus imperator fuit. Signatirone & collectio exercitu cum legionibus robustissimis contulit. victus turpissimè amissis etiam castris, solus fugit. Hunc ego belli mihi finem feci: nec putavi, cum integri pares non fuisset, fractos superiores fore. Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas infidias incidendum, aut deueniendum in victoris manus, aut ad Iubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut cōsciscenda mors volūtaria. Certè nihil fuit praeterea, si te victori nolles, aut non auderes committere. Ex omnibus autem iis quae dixi, incommodis, nihil tolerabilius exilio, praesertim innocenti, vbi nulla adiuncta est turpitudine: addo etiam, cum ea vrbe careas, in qua nihil sit quod videre possis sine dolore. Ego cum meis (si quicquam nunc cuiuspiā est) etiam in meis esse malui. quae acciderunt, omnia dixi futura. veni domum, non quod viuendi conditio esset, sed tamen si esset aliqua forma Reip. tāquam in patria vt essem: si nulla, tāquam in exilio. Mortem mihi cur consciscerē, causa nulla visa est: cur optarem, multae. vetus est enim, VBI non sis qui fueris, non esse cur velis viuere. Sed tamen VACARE culpa, magnum est solatium: praesertim cum habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum artium scientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi viuo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem. Hae ad te scripsi verbosus: & tibi molestus fui, quod te cum mei, tum Reip. cognoui amantiissimum. notum tibi omne consilium meum esse volui, vt primū scires me nunquam voluisse plus quēquam posse, quā vniuersam Rempub. postea autem quā alicuius culpa tantum valeret vnus, vt obsisti non posset, me voluisse pacem: amisso exercitu, & eo duce in quo spes fuerat vno, me voluisse etiam reliquis omnibus, postquam non potuerim, mihi ipsi finem fecisse belli. Nunc autem si haec ciuitas est, ciuem esse me: si non exulem esse non incommodiore loco, quā si me Rhodum, aut Mytilenas contulissem. Hae tecum coram malueram: sed quia longius fiebat, volui per literas eadem: vt haberes quid diceres, siquādo in vituperatores meos incidisses. sunt enim, qui cum meus interitus nihil fuerit Reip. profuturus, criminis loco putent esse quod viuam. Quibus ego certò scio non videri fatis multos perisse: qui si me audissent, quanuis iniqua pace,

honestā tamen viuerent: armis enim inferiores, non causa fuissent. Habes epistolam verbosiorē fortasse quā velles. quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorē remiseris. Ego si quae volo expedierō, breui tempore te, vt spero, videbo. Vale.

M. CICERO M. MARIO S. D.

AD VIII. Cal. in Cumanum veni cum Libone tuo, vel nostro potius. in Pompeianum statim cogito: sed faciam te antè certiorē. Te cum semper valere cupio, tum certè, dum hīc sumus: vides enim quanto post vnā futuri sumus. Quare si quod constitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas. Cura igitur vt valeas: & me hoc biduo aut triduo expecta. Vale.

M. T. CICERO C. CAESARI IMP. S.

VIDE quā mihi persuaserim, te me esse alterū, non modò in iis rebus quae ad me ipsum, sed etiam in iis quae ad meos pertinent. C. Trebatium cogitarem, quocunque exirem, mecum ducere, vt eum meis omnibus studiis & beneficiis quam ornatiissimum domum reducerem. Sed posteaquam & Pompeii commoratio diuturnior erat, quā putarem, & mea quaedā tibi non ignota dubitatio aut impedire profectioem meam videbatur, aut certè tardare: vide quid mihi sumpserim: coepi velle ea Trebatium expectare à te, quae sperasset à me: neque mehercule minus ei prolixè de tua voluntate promisi, quā eram solitus de mea polliceri. Casus verò mirificus quidē interuenit quasi vel testis opinionis meae, vel sponsor humanitatis tuae. nam cum de hoc ipso Trebatium cum Balbo nostro loquerer accuratius domi meae, literae mihi dantur à te, quibus in extremis scriptum erat, M. Furium, quem mihi commendas, vel Regem Galliae faciam, vel Leptae legatum: si vis tu, ad me alium mitte, quem ornem. Sustulimus manus & ego & Balbus: tanta fuit opportunitas, vt illud nescio quid non fortuitum, sed diuinum videretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, vt initio mea sponte, post autem inuitatu tuo mittendum duxerim. Hunc mihi Caesar sic velim omni tua comitate complectare, vt omnia quae per me possis adduci, vt in meos conferre velis, in vnum hunc conferas. de quo tibi homine hoc spondeo, non illo vetere verbo meo, quod, cum ad te de Milone scripsissem, iure lusisti, sed more Romano, quomodo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. Accedit etiam, quod familiam ducit in iure ciuili singularis memoria, summa scientia. Huic ego neque Tribunatum, neque praefecturam, neque vllius beneficii certum nomen peto: benevolentiam tuam & liberalitatem peto: neque impedio quo minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornēs gloriolae insignibus. Totum denique hominem tibi trado de manu (vt aiunt) in manum tuam istam & victoria & fide praestantem. Sumus enim putidiusculi, quā per te vix licet: verum, vt video, licebit. Cura vt valeas: & me, vt amas, ama.

M. CICERO TREBATIO S. D.

IN omnibus meis epistolis, quas ad Caesarem, aut ad Balbum mitto, legitima quaedam est accessio commendationis tuae: nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni indicio meae erga te benevolentiae. Tu modò ineptias istas, & desideria Urbis & vrbانيتatis depone: & quo consilio profectus es, id assiduitate & virtute consequere. Hoc tibi tā ignoscemus nos amici, quā ignouerunt Medae, quae Corinthi arcem altam habebat, matronae opulente optimates: quibus illa manibus gypsatis per-suasit, ne sibi illae vitio verterent, quod abesset à patria. Nam M V L T I suam rem bene gessere, & publicam patria procul: Multi qui domi atatem agerent, propterea sunt improbat. Quo in numero tu certè fuisses, nisi te extrusissemus. Sed plura scribemus alias. tu qui ceteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caueto: & quando Medeam agere coepi, illud semper memento, Q V I ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. Cura vt valeas.

M. CICERO TREBATIO S. D.

EGO te commendare non desisto: sed quid proficiam ex te scire cupio. Spem maximam habeo in Balbo: ad quem de te diligentissimè & sèpissimè scribo. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas literas, quoties à Q. fratre mihi afferuntur. In Britannia nihil esse audio neque auri, neque argenti. id si ita est, essedum aliquod suadeo rapias, & ad nos quamprimùm recurras. sin autè (sine Britannia tamen) assequi id quod volumus, possumus: perfice vt sis in familiaribus Cæsaris. multùm enim te in eo frater adiuuabit meus, multùm Balbus: sed mihi crede, tuus pudor & labor plurimùm. Imperatorem liberalissimum habes, ætatem opportunissimam, commédationem certè singularem: vt tibi vnum timendum sit, ne ipse tibi defuisse videare. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

SCRIPSIT ad me Cæsar perhumaniter nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certè fore. Cui quidè ego rescripsi, quàm mihi gratum esset futurum, si quamplurimùm in te studii, officii, liberalitatis suæ contulisset. sed ex tuis literis cognoui præproperam quandam festinationem tuam: & simul sum admiratus, cur Tribunatus commoda, dempto præsertim labore militiæ, contempseris. Querar cum Vacerra & Manilio: nam Cornelio nihil audeo dicere: cuius tu periculo stultus es, quando te ab eo sapere didicisse profiteris. Quin tu vrges istam occasionè & facultatem, qua melior nunquam reperietur. Quod scribis de illo Prætiano iureconsulto, ego te ei non desino commendare. scribit etiam ipse mihi, te sibi gratias agere debere, de eo quid sit, cura vt sciam. Ego vestras Britannicas literas expecto. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

IANDIV ignoro quid agas: nihil enim scribis: neque ego ad te his duobus mēsis scripseram, quia cum Q. fratre meo non eras: quò mitterem, aut cui darem, nesciebā. Cupio scire quid agas, & vbi sis hyematurus: equidem velim cum Cæsare: sed ad eum, propter eius occupationes nihil sum ausus scribere: ad Balbum tamen scripsi. Tu tibi deesse noli, ferius potius ad nos, dum plenior. Quòd huc properes, nihil est, præsertim Vacerra mortuo. sed tibi consilium non deest. quid constitueris, cupio scire. Cn. Octavius, tuus familiaris, summo genere natus, terræ filius, is me, quia scit tuam familiarem esse, crebrò ad cœnam inuitat: adhuc non potuit perducere: sed mihi tamen gratum est. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

LEGI tuas literas: ex quibus intellexi te Cæsari nostro valde iureconsultum videri. Est quod gaudeas, te in ista loca venisse, vbi aliquid sapere viderere. Quòd si in Britanniam quoque profectus esses, profectò nemo in illa tanta insula peritior te fuisset. Veruntamen (rideamus licet: sum enim à te inuitatus) subinuideo tibi, vltro te etiam accersitum ab eo, ad quem cæteri, non propter eius superbiam, sed propter occupationem, aspirare nō possunt. Sed tu in ista epistola, nihil mihi scripsisti de tuis rebus, quæ mehercule mihi non minori curæ sunt quàm meæ. Valde metuo, ne frigeas in hybernis: quamobrem camino luculento vtendum censeo. Idem & Mutio & Manilio placebat, præsertim qui sagis non abundares: quanquam vos nūc istic satis calere audio: quo quidem nuntio valde mehercule de te timueram. Sed tu in re militari multò es cautiore, quàm in aduocationibus: qui neque in Oceano natate volueris studiosissimus homo natādi: neque spectare essedarios, quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus. Sed iam satis iocati sumus. Ego de te ad Cæsarem quàm diligenter scripserim, tute scis: quàm sæpe, ego. Sed mehercule iam intermiseram, ne videret liberalissimi hominis, meique amantiissimi voluntati erga me diffidere. Sed tamen his literis, quas proximè dedi, putavi esse hominem commonendum. id feci. Quid proferim, facias me velim certiore, & simul de toto statu tuo, consiliisque omnibus: scire enim cupio, quid agas, quid expectes, quàm longum istum tuum discessum à nobis

futurum putes. sic enim tibi persuadeas velim, vnum mihi esse solatium, quare facilius possim pati te esse sine nobis, si tibi esse id emolumento sciam. sin autè id non est, nihil duobus nobis est stultius: me, qui te non Romam attraham: te, qui non huc aduoles. Vna mehercule nostra vel seuera vel iocosa congressio pluris erit, quàm non modò hostes, sed etiam fratres nostri Edui. Quare omnibus de rebus fac vt quamprimùm scia: aut consolando, aut consilio, aut re iuvero. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

NISI antè Roma profectus esses, nunc eam certè relinqueres. quis enim tot interregnis iureconsultum desiderat? Ego omnibus, vnde petitur, hoc consilii dederim, vt à singulis interregibus binas aduocationes postulent. Satisne tibi videor abs te ius ciuile didicisse? Sed heus tu, quid agis? ecquid fit? Video enim te iam iocari per literas. hæc signa meliora sunt, quàm in meo Tusculano. sed quid sit, scire cupio. Consuli quidem te à Cæsare scribis: sed ego tibi ab illo consuli mallem. quod si aut fit, aut futurum putas, perfer istam militiam, & permane: ego enim desiderium tui spe tuorum commodorum cōsolabor. Sin ista sunt inaniora, recipe te ad nos: nam aut erit hîc aliquid aliquādo: aut si minus, vnà mehercule collocutio nostra pluris erit, quàm omnes Samiarobrinæ. denique si te citò retuleris, sermo nullus erit: sin frustra diutius abfueris, non modò Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco: mira enim persona induci potest Britannici iureconsulti. Hæc non rideo, quanuis tu rideas: sed de re seuerissima tecum, vt soleo, iocor. Remoto ioco, tibi hoc amicissimo animo præcipio, vt si istic mea cōmendatione tuam dignitatem obtinebis, perferas nostri desiderium, honestatem & facultates tuas augeas. sin autem ista frigeant, recipias te ad nos. omnia tamen quæ vis, & tua virtute profectò, & nostro summo erga te studio consequere. Vale.

M. CICERO TREBATIO S. D.

MIRABAR quid esset, quòd tu mihi literas mittere intermisisses. indicauit mihi Pāfa meus Epicureum te esse factum. O' castra præclara: quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobrinam misissem? iam tum mihi non placebas, cum idem intuebare, quod & Titius familiaris meus. Sed quonam modo ius ciuile defendes, cum omnia tua causa facias, non ciuium? vbi porro illa erit formula fiduciæ, vt inter bonos, bene agier oportet? Quis enim est bonus, qui facit nihil, nisi sua causa? quod ius statues cōmuni diuidendo, cum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? quomodo autè tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum scias Iouem iratum esse nemini posse? Quid fiet porro populo Vlubrano, si tu statueris πολιτεύεσθαι non oportere? Quare si planè à nobis defcis, molestè fero: sin Pāsæ assentari commodum est, ignosco: modò scribas aliquando ad nos quid agas, & à nobis quid agi, quid fieri, aut curari velis. Vale.

M. CICERO TREBATIO S. D.

ADEONE me iniustum esse existimasti, vt tibi irascerer, quòd parum mihi constans, & nimium cupidus decedendi viderere, ob eamque causam me arbitrarere literas ad te iandiu non misisse? Mihi perturbatio animi tui, quam primis literis perspiciebam, molestiā attulit: neque alia fuit vlla causa intermissionis literarum, nisi quòd vbi esses, planè nesciebam. Hîc tu me etiam infimulas, nec satisfactionem meam accipis. Audi mi Testa: vtrum superiorè te pecunia facit, an quòd te imperator consulit? Moriar, ni (quæ tua gloria est) puto te malle à Cæsare consuli, quàm inaurari. Si verò vtrunque est: quis te feret præter me, qui omnia ferre possum? Sed vt ad rem redeam, te istic inuitum non esse vehementer gaudeo: & vt illud erat molestum, sic hoc est iucundum. Tantùm metuo, ne artificium tuum tibi parum profit. nam, vt audio, istic Non ex iure manu confertum, sed mage ferro

Rem repetunt. Et tu soles ad vim faciendam adhiberi? Neque est, quòd illam exce-

ptionem in interdicto pertimescas, quod tu prior vi hominibus armatis conueneris. scio enim te non esse procacem in laceffendo. Sed ut ego quoque te aliquid de nostris cautionibus admoneam, Treuiros vites cenfeo: audio capitales esse: malle auro, argento, ære essent. sed aliàs iocabimur. Tu ad me de istis rebus omnibus scribas velim quam diligentissimè. Ad III. Non. Mart. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

CHRYSIPPVS Vectius Cyri architecti libertus fecit, ut te non immemorem putarem mei: salutem enim mihi verbis tuis nuntiauit. Valde iam lautus es, qui grauere literas ad me dare, homini præsertim propè domestico. Quod si scribere oblitus es, minus multi iam te aduocato causa cadet: sin nostri oblitus es, dabo operam ut istuc veniam antè, quàm planè ex animo tuo effluam: sin æstiuorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britània. Illud quidem perlibenter audiui ex eodem Chrysippo, te esse Cæsari familiarem. Sed mehercule malle, id quod erat æquius, de tuis rebus ex tuis literis quam sapissimè cognoscere. Quod certè ita fieret, si tu maluisses beneuolentiæ, quàm litium iura perdiscere. Sed hæc iocati sumus, & tuo more, & non nihil etiam nostro. Te valde amamus, nosque à te amari tum volumus, tum etiã confidimus. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

QUAM sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest: molestè ferebam antea te inuitum istic esse: pungit me rursus, quod scribis te esse istic libenter. neque enim mea commedatione te non delectari facilè patiebar: & nunc angor, quicquam tibi sine me esse iucundum. Sed tamen hoc malo nos ferre desiderium, quàm te non ea quæ spero, consequi. Quod verò in C. Matii suauissimi, doctissimique hominis familiaritatè venisti, non dici potest quàm valde gaudeã: qui fac ut te quam maximè diligat. Mihi crede, nihil ex ista prouincia potes, quod iucundius sit, deportare. Cura ut valeas.

CICERO TREBATIO S. D.

IN equo Troiano scis esse in extremo, SERO SAPIUNT. Tu tamè mi vetule nõ sero. Primùm illas rabiosulas sat fatuas dedisti. deinde, quod in Britània non nimis φιλοφωρον te præbuiisti, planè non reprehèdo. Nunc verò in hybernis iniectus mihi videris: itaque te commouere non curas. VSQVE QVAQVE sapere oportet: id erit telum acerrimum. Ego si foris cœnitarem, Cn. Octauio familiari tuo non defuissem: cui tamè dixi, cum me aliquoties inuitaret, Oro te, quis tu es? Sed mehercule, extra iocum, homo bellus est: vellem eum tecum abduxisses. Quid agatis, ecquid in Italiam venturi sitis hac hyeme, fac planè sciam. Balbus mihi confirmauit te diuitem futurum. id vtrum Romano more locutus sit, bene numatum te futurum: an quomodo Stoici dicunt, omnibus esse diuites, qui cælo & terra frui possunt, postea videro. Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percõtantibus respondere. Sed tamè est quod gaudeas: constat enim inter omnes, neminem te vno Samarobrinæ iuris peritorem esse. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

EX tuis literis & Quinto fratri gratias egi, & te aliquando collaudare possum, quod iam vidèris certa aliqua in sententia constitisse. Nam primorum mensium literis tuis vehementer commouebat: quod mihi interdum (pace tua dixerim) leuis in vrbe, urbanitatissque desiderio, interdum piger, interdum timidus in labore militari: sæpe autem etiam, quod à te alienissimum est, subimpudens videbare. tãquam enim syngrapham ad imperatorem, non epistolam, attulisses, sic pecunia ablata domum redire properabas: nec tibi in mentem veniebat, eos ipsos qui cum syngraphis venissent Alexandriã, nullum adhuc numum auferre potuisse. Ego si mei commodi rationem ducerem, te mecum esse maximè vellem: non enim mediocri afficiebar vel voluptate ex consuetudine nostra, vel vtilitate ex consilio atque opera tua. Sed cum te ex adolescètia tua in amicitiam & fidem meã contulisses: semper te non modò tuendum mihi, sed etiam

augendum atque ornandum putavi. Itaque quoad opinatus sum me in prouinciã exiturum, quæ ad te vltro attulerim, meminisse te credo. Postquam mea mutata ratio est, cum viderem me à Cæsare honorificentissimè tractari, & vnicè diligi, hominissque liberalitatem incredibilem, & singularem fidem nossem: sic ei te commendavi & tradidi, ut grauissimè, diligentissimèque potui. quod ille ita & accepit, & mihi sæpe literis significauit, & tibi verbis & re ostendit, mea commendatione sese valde esse commotum. Hunc tu virum nactus, si me aut sapere aliquid, aut velle tua causa putas, ne dimiseris: & si qua te fortè res aliquando offenderit, cum ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit visus, perferto, & vltima expectato: quæ ego tibi & iucunda & honesta præstabo. Pluribus te hortari non debeo: tantum moneo, neque amicitia confirmandæ clarissimi ac liberalissimi viri, neque vberioris prouinciæ, neque ætatis magis idoneum tempus, hoc si amiseris, te esse vllum vnquam reperturum. hoc quemadmodum vos scribere soletis in vestris libris, idem Q. Cornelio videbatur. In Britanniam te non esse profectum, vehementer gaudeo, quod & tu labore caruisti, & ego te de rebus illis non audiam. Vbi sis hybernaturus, & qua spe, aut conditione, perscribas ad me velim. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

ACCEPTI à te aliquot epistolas vno tempore, quas tu diuersis temporibus dederas: in quibus me cætera delectarunt. significabant enim te istam militiam iam firmo animo ferre, & esse fortem virum & constantem. quæ ego paulisper in te ita desideravi, non imbecillitate animi tui, sed magis ut desiderio nostri te æstuarè putarem. Quare perge ut cœpisti: forti animo istam tolera militiam. Multa, mihi crede, assequere: ego enim renouabo commedationem, sed tempore. Sic habeto, non tibi maiori esse curæ, ut iste tuus à me discessus fructuosissimus tibi sit, quàm mihi. Itaque quando vestrae cautiones infirmæ sunt, græculam tibi misi cautionem chirographi mei. Tu me velim de ratione Gallici belli certiore facias: ego enim ignauissimo cuique maximam fidem habeo. Sed ut ad epistolas tuas redeam, cætera bellè: illud miror, quis solet eodem exemplo plureis dare, qui sua manu scribit? Nam quod in palimpsesto, laudo equidè parsimoniam: sed miror quid in illa chartula fuerit quod delere malueris, quàm hæc scribere: nisi fortè tuas formulas. Nõ enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas. An hoc significas, nihil fieri, fringere te, ne chartam quidè tibi suppeditare? Iam ista tua culpa est, qui verecundiã tecum extuleris, & non hinc nobiscum reliqueris. Ego te Balbo, cum ad vos proficiscetur, more Romano commendabo. Tu, si interuallum longius erit mearum literarum, ne sis admiratus. eram enim abfuturus mense Apr. Has literas scripsi in Pontino, cum ad villam M. AEmilii Philemonis diuertissem: ex qua iam audieram fremitum clietium meorum, quos quidem tu mihi conciliaisti. Nam Vlubris honoris mei causa vim maximam ranuncolorum se commosse constabat. Cura ut valeas. VI. Id. Apr. de Pontino.

M. CICERO TREBATIO S. D.

EPISTOLAM tuam, quam accepi ab L. Aruntio, conscidi innocentem. nihil enim habebat quod non vel in concione rectè legi posset. Sed & Aruntius ita te mandasse aiebat, & tu adscriperas. Verum illud esto: nihil te ad me postea scripisse demiror, præsertim tam nouis rebus. Vale.

M. CICERO TREBATIO S. D.

VIDE quanti apud me sis, etsi iure id quidem: non enim amore te vinco. Veruntamen quod præfenti tibi propè subnegarem, non tribuerem certè: id absenti debere non potui. Itaque ut primùm Velia nauigare cœpi, institui Topica Aristotelica cõscribere, ab ipsa vrbe commonitus amantissima tui. Eum librũ tibi misi Rhegio, scriptum quàm planissimè res illa scribi potuit. Sin tibi quædam videbuntur obscuriora, cogitare debebis, N VLLAM artem literis sine interprete & sine aliqua exercitatione percipi

posse. Non longè abieris. num ius ciuile vestrum ex libris cognosci potest: qui quam plurimi sunt, doctorem tamen, luménque desiderant. quãquam tu, si attentè leges, si sapius, per te omnia consequere, vt certè intelligas. Vt verò etiã ipsi tibi loci proposita quæstione occurrant, exercitatione consequere. in qua quidem nos te continebimus, si & salui redierimus, & salua ista offenderimus. Vale. v. Cal. Sext. Rhegio.

CICERO TREBATIO S. D.

AMABILIOR mihi Velia fuit, quòd te ab ea sensi amari. sed quid ego dicã te, quem quis non amat? Rufio mediussidius tuus ita desiderabatur, vt si esset vnus è nobis. sed ego te non reprehendo, qui illum ad ædificationem tuam traduxeris. quãquam enim Velia non est vilior, quàm Luperca: tamen istuc malo, quàm hæc omnia. tamen, si me audies, quem soles, has paternas possessiones tenebis (nescio quid enim Velientes verebantur) neque Halethem nobilem amnem relinques, nec Papirianam domum deferres: quanquam illa quidem habet lucum, à quo etiam aduenã teneri solent: quem tamen si excideris, multum prospexeris. Sed in primis opportunum videtur, his præsertim temporibus, habere per fugium, primum eorum urbem, quibus charus sis: deinde etiam tuam domum, tuosque agros, eaque remoto, salubri, amœnòque loco: idque etiam mea interesse mi Trebati arbitror. Sed valebis, meaque negotia videbis, meque diis iuuantibus, ante brumam expectabis. Ego à Sext. Fabio Niconis discipulo librum abstuli Νίκωνος ἀπὸ πολυφαγίας. O' medicum suauem, meque docilem ad hanc disciplinam. sed Bassus noster me de hoc libro celauit: te quidem non videtur. Ventus increbrescit. Cura vt valeas. XIII. Cal. Sext. Velia.

CICERO TREBATIO S. D.

SILII causam te docui. is postea fuit apud me. cum ei dicerem, tibi videri, sponzionem illam nos sine periculo facere posse. si bonorum Turpilie possessionem Q. Cæpio Præt. ex edicto suo mihi dedit: negare aiebat Seruium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non habuerit: hoc idem Offilium dicere: tecum se locutum negabat: meque rogauit, vt se, causamque suam tibi commendare. Nec vir melior mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excepto. Gratissimum igitur mihi feceris, si ad eum vltro veneris, eique pollicitus eris: sed, si me amas, quamprimum, hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO TREBATIO S. D.

ILLVSERAS heri inter scyphos, quòd dixeram controuersiam esse, possètne hæres, quod furtum antea factum esset, rectè furti agere. Itaque etsi domum bene potus, feròque redieram: tamen id caput, vbi hæc controuersia est, notauit, & descriptum tibi misi: vt scires, id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sext. AElium, M. Manilium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Scæuolæ & Testæ assentior. Vale.

M. CICERO M. FABIO GALLO S. D.

TANTVM ex Arpinati venerã, cū mihi à te literæ redditæ sunt: ab eodemque accepi Auiani literas: in quib' hoc erat liberalissimū, nomina se facturū, cum venisset, qua ego vellē die. Fac quæso, qui ego sum, esse te. est ne aut tui pudoris, aut nostri, primū rogare de die, deinde plus annua postulare: sed essent mi Galle omnia facilia, si & ea mercatus esses, quæ ego desiderabã, & ad eam summã, quã voluerã. ac tamen isthæc ipsa, quæ te emisse scribis, non solum rata mihi erunt, sed etiam grata. planè enim intelligo, te non modò studio, sed etiam amore vsū, quæ te delectarint hominem (vt ego semper iudicauit) in omni iudicio elegantissimum, quæque me digna putaris, coemisse. Sed velim maneat Damalippus in sententia: prorsus enim ex istis emptionibus nullam desidero. Tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omne signorum omnium nõ æstimo, tanti ista quatuor, aut quinque sumpsi. Sed Bacchas istas cum Musis Metelli comparas: quid simile: primum ipsas ego Musas nunquam tanti putassem: atque id fecissem Musis omnibus approbantibus. sed tamen erat aptum bibliothecæ, studiisque

nostris cõgruens. Bacchis verò vbi est apud me locus? At pulchellæ sunt. noui optimè, & sæpe vidi. Nominatim tibi signa mihi nota mandassem, si probassem. Ea enim signa ego emere soleo, quæ ad similitudinē gymnasiõrũ exornent mihi in palæstra locum. Martis verò signū quò mihi pacis authori: Gaudeo nullū Saturni signum fuisse. hæc enim duo signa putarē mihi æs alienū attulisse. Mercurii mallē aliquod fuisse: foelicus, puto, cum Auiano trãfigere possemus. Quod tibi destinaras Trapezophoron: si te delectat, habebis: sin autē sententiam mutaſti, ego habebō scilicet. Ista quidē summa nã ego multò libentius emerim diuerforium Tarracinæ, ne semper hospiti molestus sim. 42 Omnino liberti mei video esse culpam, cui planè res certas mandarã: itẽmque Iunii, quẽ puto tibi notū esse, Auiani familiarē. Exedria quædam mihi noua sunt instituta in porticula Tusculani: ea volebam tabellis ornare. etenim siquid generis istiusmodi me delectat, pictura delectat. Sed tamen si ista mihi sunt habenda, certiore velim me facias, vbi sint, quãdo accersantur, quo genere vecturæ. Si enim Damalippus in sententia non manebit, aliquẽ pseudodamalippum vel cum iactura reperiemus. Quòd ad me de domo scribis iterum, iam id ego proficiscens mandaram meæ Tullie. ea enim ipsa hora acceperã tuas literas. Egerã etiam cum tuo Nicia, quòd is vtitur, vt scis, familiariter Cassio. Vt redii autē, prius, quàm tuas legi has proximas literas, quæsiui de mea Tullia quid egisset. per Liciniã se egisse dicebat. sed opinor Cassium vti non ita multum fore. eam porrò negare se audere, cum vir abesset (est enim profectus in Hispaniã Decius) illo & absente & insciente migrare. Est mihi gratissimū, tanti a te æstimatam consuetudinem vitæ victusque nostri: primum vt eam domū fumeres, vt non modò prope me, sed planè mecum habitare posses: deinde vt migrare tantopere festines. Sed ne viuã, si tibi concedo, vt eius rei tu cupidior sis, quàm ego sum. Itaque omnia experiar. video enim quid mea intersit, quid vtriusque nostrū. Siquid egero, faciam vt scias. tu & ad omnia rescribes, & quando te expectē, facies me, si tibi videbitur, certiore. Vale.

M. CICERO M. FABIO GALLO S. D.

AMORIS quidem tui, quoquò me verto, vestigia, vel proximè de Tigellio. sensi enim ex literis tuis valde te laborasse. amo igitur voluntatem. sed pauca de re. Capius 44 (opinor) olim, NON omnibus dormio: sic ego non omnibus mi Galle seruius. etsi quæ est hæc seruitus? Olim cum regnare existimabamur, non tam ab vllis, quàm hoc tempore obseruor à familiarissimis Cæsaris omnibus, præter istum. Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorē patria sua: eumque addictum iam tum puto esse Calui Licinii Hipponacte præconio. At vide quid succenseat. Phameæ causam susceperam, ipsius quidem causa: erat enim mihi sanè familiaris. is ad me venit, dixitque iudicem sibi operam dare constituisse eo ipso die, quo de P. Sestio in consiliū iri necesse erat. respondi nullo modo me facere posse, cum vellem: alium diem si sumpsiſset, me ei nõ defuturū. Ille autē, qui sciret se nepotem bellum tibicinem habere, & fat bonum vnctorem, discessit à me, vt mihi videbatur, iratior. Habes Sardos venales, aliū alio nequiore. Cognosti meam causam, & istius Salaconis iniquitatem. Catonem tuum mihi mitte: cupio enim legere. me adhuc non legisse, turpe vtrique nostrū est. Vale.

CICERO M. FABIO GALLO S. D.

QVOD epistolam conscissam doles, noli laborare: salua est domi: petes cum libebit. Quòd autem me mones, valde gratum est: idque vt semper facias, rogo: videris enim mihi vereri, ne, si istum habuerimus, rideamus γέλωται Ἐρδάνιον. Sed heus tu, manum de tabula: magister adest citius, quàm putaramus. vereor ne in Catonem, Cato in nos. Mi Galle, caue putes quicquam melius, quàm epistolæ tuæ partem ab eo loco, Cætera labuntur. secretò hoc audi: tecum habeto: ne Apellæ quidem liberti tuo dixeris. præter duos nos, loquitur isto modo nemo: bene, malèue videro: sed quicquid est, nostrum 46 est. vrge igitur, nec transuersum vnguem (quod aiunt) à stylo: is enim est dicēdi opifex. Atque ego quidem aliquantum iam etiam noctis assumo. Vale.

CICERO GALLO S. D.

CUM decimum iam diem grauius ex intestino laborarem, neque iis qui mea opera uti volebant, probarem me non valere, quia febrim non haberem: fugi in Tusculanum, cum quidem biduum ita ieiunus fuisset, ut ne aquam quidem gustare. Itaque confectus languore & fame, magis tuum officium desideravi, quam abs te requiri putavi meum. Ego autem cum omnibus morbos reformido, tum quo Epicurum tuum Stoici male accipiunt, cui dicant *δυσουλικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη* molesta esse, quorum alterum morbum edacitatis esse putant, alterum etiam turpioris intemperantiae. sane *δυσεντερικὰ* pertimueram. Sed visa est mihi vel loci mutatio, vel animi etiam relaxatio, vel ipsa fortasse iam senescentis morbi remissio profuisse. Attamen ne mirere, unde hoc acciderit, quomodoque commiserim: lex sumptuaria, quae videtur *λιτότητα* attulisse, ea mihi fraudi fuit: nam dum volunt isti lauti terra nata, quae lege excepta sunt, in honore adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suauius. in eas cum incidissem in cena augurali apud Lentulum, tanta me *δυσόρροια* arripuit, ut hodie primum videatur coepisse consistere. Ita ego, qui me ostreis & murenis facile abstinebam, à beta etiam, & malua deceptus sum. Posthac igitur erimus cautiores. Tu tamen cum audisses ab Anitio, (vidit enim me nauseantem) non modo mittendi causam iustam habuisti, sed etiam visendi. Ego hic cogito comorari, quoad me reficiam: nam & vireis & corpus amisi. Sed si morbum depulero, facile (ut spero) illa reuocabo. Vale.

M. CICERO GALLO S. D.

MIROR cur me accuses, cum tibi id facere non liceat: quod si liceret, tamen non debebas. Ego enim te in Consulatu obseruaram. Et ais fore, ut te Caesar restituat. Multa tu quidem dicis, sed tibi nemo credit. Tribunatum plebis dicis te mea causa petisse: utinam semper esses Tribunus: intercessorem non quareres. Negas me audere, quod sentiam, dicere: quasi tibi, cum parum pudenter me rogares, parum fortiter responderim. Hanc tibi scripsi, ut isto ipso in genere, in quo aliquid posse vis, te nihil esse cognosceres. Quod si humaniter mecum questus esses, libenter tibi me, & facile purgarem. Non enim mihi ingrata sunt quae fecisti, sed quae scripsisti molesta. Me autem, propter quem ceteri liberi sunt, tibi liberum non visum demiror. nam si falsa fuerunt, quae tu ad me, ut ais, detulisti, quid ego tibi debeo? si vera: tu es optimus testis, quid mihi populus Rom. debeat. Vale.

M. CICERO CVRIO S. D.

MEMINI, cum mihi desipere videbare, quod istuc potius viueres, quam nobiscum. erat enim multo domiciliū huius urbis (cum quidem haec urbs) aptius humanitati & suauitati tuae, quam tota Peloponnesus, nedum Patrae. Nunc contra & vidisse mihi multum videris, cum propè desperatis his rebus te in Graciam contulisti, & hoc tempore non solum sapiens, qui hinc absis, sed etiam beatus. quanquam quis, qui aliquid sapiat, nunc beatus esse potest? Sed quod tu, cui licebat, pedibus es consecutus ut ibi esses, ubi nec Pelopidarum: nosti cetera: nos idem propemodum consequimur alia ratione. cum enim salutationi nos dedimus amicorum, quae sit hoc etiam frequentius, quam solebat, quod quasi aem albam videntur bene sentientem ciuem videre: abdo me in bibliothecam. Itaque opera efficio tanta, quanta fortasse tu senties. intellexi enim ex tuo sermone quodam, cum moestitiam meam & desperationem accusares domi tuae, dicere te, ex meis libris animum meum desiderare. Sed mehercule & tum Remp. iugebam, quae non solum suis erga me, sed etiam meis erga se beneficiis erat mihi charior: & hoc tempore, quanquam me non ratio solum consolatur, quae plurimum debet valere, sed etiam dies, quae stultis quoque mederi solet: tamen doleo ita communem rem esse dilapsam, ut ne spes quidem, melius aliquando fore, relinquatur. Nec verò nunc quidem culpa in eo est, in cuius potestate omnia sunt (nisi forte id ipsum esse non debuit) sed alia casu, alia etiam nostra culpa sic acciderunt, ut de praeteritis non sit querendum.

Reliquam spem nullam video. Quare ad prima redeo. sapienter haec reliquisti, si consilio: foeliciter, si casu. Vale.

M. CVRIVS M. CICERONI SVO S.

SI vales, bene est: sum enim *χρηστός μὲν* tuus, *κτίσις δὲ* Attici nostri. ergo fructus est tuus, mancipium illius. quod quidem si inter senes coemptionales venale proscrisperit, egerit non multum. At illa nostra praedicatio tanti est, nos, quod sumus, quod habemus, quod homines existimemur, id omne abs te habere. Quare Cicero mi perseuera constanter nos conseruare, & Sulpitii successoris nos de meliore nota commenda, quod facilius tuis praecipis obtemperare possimus, teque ad Urbem lubentes videre, & nostra defigere, deportareque tutò possimus. Sed amice magne noli hanc epistolam Attico ostendere: sine eum errare, & putare me virum bonum esse, nec solere duos parietes de eadem fidelia dealbare. Ergo patrone mi bene vale, Tironemque meum saluta nostris verbis. D. A. D. III. Cal. Nouemb.

CICERO CVRIO S. D.

EGO verò iam te nec hortor, nec rogo ut domum redeas: quin hinc ipse euolare cupio, & aliquò peruenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Incredible est, quam turpiter mihi facere videar, qui his rebus intersum. Næ tu videris multo antè prouidisse quid impenderet tui, cum hinc profugisti. quanquam enim haec etiam auditu acerba sunt, tamen audire tolerabilius est, quam videre. In campo certè non fuisti, cum hora secunda comitiis quaestoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi Consulem esse dicebant, posita esset. quo mortuo nuntiato, sella sublata est. Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit, Consulem hora septima renuntiavit, qui usque ad Calend. Ian. esset, quae erant futurae manè postridie. Ita Caninio c. o. s. scito neminem prandisse. nihil tamen eo Consule mali factum est. fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto Consulatu somnum non viderit. Hanc tibi ridicula videntur: non enim ades: quae si videres, lachrymas non teneres. Quid, si cetera scribam? Sunt enim innumerabilia generis eiusdem: quae quidem ego non ferrem, nisi me in Philosophiae portum contulisset, & nisi haberem socium studiorum meorum, Atticum nostrum. cuius quando proprium te esse scribis mancipio & nexu, meum autem vsu & fructu, contentus isto sum. ID ENIM cuiusque est proprium, quo quisque fruitur atque vitur. Sed haec aliàs pluribus. Acilius, qui in Graciam cum legionibus missus est, maximo meo beneficio est. bis enim est à me iudicio capitis rebus saluis defensus: & est homo non ingratus, meque vehementer obseruat. Ad eum de te diligentissime scripsi, eamque epistolam cum hac coniunxi: quam ille cum acceperit, ecquid tibi pollicitus sit, velim ad me scribas. Vale.

CICERO CVRIO S. D.

FACILE perspexi ex tuis literis, quod semper studui, & me à te plurimi fieri, & te intelligere quam mihi charus esses. Quod quando vterque nostrum consecutus est: reliquum est ut officiis certemus inter nos, quibus aequo animo vel vincam te, vel vincam abs te. Acilio non fuisse necesse meas dari literas, facile patior. Sulpitii tibi operam intelligo ex tuis literis non multum opus fuisse, propter res tuas ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. Equidem vellem uti pedes haberent, ut aliquando redires. Vides enim exaruisse iam veterem urbanitatem, ut Pomponius noster suo iure possit dicere, nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam. Ergo is tibi, nos ei succedamus. Veni igitur quaeso, ne tantum semen urbanitatis vna cum Repub. intereat. Vale.

M. CICERO VOLVUMNIO S. D.

QUOD sine praenomine familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti, primum addubitavi, nū à Volumnio Senatore esset, quocumque mihi est magnus vsus: deinde *ὄψα-πελία* literarum fecit ut intelligerem tuas esse. quibus in literis omnia mihi periucun-

da fuerunt, præter illud, quòd parum diligenter possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur. ais enim, vt ego discefferim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana, in me cõferri. quid? tu id pateris? nõne defendis? non resistis? equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, vt cognosci sua sponte possent. Sed quando tanta fæx est in Vrbe, vt nihil sit tam *ἀωρον*, quod non alicui venustum esse videatur: pugna, si me amas, nisi acuta *ἀυφιλολία*, nisi elegans *ὕπερολη*, nisi *ὠδύραμμο* bellum, nisi ridiculum *ὠδύρασοδκίας*, nisi cætera, quæ sunt à me in secundo libro de Oratore per Antonii personam disputata de ridiculis, *ἐντεχνα* & arguta, apparebunt, vt sacramento contendas mea non esse. Nam de iudiciis quod quereris, multò laboro minus. trahantur per me pedibus omnes rei. sit vel Selius tam eloquês, vt possit probare se liberum: non laboro. Urbanitatis possessionem, amabo, quibusuis interdictis defendamus: in qua te vnum metuo, contemno cæteros. Derideri te putas: nunc demum intelligo te sapere. Sed mehercule, extra iocum, valde mihi tuæ literæ faceræ, elegantisque visæ sunt. illa quanuis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non mouerunt. cupio enim nostrum illum amicum in Tribunatu quamplurimum habere grauitatis, idque cum ipsius causa (est enim mihi, vt scis, in amoribus) tū mehercule etiam Reipub. quam quidem, quanuis in me ingrata sit, tamen amare non desinam. Tu mi Volumni quando & instituisti, & mihi vides esse gratum, scribe ad me quam sapissimè de rebus vrbis, de Repub. Iucundus est mihi sermo literarum tuarum. Præterea Dolabellā, quem ego perspicio, & iudico cupidissimum esse, atque amantissimum mei, cohortare & confirma, & redde planè meum. Non mehercule quo quicquam desit, sed quia valde cupio, non videor nimium laborare. Vale.

M. CICERO VOLVMNIO S. D.

QVOD declamationibus nostris cares, damni nihil facis. Quòd Hircio inuideres, nisi eum amares, non erat causa inuidendi: nisi fortè ipsius eloquētix magis, quàm quòd me audiret, inuideres. nos enim planè mi suauissime Volumni, aut nihil sumus, aut nobis quidem ipsis displicemus, gregalibus illis, quibus te plaudente vigeamus, amissis: vt, etiam si aliquando aliquid dignum nostro nomine emisimus, ingemiscamus, quòd hæc pennigero, non armigero in corpore tela exercentur, vt ait Philoctetes apud Accium abiecta gloria. Sed tamen omnia mihi erunt, si tu veneris, hilariora: quanquam venies, vt ipse intelligis, in maximarum quasi cõcursum occupationum: quas si, vt volumus, exceperimus, ego verò multam salutem & foro dicam, & curiæ, viuamque tecum multum, & cum communibus nostris amatoribus. nam & Cassius tuus, & Dolabella noster, vel potius vterque noster, studiis iisdem tenentur, & meis æquissimis vtuntur auribus. Opus est huc limatulo & politulo tuo iudicio, & illis interioribus literis meis, quibus sæpe verecundior me in loquendo facis. mihi enim iudicatum est, si modò hoc Cæsar aut patietur, aut volet, deponere illam iam personam, in qua me sæpe illi ipsi probaui: ac me totum in literas abdere, tecumque, & cum cæteris earum studiosis honestissimo otio perfrui. Tu vellem ne veritus esses, ne perinuitus legerem tuas literas, si mihi (quemadmodum scribis) longiores fortè misisses: ac velim posthac sic statuas, tuas mihi literas longissimas quasque gratissimas fore. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.



QVOD tibi decedenti pollicitus sum, me omnes res vrbanas diligētissimè tibi perscripturum, data opera parauit, qui sic omnia persequeretur, vt verear ne tibi arguta nimium hæc sedulitas videatur. Tamen si tu, scio, quàm sis curiosus, & quàm omnibus peregrinantibus gratum sit, minimarum quoque rerum, quæ domi gerantur, fieri certiores: tamen in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantix cõdemnes, quòd hunc laborem alteri delegaui: non quin mihi suauissimum sit & occupato, & ad literas scribendas, vt tu nosti, pigerrimo, tuæ memoriæ dare operam: sed ipsum volumen quod tibi misi, facilè, vt ego arbitror, me excusat. Nescio cuius otii esset, non modò perscribere hæc, sed omnino animaduertere. Omnia enim sunt tibi s. c. edicta, fabulæ, rumores. Quod exemplum si fortè minus te delectarit, ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam: fac me certiore. Siquid in Repub. maius actum erit, quod isti operarii minus commodè persequi possint: & quemadmodum actum sit, & quæ existimatio consecuta, quæque de eo spes est, diligenter tibi perscribemus. Vt nunc est, nulla magnopere expectatio est. Nam & illi rumores de comitiis transpadanorum Cumarum tenuis caluerunt. Romam cum venissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi. Præterea Marcellus quidem adhuc nihil retulit de successione prouinciarum Galliarum. in Calen. Iun. vt mihi ipse dixit, eam distulit relationem. sanequam eos sermones repressit, qui de eo tum fuerant, cum Romæ nos essemus. Tu si Pompeium, vt volebas, offendisti: qui tibi visus sit, & quæ orationem habuerit tecum, quàmque ostenderit volūtatem (solet enim aliud sentire & loqui: neque tamen tantum valere ingenio, vt non appareat quid cupiat) fac mihi perscribas. Quòd ad Cæsare attinet, crebri, & non belli de eo rumores, sed susurrationses duntaxat veniunt: alius equitem perdidisse, quod opinor certè factum: alius septimā legionem vapulasse, ipsum apud Bellouacos circūsideri, interclusum ab reliquo exercitu: neque adhuc certi quicquam est, neque hæc incerta tamen vulgò iactantur, sed inter paucos, quos tu nosti planè, secretò narrantur. at Domitius, cum manus ad os apposuit. Te ad ix. Cal. Iun. subrostrani (quòd illorum capiti sit) dissiparāt periisse: ita vt in vrbe ac foro toto maximus rumor fuerit, te à Q. Pompeio in itinere occisum. Ego, qui scirem Q. Pompeium Baulis embœneticam facere, & vsque eò, vt ego misererem eius esuriei, non sum commotus: & hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, vt defungeremur, optaui.

Plancus quidem tuus Rauennæ est: & magno congiario donatus à Cæsare, nec beatus, nec bene instructus est. Tui politici libri omnibus vigent. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

CERTE inquā absolutus est. me præsentem pronuntiatum est, & quidem omnibus ordinibus, sed & singulis in vnoquoque ordine sententiis. Ridēsne rogo, inquis? Nō mehercules: nihil enim vnquam tam præter opinionem, tam quod videretur omnibus indignum, accidit. quin ego, cum pro amicitia validissimè fauerē ei, & me iam ad dolendum præparassem: postquā factum est, obstupui, & mihi visus sum captus esse. quid alios putas: clamoribus scilicet maximis iudices corripuerunt: & ostēderunt planè esse quod ferri nõ posset. Itaque relictus lege Licinia, maiore esse periculo videtur. Accessit huc, quòd postridie eius absolutionis in theatrum Curionis Hortensius introiit: puto, vt suū gaudium gauderemus. Hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruū & rudentū sibilus. Hoc magis animaduersum est, quòd intactus à sibilo peruenerat Hortensius ad senectutē. Sed tū ita bene, vt in totā vitā cuiuis fatis esset, & pœniteret eum iam vicisse.

De rep. quod tibi scribam, nihil habeo. Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed (vt mihi videbatur) consilio. De comitiis consularibus incertissima est existimatio.

Ego incidi in competitorem nobilem & nobilem agentem: nam M. Octavius Cn. F. & C. Hirrus mecum petit. Hoc ideo scripsi, quod scio te acriter propter Hirrum nuntium nostrorum comitorum expectaturum. Tu tamen simul ac me designatum audieris, vt tibi cura sit, quod ad pantheras attinet, rogo. Syngrapham Sitianam tibi commendo. Commentarium rerum vrbatarum primum dedi L. Castrinio Pato, secundum ei qui has literas tibi reddet. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

EST NE VICI, & tibi saepe, quod negaras discedens curaturum, literas mitto: est, si quidem perferuntur quas do. Atque hoc eò diligentius factito, quod cum otiosus sum, plane vbi delectem otium meum, non habeo. Tu cum Romae eras, hoc mihi certum ac iucundissimum vacanti negotium erat, tecum id otii tempus consumere: idque non mediocriter desidero: vt non modo mihi solus esse, sed Romae, te profecto, solitudo videatur facta: & qui (quae mea negligentia est) multos saepe dies ad te, cum hic eras, non accedebam, nunc, quotidie non esse te ad quem cursitem, discrucior. Maximè verò, vt te dies, noctesque quaeram, competitor Hirrus curat. Quomodo illum putas Auguratus tuum competitorem dolere? & dissimulare me certiore, quam se, candidatum? de quo vt quem optas, quam primum nuntium accipias, tua mediussidius magis, quam mea causa cupio. nam me, si sio, forsitan cum locupletiore referam: sed hoc vsque eò suaue est, quod si acciderit, tota vita risus nobis deesse non poterit. sed tanti? Sed est mehercule. nec multum M. Octavius eorum odia, qui Hirrum premunt, quae permulta sunt, subleuat. Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis attinet: dedimus operam vt & Philotimus quam honestissime Miloni absenti, eiusque necessariis satisfaceret, & secundum eius fidem & sedulitatem aestimatio tua conseruaretur. Illud nunc à te peto, si eris (vt spero) otiosus, aliquod ad nos, vt intelligamus nos tibi cura esse, σύνταγμα conscribas. Qui tibi istuc, inquis, in mentem venit homini non inepto: aliquod ex tam multis tuis monumentis extare, quod nostrae amicitiae memoriam posteris quoque prodat, velim. cuiusmodi, puto, quaeris. Tu aptius qui omnem nostri disciplinam, quod maximè conueniat, excogitabis: genere tamen, quod & ad nos pertineat, & διδασκαλίαν quandam, vt versetur inter manus, habeat. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

INVIDEO tibi: tam multa quotidie quae mirere, istoc perferuntur. primum illud, absolutum Messalam: deinde eundem condemnatum: C. Marcellum cos. factum: M. Claudium à repulsa postulatam à Gallis duobus: P. Dolabellam Quindecimviri factum. Hoc tibi non inuideo, caruisse te pulcherrimo spectaculo, & Lentuli Cruris repulsi vultum non vidisse. At qua spe, quam certa opinione descenderat: quam ipso diffidente Dolabella? Et hercules, nisi nostri equites acutius vidissent, penè concedente aduersario superasset. Illud te non arbitror miratum, Seruium Trib. pl. des. condemnatum: cuius locum C. Curio petiit. sanè quam multis incutit, qui eum, facilitatemque eius non norunt, magnū metum. Sed vt spero, & volo, & vt se fert ipse, bonos & Senatum malet: totus vt nunc est, hic scaturit. Huius autem voluntatis initiū & causa est, quod eum non mediocriter Caesar, qui solet infimorum hominum amicitias sibi qualibet impensa adiungere, valde contempsit. Qua in re mihi videtur illud perquam uenuste cecidisse, quod à reliquis quoque vsque eò est animaduersum, vt Curio, qui nihil consilio facit, ratione & insidiis vsus videretur in euitandis eorum consiliis, qui se intenderat aduersarios in eius Tribunatum: Laelios & Antonios, & id genus valentes dico. Has ego tibi literas eò maiore misi interuallo, quod comitorum dilationes occupatorem me habebant, & expectare in dies exitum cogebant, vt confectis omnibus te facerem certior. Ad Cal. Sext. vsque expectaui. Praetorii morae quaedam inciderunt. Mea porro quae euen-

tum sint habitura, nescio: opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem Aedilium pl. comitiis nata sunt. Nam M. Celium Vicinianum mentio illa fatua, quam desideramus olim, & promulgatio de Dictatore subito deiecit, & deiectum magno clamore infecuta est. Inde Hirrum cuncti iam non faciendum, flagitare. Spero te celeriter & de nobis quod sperasti, & de illo quod vix sperare ausus es, auditurum. De Rep. iam noui quicquam expectare desieramus. sed cum Senatus habitus esset ad Apollinis ad x i. Cal. Sext. & referretur de stipendio Cn. Pompeii: metio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Caesar Pompeius, quo numero esset, quo appeteretur, cum ex Gallia coactus esset dicere Pompeius se legionem abducturum, sed non statim sub mentionem & conuictum obtrectatorum. Inde interrogatus de successione C. Caesaris, de qua, hoc est de prouinciis, placitum est, vt cum primum ad urbem reuerteretur Cn. Pompeius, coram eo de successione prouinciarum ageretur. Nam Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus, & statim iit. Puto Idib. Sext. de ea re factum iri. Profecto aut transigeretur aliquid, aut turpiter intercedetur: nam in disputando coniecit illam vocem Cn. Pompeius, omneis oportere Senatui dicto audientes esse. Ego tamen sic nihil expecto, quo modo Paulum cos. des. primum sententiam dicentem. Saepius te admoneo de syngrapha Sitiana: cupio enim te intelligere, eam rem ad me valde pertinere. Itè de pantheris, vt Cybiratas accersas, curasque mihi vt vehantur. Praeterea nuntiatum nobis, & pro certo iam habetur, Regem Alexandrinum mortuum. Quid mihi suadeas, quomodo regnum illud sese habeat, quis procuret, diligenter mihi perscribas. Cal. Sext. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

QUA tu cura sis, quod ad pacem prouinciae tuae, finitimarumque regionum attinet, nescio. Ego quidem vehementer animi pendeo. Nam si hoc moderari possemus, vt pro viribus copiarum tuarum belli quoque existeret magnitudo, & quantum gloriae, triumphoque opus esset, assequeremur, periculosamque & grauem illam dimicationem euitaremus: nihil tam esset optandum. Nunc si Parthus mouet aliquid, scio non mediocrem fore contentionem. Tuus porro exercitus vix vnum saltum tueri potest. Hanc autem nemo ducit rationem: sed omnia desiderantur ab eo (tanquam nihil denegatum sit ei, quo minus quam paratissimus esset) qui publico negotio praepositus est. Accedit huc, quod successionem futuram propter Galliarum controuersiam non video. Tamen si hac de re puto te constitutum, quid facturus esses, habere: tamen, quod maturius constitueres, cum hunc euentum prouidebam, visum est vt te facerem certiore. nostri enim haec tralatitia: de Galliis constituetur, erit qui intercedat: deinde alius existet, qui (nisi liberè liceat de omnibus prouinciis decernere Senatui) reliquas impediatur: sic multum ac diu ludetur, atque ita diu, vt plus biennium in histris moretur. Siquid noui de Rep. quod tibi scriberem, haberem, vsus essem mea consuetudine, vt diligenter & quid actum esset, & quid ex eo futurum sperarem, perscriberem. Sanè tanquam in quodam filice iam omnia adhæserunt. Marcellus idem illud de prouinciis vrget: sed neque adhuc frequentem Senatum efficere potuit. Quod si hoc anno praeterito, Curio Trib. & eadem actio de prouinciis introibit: quam facile tunc sit omnia impedire, & quam hoc Caesari, & iis qui suam causam, non Reip. curent, superet, non te fallit. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

NON dubito quin perlatum ad te sit, Appium à Dolabella reum factum: sanequam non ea, qua existimaueram, inuidia. Neque enim stulte Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique postulationem abiecerat. Quo facto retudit sermones: paratiorque visus est, quam sperauerat accusator. Is nunc in te maximam spem habet. Scio tibi eum non esse odio, quam velis eum obligare, in tua manu est: cum quo simultates si tibi non fuissent, liberius tibi de tota re esset. Nunc si ad illam summam seueritatem legitimum ius exegeris: cauendum tibi erit, ne parum simpliciter & candidè posuisse inimicitias videaris. In hanc partem porro tutum tibi erit,

siquid volueris gratificari. nemo enim necessitudine & amicitia te deterritum ab officio dicet. Illud mihi occurrit, quod inter postulationem & nominis delationem vxor à Dolabella discessit. Quid mihi discedens mādaris, memini: quid ego tibi scripserim, te non arbitror oblitum. Non est iam tempus plura narrandi. Vnū illud monere te possum: si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas, & expectes quemadmodum exeat ex hac causa, nequa inuidiosum tibi sit, si emanarit. 15 porro significatio vlla si intercesserit, clarius quàm deceat aut expediat, fiat. Neque ille tacere eam rem poterit, quæ suæ spei tam opportuna acciderit, quæque in negotio conficiendo tantò illustrior erit: cum præsertim is sit, qui si perniciosum sciret esse loqui de hac re, vix tamen se contineret. Pōpeius dicitur valde pro Appio laborare, vt etiam putent alterutrum de filiis ad te missurū. Hic nos omneis absoluimus: & hercule confecta omnia fœda & inhonesta sunt. Consules autem habemus summa diligentia: adhuc s. c. nisi de feriis Latinis, nullum facere potuerunt. Curioni nostro Tribunatus conglaciat, sed dici non potest, quomodo hîc omnia iaceant. Nisi ego cum tabernariis & aquariis pugnarem, veternus ciuitatem occupasset. Si Parthi vos nihil calfaciūt, nos hîc frigore frigesimus. Tamen quoquo modo hîc omnia iaceant, potuit sine Parthis. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit, hoc sic nuntiatum est. Quod tibi supra scripsi Curionem frigere: iam calet. nam feruentissimè concerpitur. bellissimè enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit, legemque viariam non dissimilem agrariæ Rulli, & alimētariam, quas iubet AEdiles metiri, iactauit. Hoc nondum fecerat, cum priorem epistolæ partem scripsi. Amabo te, siquid quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratiam.

De Dolabella integrum tibi referues, suadeo: & huic rei, de qua loquor, & dignitati tuæ, æquitatisque opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit pantherarū greges me non habere. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

QVAM citò tu istinc decedere cupias, nescio: ego quidem eò magis, quo adhuc fœlicius rem gessisti. Dum istic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc risum meum merus aliqui perturbent. Breuiores has literas properanti publicanorum tabellario subito dedi: tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederā. Res autem nouæ nullæ sanè acciderunt, nisi hæc vis tibi scribi, quæ certè vis: Cornificius adolescens Orestillæ filiam sibi despondit. Paula Valeria foror Triarii diuortium sine causa, quo die vir è prouincia venturus erat, fecit. Nuptura est D. Bruto: nondum retulerat. Multa in hoc genere incredibilia te absente acciderunt. Ser. Ocella nemini persuasisset se mœchū esse, nisi triduo bis deprehensus esset. quæris vbi? vbi hercule ego minimè vellem. relinquo tibi, quod ab aliis quæras: neque enim displicet mihi imperatorem singulos percontari cum qua sit aliquis deprehensus. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

ETS I de Repub. quæ tibi scribam, habeo: tamen nihil, quo magis gauisurum te putem, habeo quàm hoc. Scito C. Sempronium Rufum, rufum, mel, ac delicias tuas, calumniam maximo plausu tulisse. Quæris, qua in causa? M. Tuccium accusatorem suū post ludos Romanos reum lege Plotia de vi fecit: hoc consilio, quod videbat, si extraordinarius nemo reus accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam. dubium porro illi non erat quid futurum esset. nemini hoc deferre munusculū maluit, quàm suo accusatori. Itaque sine vlllo subscriptore descendit, & Tuccium reum fecit. At ego, simul atque audiui, inuocatus ad subsellia rei accuro: surgo, neque verbum de re facio: totū Sempronium vsque eò perago, vt Vestorium quoque interponam, & illam fabulam narrem, quemadmodum tibi pro beneficio dederit, siquid in iniuriis suis esset quo Vestorius teneretur. Hæc quoque magna nunc contentio forū tenet. M. Seruilius, postquam vt cœperat, omnibus in rebus turbarat, nec quod non venderet, quicquam reli-

querat: maxima nobis traditus erat inuidia: neque Laterensis Prætor, postulante Pausania, nobis patronis, quò ea pecunia peruenisset, recipere voluit. Quod Pilius necessarius Attici nostri de repetundis eum postulauit: magna illico fama surrexit, & de damnatione feruenter loqui est cœptum. Quo vento proiicitur Appius minor, vt implicet, pecuniam ex bonis paternis peruenisse ad Seruiliū, præuaricationisque causam diceret depositum HS LXXXI. Admiraris amentiam: quid si actiones stultissimas, quid si nefarias patris confessiones audisses? Mittit in consilium eosdem illos, qui liteis æstimant, iudices. Cum æquo numero sententiæ fuissent, Laterensis leges ignorās pronuntiauit quod singuli ordines iudicassent: & ad extremum, vt solet, ait, Referā. Postquam discessit, & pro absoluto Seruilius haberi cœptus, legisque vnum & ceterum caput legit, in quo ita erat, QVOD eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius ratum esto: in tabulas absolutum non retulit, ordinum iudicia perscripsit. postulante rursus Appio, cum L. Lollio transegit, & se relaturum dixit. Sic nunc neque absolutus, neque damnatus Seruilius de repetundis saucius Pilio tradetur. Nam de diuinatione Appius, cum calumniam iurasset, contendere ausus non est, Pilioque cessit: & ipse de pecuniis repetundis à Seruiliis est postulatus, & præterea de vi reatus à quodam suo emisario est factus. Rectè hoc par habet. Quod ad Remp. pertinet, omnino multis diebus expectatione Galliarum actum nihil est. Aliquando tamè, sæpe re dilata, & grauius acta, & planè perspecta Cn. Pompeii voluntate in eam partem, vt eum decedere post Calend. Mart. placeret, s. c. quod tibi misi, factum est, autoritatesque perscriptæ. 21 s. c. autoritates. Prid. Cal. Oct. in æde Apollinis. scribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. AEnobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Iulius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Luceius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Atteius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus c o s. V. F. de prouinciis consularibus: D. E. R. I. C. vt L. Paulus, C. Marcellus c o s s. cum magistratum iniissent ad Cal. Mart. quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus prouinciis ad Senatum referrent, neue quid prius ex Calend. Mart. neue quid coniunctim de ea re referretur à Consulibus: vtique eius rei causa per dies comitiales Senatum haberent, S. Q. C. facerent: & cum de ea re ad Senatum referretur à Consulibus, eorum qui in c c c. iudicibus essent, sex adducere liceret: siquid de ea re ad populum, plebémue lato opus esset, vt Ser. Sulpitius, M. Marcellus c o s s. Prætt. 22 Tribb. pl. quibus eorum videretur, ad populum, plebémue ferrent: quod ii non tulissent, vti quicumque deinceps essent, ad populum, plebémue ferrent. S. C. A. Prid. Calen. Oct. in æde Apollinis. scribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. AEnobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Iulius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Atteius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus c o s. V. F. de prouinciis: D. E. R. I. C. Senatū existimare, neminem eorum, qui potestatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quo minus de Repub. quamprimū ad Senatum referri, S. Q. C. fieri possit: qui impedierit, eum Senatū existimare contra Rempub. fecisse: siquis huic s. c. intercesserit: Senatui placere, autoritatem perscribi, & de ea re ad Senatū, populūque referri. Huic s. c. intercessit C. Celius, L. Vicinius, P. Cornelius, C. Vibius Pansa. 23 Item Senatui placere, de militibus, qui in exercitu C. Cæsaris sunt, qui eorum stipendia emerita causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant ad hunc ordinem referri, vt eorum ratio habeatur, causæque cognoscantur. Siquis huic s. c. intercesserit: Senatui placere, autoritatem perscribi, & de ea re ad Senatum, populūque referri. Huic s. c. intercessit C. Celius, C. Pansa Tribb. pl. Itémque Senatui placere, in Ciliciam prouinciam, inque v i i. reliquas prouincias, quas Prætorii pro Præatore obtinerent, eos, qui Prætores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex s. c. cum imperio in prouincias pro Præatore mitti oporteret, eos sortitò in prouin-

cias mitti placere. Si ex eo numero, quos s. c. in prouincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas prouincias proficiscerentur: tum, ut quodque collegium primum Prætorum fuisset, neque in prouincias profecti essent, ita forte in prouincias proficiscerentur. Si ad numerum ii non essent: tunc deinceps proximi cuiusque collegii, qui Prætores fuissent, neque in prouincias profecti essent, in sortem conicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in prouincias mitti oporteret. Siquis huic s. c. intercessisset, autoritas perscriberetur. Huic s. c. intercessit C. Celius, C. Pansa Tribb. pl. ILLA præterea Cn. Pompeii sunt animaduersa, quæ maximè confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret se ante Calend. Mart. non posse sine iniuria de prouinciis Cæsaris statuere: post Cal. Mart. se non dubitaturum. Cum interrogaretur, si qui tum intercederent: dixit hoc nihil interesse, utrum Cæsar Senatui dicto audiens futurus non esset, an pararet, qui Senatui decernere non pateretur. Quid si, inquit alius, & Consul esse, & exercitum habere uolet? At ille quàm clementer, Quid si filius meus fustem mihi impingere uolet? His uocibus, ut existimarent homines Pompeio cum Cæsare esse negotium, effecit. Itaque iam, ut video, alterutram ad conditionem descendere uult Cæsar, ut aut maneat, neque hoc anno sui ratio habeatur: aut si designari poterit, decedat. Curio se contra eum totum parat: quid assequi possit, nescio. Illud video bene sentientem, etsi nihil effecerit, cadere non posse. Me tractat liberaliter: & mihi suo munere negotium imposuit. Nam si mihi non dedisset eas, quæ ad ludos ei aduectæ erant Africanæ: potuit supersederi. Nunc quando dare necesse est: uelim tibi curæ sit, quod à te semper petii, ut aliquid istinc bestiarum habeamus: Sitianamque syngrapham tibi commendo. Libertum Philonem istuc misi, & Diogenem Græcum, quibus mandata & literas ad te dedi: eos tibi & re de qua misi, uelim curæ habeas. nam quàm uehemèter ad me pertineat, in iis, quas tibi illi reddent, literis, descripsi. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

si tu, inquis, Hirrum tractasti? Immò si scias quàm facile, quàm ne contentionis quidem minimam fuerit, pudeat te ausum illum unquam esse incedere, tanquam tuum competitorem. Post repulsam uerò risus facit: ciuem bonum ludit, & contra Cæsarem sententias dicit: expectationem corripit: Curionem prorsus non mediocriter obiurgatus. hac repulsa se mutauit. Præterea qui nunquam in foro apparuerit, non multum in iudiciis uersatus sit, agit causam liberaliter, sed raro post meridiem. De prouinciis quod tibi scripseram Idib. Sext. actum iri, interpellat iudicium Marcelli cos. des. in Cal. reiecta causa est. ne frequentiam quidem efficere potuerant. Has literas ad Idib. Non. Sept. dedi, cum ad eam diem ne profligatum quidem quicquam esset. Ut video, causa hæc integra in proximum annum transferetur: & quantum diuino, relinquendus tibi erit, qui prouinciam obtineat. Nam non expedietur successio. quando Gallia, quæ habent intercessorem, in eandem conditionem quam cæteræ prouinciæ, uocantur. Hoc mihi non est dubium: quo tibi magis scripsi, ut ad hunc euentum te parares. Ferè literis omnibus tibi de pantheris scripsi: turpe tibi erit, Patifschum Curioni decem misisse, te non multis partibus plureis. quas ipsas Curio mihi, & alias Africanas decem donauit, ne putes illum tantum prædia rustica dare scire. Tu, si modò memoria tenueris, & Cibratas accersieris, itemque in Pamphyliam literas miseris (nam ibi plureis capi aiunt) quod uoles efficies. Hoc uehemèter laboro nunc, quod seorsum à collega puo mihi omnia paranda. Amabo te, impera tibi: hoc cura. Soles libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare. In hoc negotio nulla tua, nisi loquedi, cura est, hoc est imperandi & mandandi. Nam simul atque erunt captæ: qui alant eas & deportent, habes eos quos ad Sitianam syngrapham misi. puto etiam, si ullam spem mihi literis ostenderis, me isto missurum alios. M. Fetidium equitem Romanum, amici mei filium bonum & strenuum adolescentem, qui ad suum negotium istuc uenit, tibi commendo: & te rogo ut eum in tuorum numero habeas. Agros quos fructuarios habent ciui-

tates, uult tuo beneficio, quod tibi facile & honestum factum est, immunes esse. gratos & bonos viros tibi obligaris. Nolo te putare Fauonium à columnariis præteritum esse: optimus quisque eum non fecit. Pompeius tuus non aperte Cæsarem uetat prouinciam tenere cum exercitu, & Consulem esse: tamen hanc sententiam dixit, nullum hoc tempore s. c. faciendum: Scipio hanc, ut Cal. Mart. de prouinciis Galliis, neu quid coniunctim referretur. Contristauit hæc sententia Balbum Cornelium: & scio eum conquestum esse cum Scipione. Calidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione fati frigidus. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

SANE QUAM literis C. Cassii & Deiotari sumus comoti. nam Cassius cis Euphratem copias Parthorum esse scripsit: Deiotarus, profectas per Comagenem in prouinciam nostram. Ego quidem præcipuum metum, quod ad te attinebat, habui, qui scirem quàm paratus ab exercitu esses, ne quod hic tumultus dignitati tuæ periculum afferret. nam de uita, si paratior ab exercitu esses, timuissim. nunc hæc exiguitas copiarum recessum, non dimicationem mihi tuam præfagebat. Hoc quomodo acciperent homines, quàm probabilis necessitas futura esset, uereor etiam nunc: neque prius desinam formidare, quàm tetigisse te Italiam audiero. Sed de Parthorum transitu nuntii uarios sermones excitarunt: alius enim Pompeium mittendum, alius ab Vrbe non remouendum, alius Cæsarem cum suo exercitu, alius Consules, nemo tamen ex s. c. priuatos. Consules autem, quia uerentur ne illud s. c. fiat, ut paludati exeant, aut contumeliosè præter eos ad alium res transferatur, omnino Senatui haberi nolunt: usque eò, ut parum diligentes in Repub. uideantur. sed honestè, siue negligentia, siue inertia est, siue ille quem proposui, metus latet sub hac temperatiæ existimatione, nolle prouinciam. At literæ non uenerunt: & nisi Deiotari subsecutæ essent, in eam opinionem Cassius uenerat, quæ diripuisset ipse, ut uiderentur ab hoste uastata: finxisse bellum, & Arabas in prouinciam immisisse, eosque Parthos esse, Senatui renuntiasse. Quare tibi suadeo, quicumque est istic status rerum, diligenter & cautè perscribas: ne aut uelificatus alicui dicaris, aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. Nunc exitus est anni: nam ego has literas ad Idib. Calend. Decemb. scripsi. planè nihil video ante Cal. Ian. agi posse. non fti Marcellum, quàm tardus, & parum efficax sit: itemque Seruium, quàm cunctator. Cuiusmodi putas hos esse: aut qui id, quod nolint, conficere posse, qui quæ cupiunt, tamen ita frigide agunt, ut nolle existimètur? Nouis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit, hæc causa primos menses occupabit. sin autem aut non erit istic bellum: aut tantum erit, ut uos, aut successores paruis additis copiis sustinere possint: Curionem video se dupliciter iactaturum: primum, ut aliquid Cæsari adimat: inde, ut aliquid Põpeio tribuat, quod uis, quamlibet tenue, munusculum. Paulus porrò non humanè de prouincia loquitur. huius cupiditati occursum est Furnius noster: plureis suspicari non possum. Hæc noui. alia quæ possunt accidere, non cerno. Multa tempus afferre, & præparata multa scio. Sed intra fines hos, quæcunque acciderint, uertentur. Illud addo, actiones C. Curionis de agro Campano. de quo negant Cæsarem laborare: sed Põpeium ualde uelle, ne uacuis aduenienti Cæsari pateat. Quod ad tuum decessum attinet, illud tibi non possum polliceri, me curaturum ut tibi succedatur: illud certè præstabo, nequid amplius prorogetur. Tui consilii est, si tempus, si Senatus coget, si honestè à nobis recusari non poterit, uel si ne perseverare: mei officii est, meminisse, qua obtestatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

NON DIV, sed acriter nos tuæ supplicationes torserunt. Incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse, decerni supplicationes: ne siquid furore Pauli adeptus esset boni, sua culpa uideretur amisisse, & præuaricator causæ publicæ existi-

maretur. Itaque ad pactionem descendimus: & confirmarunt Cōsules, se his supplicationibus in hunc annum non vsuros. Planè, quod vtrisque Consulibus gratias agas est: Paulo magis certè. nam Marcellus sic respondit ei, spem in istis supplicationibus non habere: Paulus se omnino in hunc annum non edicturum. Renuntiatum nobis erat Hirrum diutius dicturum: prendimus eum: non modò non fecit, sed cum de hostibus ageretur, & posset rē impedire, si vt numeraretur, postularet, tacuit. Tantum Curioni assensus est, qui de te iam locutus honorificè, non deererat supplicationes. Tertius ad hos Fauonius accessit. Quare pro cuiusque natura & instituto gratiæ sunt agenda: his, quòd tantum voluntatem ostenderunt pro sententia, cum impedire possent, non pugnarunt: Curioni verò, quòd de suarum actionum cursu tua causa deflexit. Nā Furnius & Lentulus, vt debuerunt, quasi eorum res esset, vna nobiscum circumierunt & laborarunt. Balbi quoque Cornelii operam & sedulitatem laudare possum. nam cum Curione vehemèter locutus est: & eum, si aliter fecisset, iniuriam Cæsari facturum dixit: tum eius fidem in suspicionem adduxit. Deceperant, qui iniquè transigi volebant, Domitii, Scipiones. quibus hac re ad intercessionem euocandam interpellantibus, venustissimè Curio respondit, se eò libentius non intercedere, quòd quosdam qui decernerent, videret confici nolle. Quod ad Rempub. attinet, in vnam causam omnis contentio coniecta est: de prouinciis inquam adhuc. Incubuisse cum Senatu Pompeius videtur, vt Cæsar ante Id. Nouemb. decedat. Curio omnia potius subire constituit, quàm id pati: cæteras suas abiecit actiones. Nostri porrò, quos tu bene nosti, ad extremum certamen rem deducere non audent. Scena rei totius hæc, Pompeius tanquam Cæsarem non impugnet, sed quod illi æquum putet, constituat, ait Curionem quærere discordias. Valde autem non vult, & planè timet Cæsarem c o s. designari prius quàm exercitum & prouinciam tradiderit. Accipitur satis malè à Curione: & totus eius secundus consulatus exagitur. Hoc tibi dico: si omnibus rebus prement Curionem, Cæsar defendetur: intercessorem si (quod videntur) reformidabunt, Cæsar, quoad volet, manebit. Quam quisque sententiam dixerit, in commētario est rerum vrbanarum: è quo tu, quæ digna sunt, selige: multa transi, in primis ludorum explosiones: & funerum, & cæterarum ineptiarum plura habet inutilia. Denique malo in hanc partem errare, vt quæ non desideras, audias, quàm quicquam, quod opus est, prætermittatur. Tibi curæ fuisse de Sitiano negotio, gaudeo. Sed quando suspicaris minus certa fide eos tibi vivos, tanquam procurator sic agas, rogo. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

P V D E T me tibi confiteri, & queri de Appii hominis ingratiissimi iniuriis, qui me odisse, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: & cum homo avarus, vt ea solueret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit, ita occultum tamen, vt multi mihi renuntiarēt, & ipse facillè animaduerterem, malè eum de me cogitare. Postquam verò comperi eum collegium tentasse, deinde apertè cum quibusdam locutum, cum L. Domitio, vt nunc est, mihi inimicissimo homine deliberare velle, hoc munusculum deferre Cn. Pōpeio: ipsum reprehenderem, & ab eo deprecarer iniuriam, quem vitam mihi debere putaram, impetrare à me non potui. Quid ergo est? tum quidem cum aliquot amicis, qui testes erant meorum in illum meritorum, locutus sum. Postquam illum, ne cui satisfaceret quidem, me dignum habere sensi: malui collegæ eius homini alienissimo mihi, & propter amicitiam tuam non æquissimo me obligare, quàm illius simiæ vultum subire. Id postquam rescit, excanduit, & me causam inimicitiarum quærere clamitavit: quasi, quòd mihi in pecunia minus satisfecisset, per hanc speciem simultatis eum confectarer. Postea non destitit accersere palam Seruiū accusatorem, inire cum Domitio consilia. Quibus cum parum procederet, vt vlla lege mihi poneret accusatorem: compellari ea lege me voluerunt, qua dicere non poterant. Insolentissimi homines summis Circensibus ludis meis postulandum me lege Scantiniæ cu-

rant. Vix hoc erat Pola elocutus, cum ego Appium Ces. eadem lege postulau: quod melius caderet, nihil vidi: nam sic est à populo, & non infimo quoque approbatum, vt maiorem Appio dolorem fama, quàm postulatio attulerit. Præterea cœpi facellum, in domo quod est, ab eo petere. Conturbat me mora ferui huius, qui tibi literas attulit: nā acceptis prioribus literis, amplius quadraginta mansit. Quid tibi scribam nescio: scis Domitio diè timori esse. Expecto te valde, & quamprimùm videre cupio. A te peto, vt meas iniurias perinde doleas, vt me existimas & dolere, & tuas vlciisci solere. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

GRATV L O R tibi affinitate viri mediussidius optimi: nam hoc ego de illo existimo. cætera porrò, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit, & ætate iam sunt decursa, & consuetudine atque autoritate tua pudore Tullia, si qua restabunt, confido celeriter sublatum iri. non est enim pugna in vitiis, neque hebes ad id, quod melius sit, intelligendum. deinde (quod maximum est) ego illum valde amo. Vides Cicero Curionem nostrum lautum intercessionis de prouinciis exitum habuisse: nā cum de intercessione referretur, quæ relatio fiebat ex s. c. primaque M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum Tribunis pl. censebat: frequens Senatus in alia omnia iit. Stomacho est scilicet Pompeius Magnus nunc ita languenti, vt vix id, quod sibi placeat, reperiat. transierant illuc, vt ratio esset eius habenda, qui neque exercitum, neque prouincias tradere vellet. quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cum cognoscat, quidnam Reipub. futurum sit, si aut non possit, aut non curet, vos senes diuites videritis.

Q. Hortensius, cum has literas scripsi, animam agebat. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

T A N T I non fuit Arfacem capere, Seleuciam expugnare, vt earum rerum, quæ hęc gesta sunt, spectaculo careres. nūquam tibi oculi doluissent, si in repulsa Domitii vultum vidisses. magna illa comitia fuerunt: & planè studia ex partium sensu apparuerunt, perpauci necessitudinem secuti, officium præstiterunt. Itaque mihi est Domitius inimicissimus, vt ne familiarè quidem suum, quem nosti, tam oderit, quàm me: atque eò magis, quòd per iniuriam sibi putat ereptum, cuius ego author fuerim. Nunc furit tam gauisos homines suum dolorem, vnumque me studiosiorem Antonii. Nam Cn. Saturninum adolescentem ipse Cn. Domitius reum fecit, sanequam à superiore vita inuidiosum. quod iudicium nunc in expectatione est, etiam in bona spe, post Sext. Pe ducei absolutionem. De summa Repub. sæpe tibi scripsi me etiamnum pacem non videre: & quòd propius ea contentio, quàm fieri necesse est, accedit, eò clarius id periculum apparet. Propositum hoc est, de quo qui rerum potiuntur, sunt dimicaturi: quòd Cn. Pompeius constituit non pati C. Cæsarem Consulem aliter fieri, nisi exercitum & prouincias tradiderit: Cæsari autem persuasum est, se saluum esse non posse, si ab exercitu recesserit. fert illam tamen conditionem, vt ambo exercitus tradant. Sic illi amores, & inuidiosa coniunctio non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad bellum erumpit: neque mearum rerum quid consilii capiam, reperio: neque dubito quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura. Nā mihi cum hominibus his & gratia est & necessitudo: tamen tantum causam illam, non homines odi. Illud te non arbitror fugere, Q V I N homines in dissensione domestica debeant, quandiu ciuilitate sine armis certetur, honestiorem sequi partem: vbi ad bellum & castra ventum sit, firmiorem: & id melius statuere, quod tutius sit. In hac discordia video Cn. Pompeium, Senatum, quique res iudicant, secum habiturum: ad Cæsarem omnes qui cum timore aut mala spe viuunt, accessuros: exercitum conferendum non esse. omnino sat spatii sit ad considerandas vtriusque copias, & ad eligendam partem. Propè oblitus sum, quod maximè fuit scribendum. Scis Appium c o s. hęc ostenta facere: de signis & tabulis, de agri modo, de ære alieno acerrimè agere: Persuasum est ei, Censuram lomentum aut nitrum esse. Errare mihi videtur. Nam sordes eluere vult: venas sibi omneis & viscera

aperit. Curre per deos atque homines, & quamprimùm hæc risum veni, legis Scantiniæ iudicium apud Drufum fieri, Appium de tabulis & signis agere. crede mihi, est properandum. Curio noster sapienter id quod remisit de stipendio Pompeii, fecisse existimatur. Ad summam, quæris quid putem futurum? si alteruter eorum ad Parthicum bellum non eat, video magnas impendere discordias: quas ferrum & vis iudicabit. vterque & animo & copiis est paratus. Si sine summo periculo fieri posset, magnū & iucundum tibi fortuna spectaculum parabit. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

EC QUANDO tu hominem ineptiorem, quàm tuum Cn. Pompeium vidisti, qui tantas turbas, qui tam nugax esset, commoritur? e quem autem Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in victoria temperatiorem aut legisti, aut audisti? Quid est? nunc tibi nostri milites, qui durissimis & frigidissimis locis teterrima hyeme bellū ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur? Quid? Iam, inquires, gloriose. Imò si scias quàm sollicitus sum, tum hanc meam gloriam quæ ad me nihil pertinet, derideas. quæ tibi exponere nisi coram nō possum: idque celeriter fore spero: nam me, cum expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad Urbem vocare: id quod iam existimo confectum: nisi maluit Pompeium Brundusii circumsedere. peream, si minima causa est properandi istò mihi, quòd te videre & omnia intima conferre discupio. Habeo autem quàm multa? hui vereor, quod solet fieri, ne cum te videro, omnia obliuiscar. Sed tamen quodnam ob scelus iter mihi necessarium retrò ad Alpeis versus incidit? adeò quòd Intimeli in armis sunt, neque de magna causa. Bellienus verna Demetrii, qui ibi cum præsidio erat, Domitium quendam nobilem illic Cæsaris hospitem, à contraria factione numis acceptis comprehendit & strangulavit. ciuitas ad arma iit. eò nunc cum quatuor cohortibus mihi per niueis eundū est. Vsq̄ue quaque, inquis, se Domitii malè habent. Vellem quidem Venere prognatus tantum animi habuisset in vestro Domitio, quantum ipse catenatus in hoc habuit. Ciceroni F. S. D. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

EX ANIMATVS sum tuis literis: quibus te nihil nisi triste cogitare ostendisti: neque id quid esset perscripsisti: neque non tamen quale esset, quod cogitares aperuisti. has illico ad te literas scripsi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro & obsecro, ne quid grauius de salute & incolumitate tua consulas: nam deos, hominèsq̄ue, amicitiamque nostram testificor, me neque temerè tibi prædixisse, neque temerè monuisse, sed postquam Cæsarem conuenerim, sententiàmque eius, qualis futura esset parta victoria, cognouerim, te certiore fecisse. Si existimas eandem rationem fore Cæsari in dimittendis aduersariis, & conditionibus ferendis, erras. Nihil nisi atrox & sæuum cogitat, atque etiam loquitur. iratus Senatui exiit. his intercessionibus planè incitatus est. non mehercule erit deprecationi locus. Quare si tibi tu, si filius vnicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi charæ sunt: si aliquid apud te nos, si vir optimus gener tuus valet: eorum fortunas non debes velle cõturbare, vt eam causam, in cuius victorias salus nostra est, odisse aut relinquere cogamur: aut impiam cupiditatem cõtã salutem tuam habeamus. Denique illud cogita, quod offensæ fuerit, in ista cunctatione te prius subisse: nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus lædere noluisti: & ad eos fugatos accedere, quos resistenteis sequi nolueris, summæ stultitiæ est. Vide, ne dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter quid optimum sit eligas. Quòd si rotum tibi persuadere non possum: saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta: quas tibi nuntio aduentu Cæsaris fore nostras. quam isti spem habeant, amissis Hispaniis, nescio. Quod porrò tuum consiliū sit ad desperatos accedere, non mediūfidius reperio. hoc quod tu non dicendo mihi significasti, Cæsar audierat: ac simulat- que, aue, mihi dixit: statim quid de te audisset exposuit. negaui me scire: sed tamen ab eo petii, vt ad te literas mitteret, quibus maximè ad remanendum commoueri posses.

Me secum in Hispaniã ducit. Nam nisi ita faceret, ego prius quàm ad urbem accederem, vbicunque esses, ad te percurrissem, & hoc à te præfens contendissem, atque omni vi te retinuissem. Etiam atque etiam mi Cicero cogita, ne te tuosque omneis funditus euertas: ne te sciens prudensque eò demittas, vnde exitum vides nullū esse. Quòd si te aut voces optimatum commouent, aut nonnullorum hominum insolentiam & iactationem ferre non potes: eligas, censeo, aliquod oppidum vacuum à bello, dū hæc decernuntur, quæ iam erunt confecta. Id si feceris, & ego te sapienter fecisse iudicabo, & Cæsarem non offendes. Vale.

M. CELIVS M. CICERONI S. D.

ERGO me potius in Hispania fuisse tum, quàm Formiis, cum tu profectus es ad Pompeium? quod vtinam aut non in ista parte Appius Claudius, aut non in hac C. Curio: cuius amicitia me paulatim in hanc perditam causam imposuit. nam mihi sentio bonam mentem iracundia & amore ablatam. Tum tu porrò, cum ad te proficiscens noctu Ariminum venissem: dum mihi pacis mandata das ad Cæsarem, & mirificum ciuem agis, amici officium neglexisti, neque mihi cõsuluisti. Neque hæc dico, quòd diffidam huic causæ: sed crede mihi, perire satius est, quàm hos videre. Quòd si timor vestræ crudelitatis non esset, eiectione iam pridem hinc essemus. nam hinc nunc præter fœneratores paucos nec homo, nec ordo quisquam est, nisi Pompeianus. Equidem iam effeci, vt maximè plebs, & qui antea noster fuit, populus, vester esset. Cur hoc, inquis? imò reliqua expecta. vos inuitos vincere coëgero. irritaui in me Catonem. Vos dormitis, nec hæc adhuc mihi videmini intelligere, quæ nos pateamus, & quæ simus imbecilli. atque hoc nullius præmii spe faciã, sed quod apud me plurimùm solet valere, doloris atque indignitatis causa. Quid istic facitis? prælium expectatis, quod firmissimum est: vestras copias non noui: nostri valde depugnare, & facile algere, & esurire consue- runt. Vale.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD VARRONEM, ET ALIOS LIBER IX.

M. T. CICERO M. TERENTIO VARRONI S. D.



X IIS literis, quas Atticus à te missas mihi legit, quid ageres, & vbi esses, cognoui. Quando autem te visuri essemus, nihil sanè ex eisdem literis potui suspicari. In spem tamē venio, appropinquare tuum aduētum: qui mihi vtinam solatio sit. etsi tot, tantisque rebus vrgemur, vt nullam alleuationem quisquam non stultissimus sperare debeat. Sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliqua re iuuare: scito enim me, posteaquam in Urbem venerim, rediisse cum veteribus amicis, id est, cum libris nostris in gratiam. etsi non iccirco eorum vsum dimiseram, quòd iis succenserem, sed quòd eorum me suppudebat: videbar enim mihi, cum me in res turbulentissimas infidelissimis fociis demissem, præceptis illorum non satis paruissè. Ignoscunt mihi, & reuocant in consuetudinem pristinam: tēque, quòd in ea permaneris, sapientiore quàm me dicunt fuisse. Quamobrem quando placatis his vtor, videor sperare debere, si te viderim, & ea quæ premant, & ea quæ impendeant, me facile transiturum. Quamobrem siue in Tusculano, siue in Cumano ad te placebit, siue (quod minimè velim) Romæ: dummodo simul simus, perficiam profectò, vt id vtrique nostrum commodissimum esse videatur. Vale.

CICERO VARRONI S. D.

CANINIVS idem tuus, & idem noster, cum ad me peruesperi venisset, & se postridie mane ad te iturum esse dixisset: dixi ei me daturum aliquid mane, & vt peteret

rogavi. Conscripsi epistolam noctu: nec ille ad me rediit. oblitum credidi. Attamen eam ipsam epistolam misissem per meos, nisi audissem ex eodem postridie te mane Tusculano exiturum. At tibi repente paucis post diebus, cum minimè expectarem, venit ad me Caninius mane: proficisci ad te statim dixit. Et si erat ἐὼς illa epistola, praefertim tantis postea novis rebus allatis: tamen perire meam lucubrationem nolui, & eam ipsam Caninio dedi. sed cum eo, & homine docto, & amantissimo tui, locurus esum, quæ pertulisse illum ad te existimo. Tibi autem idem consilii do, quod mihi metipsum, ut vitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus: qui enim victoria se efferunt, quasi victos nos intuentur: qui autè victos esse nostros molestè ferunt, nos dolent vivere. Quæres fortasse, cur cum hæc in Vrbe sint, non absim, quemadmodum tu. Tu enim ipse qui & me & alios prudentia vincis, omnia credo vidisti: nihil omnino te sefellit. Quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat: ac mihi quidem iam pridem venit in mentem, bellum esse aliquò exire, ut ea quæ agebantur hîc, quæque dicebantur, nec viderem, nec audirem. sed calumniabar ipse: putabam qui obuiâ mihi venisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum, aut dicturum etiam, si non suspicaretur, Hic aut metuit, & ea re fugit: aut aliquid cogitat, & habet nauem paratam. Denique leuissimè qui suspicaretur, & qui fortasse me nouisset optimè, putaret me iccirco discedere, quòd quosdam homines oculi mei ferre non possent. Hæc ego suspicans, adhuc Romæ maneo: & tamè λεληθὸς consuetudo diurna callum iam obduxit stomacho meo. Habes rationem mei consilii. tibi igitur hæc.

Censeo latendum tantisper ibidem, dum deferuescat hæc gratulatio, & simul dum audiamus quemadmodum negotium confectum sit: confectum enim esse existimo. Magni autè intererit, qui fuerit victoris animus, qui exitus rerum. Quamquam quòd me coniectura ducat, habeo: sed expecto tamen. Te verò nolo, nisi ipse rumor iam rucus erit factus, ab Baias venire: erit enim nobis honestius etiam, cum hinc discesserimus, videri venisse in illa loca ploratum potius quàm natatum. Sed hæc tu melius: modò fiet nobis illud, vnà vivere in studiis nostris, à quibus antea delectationem modò petebamus, nunc verò etiam salutem: non deesse, si quis adhibere volet non modò ut architectos, verum etiam ut fabros ad ædificandam Rempub. potius libenter accurrere: sin nemo vtetur opera, tamen & scribere, & legere πολιτείας: & si minus in curia atque in foro, at in literis & libris ut doctissimi veteres fecerunt, nauare Reipub. & de moribus ac legibus quærere. Mihi hæc videntur: tu quid sis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit, si ad me scripseris. Vale.

CICERO VARRONI S. D.

ET SI quid scriberem non habebam: tamen amico ad te eunti non potui nihil dare. Quid ergo potissimum scribam: quod velle te puto, citò me ad te esse venturum. et si vide quæso, satisne rectum sit nos hoc tanto incendio ciuitatis in istis locis esse. Dabimus sermonem iis, qui nesciunt, nobis, quocunque in loco simus, eundè cultum, eundem victum esse. Quid refert: tamen in sermonem incidemus. valde id, credo, laborandum est, ne cum omnes in omni genere, & scelerum & flagitiorum volutentur, nonstra nobiscum, aut inter nos cessatio vituperetur. Ego verò neglecta barbarorù inscitia te persequar: quanuis enim hæc sint misera, quæ sunt miserrima, tamen artes nostræ nescio quo modo nunc vberiores fructus ferre videntur, quàm olim ferebāt: siue quia nulla nunc in re alia acquiescimus: siue quòd grauitas morbi facit, ut medicinæ egeamus, eaque nunc appareat, cuius vim non sentiebamus, cum valebamus. Sed quid ego hæc ad te, cuius domi nascuntur, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας? nihil scilicet, nisi ut rescribens aliquid, me expectares. Sic igitur facies. Vale.

CICERO VARRONI S. D.

Γεε δυνάτων me scito καὶ Διόδωρον κρίνειν. quapropter si venturus es, scito necesse esse te venire. sin autem non es, καὶ ἀδυνατῶν est te venire. Nunc vide, vtra te κρίσις ma-

gis delectet, Χρυσιπεία ne, an hæc quam noster Diodorus non cōcoquebat. Sed de his etiam rebus, otiosi cum erimus, loquemur. Hoc etiam est καὶ Χρυσιπείων δυνάτων. De Costio mihi gratum est: nam id etiam Attico mandaram. Tu si minus ad nos, nos accurremus ad te. si horum in bibliotheca habes, nihil deerit. Vale.

CICERO VARRONI S. D.

MIHI verò ad Non. bene maturum videtur fore, neque solum propter Remp. sed etiam propter anni tempus. Quare diem istum probò: itaque eundè ipse sequar. Consilii nostri ne si eos quidem, qui id secuti non sunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem: secuti enim sumus non spem, sed officium: reliquimus autem non officium, sed desperationem: ita verecūdiores fuimus, quàm qui se domo non commouerunt: saniores, quàm qui amissis opibus domum non reuerterunt. Sed nihil minus fero, quàm feueritatem otiosorum: & quoquo modo res se habet, magis illos vereor qui in bello occiderunt, quàm hos curo, quibus non satisfacimus, quia viuimus. Mihi si spatium fuerit in Tusculanum ante Non. veniendi, istic te videbo: sin minus, persequar in Cumanum, & antè te certiolem faciam, ut lauatio parata sit. Vale.

CICERO VARRONI S. D.

CANINIUS noster me tuis verbis admonuit ut scriberem ad te, siquid esset quod putare te scire oportere. Est igitur aduentus in expectatione: neque tu id ignoras. sed tamen cum ille scripsisset, ut opinor, se in Alfiense venturum, scripserunt ad eum sui, ne id faceret: multos ei molestos fore, ipsumque multis: in Pontinum videri commodius eum exire posse. Id ego non intelligebam quid interesset. sed tamen Hircius mihi dixit, & se ad eum, & Balbum, & Oppiū scripsisse ut ita faceret, homines (ut cognoui) amantes tui. Hoc ego iccirco nosse te volui, ut scires, hospitium tibi vbi parares, vel potius vbi vtrique: quid enim ille factururus, incertum est: & simul ostentaui, me istis esse familiaris, & consiliis eorū interesse. Quod ego cur nolim nihil video. NON enim est idem ferre, siquid ferendum est: & probare, siquid probandum non est. Et si quid non probem quidem, nescio, præter initia rerum: nam hæc in voluntate fuerunt. vidi enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere bellum, hunc autem non tam cupere, quàm non timere. Ergo hæc consilii fuerunt, reliqua necessaria. vincere autem aut hos, aut illos, necesse est. Scio te semper mecum in luctu fuisse, cum videremus, quàm illud ingens malum alterutrius exercitus ex ducum interitu: tum verò, extremum malorum omnium esse ciuilem belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus: crudeliter enim otiosis minabantur: eratque iis & tua inuisa voluntas, & mea oratio. Nunc verò si essent nostri potiti, valde intemperantes fuissent: erant enim nobis perirati, quasi quicquam de nostra salute decreuissemus, quod non idem illis censuissemus: aut quasi vtilius Reipub. fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere, quàm vel mori, vel cum spe si non optima, at aliqua tamen vivere. At in perturbata Rep. viuimus. quis negat: sed hæc viderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omnem vitam status parauerunt: huc enim ut venirem, superior longius, quàm volui, fluxit oratio. cum enim te semper magnum hominem duxi, tum quòd his tempestatibus es propè solus in portu, fructusque doctrinæ percipis eos qui maximi sunt, ut ea consideres, eaque tractes, quorum & vsus, & delectatio est omnibus istorum & actis, & voluptatibus anteposenda. Equidem hos tuos Tusculanenses dies instar esse vitæ puto: libentèrque omnibus omnibus opes concesserim, ut mihi liceat vi nulla interpellante, isto modo vivere. Quod nos quoque imitamur, ut possumus, & in nostris studiis libentissimè conuiescimus: QUI enim hoc non dederit nobis, ut cum opera nostra patria siue non possit vti, siue nolit, ad eam vitam reuertamur, quam multi docti homines, fortasse non rectè, sed tamen multi, etiam Reip. præponendam putauerunt: Quæ igitur studia magnorù hominù sententia vacatione habent etiã publici muneris, iis concedente Rep. cur non abutamur? Sed plus facio, quàm Caninius mandauit. G.i.

is enim, siquid ego scirem, rogarat, quod tu nescires: ego tibi ea narro quæ tu melius scis, quàm ipse qui narro. Faciam ergo illud quod rogatus sum, ut eorum quæ temporis huius sint, quæ tua interesse audiero, nequid ignores. Vale.

CICERO VARRONI S. D.

COENABAM apud Seium, cum utriusque nostrum redditæ sunt à te literæ. mihi verò iam maturum videtur. Nam quòd antea te calumniatus sum, indicabo malitiam meam. volebam propè alicubi esse, siquid bonæ salutis *σώτε δὲ ἐρχομένω*. Nunc quando confecta sunt omnia, dubitandum non est quin equis velis. nam ut audiui de Lucio Cæsare filio, mecum ipse, Quid hic mihi faciet patri? Itaque non desino apud istos, qui nunc dominantur, cœnitare. Quid faciã? tempori seruiendum est. Sed ridicula missa, præsertim cum sit nihil quod rideamus, Africa terribili tremit horrida terra tumultu. Itaque nullum est *ἀποπεινυμένων*, quod non verear. Sed quod quæris, quando, quæ, quò: nihil adhuc scimus. istuc ipsum de Baiis: nonnulli dubitant, an per Sardiniam veniat: illud enim adhuc prædium suum non inspexit, nec vllum habet deterius, sed tamen non contemnit. Ego omnino magis arbitror per Siciliam, vel iam sciemus: aduētat enim Dolabella. eum puto magistrum fore. *πολλοὶ μαθητὰ κρείττους διδασκάλων*.

Sed tamen si sciam quid tu constitueris, meum consilium accommodabo potissimum ad tuum: quare expecto tuas literas. Vale.

CICERO VARRONI S. D.

ETS I munus flagitare, quauis quis ostenderit, ne populus quidē solet, nisi cōcitus: tamen ego expectatione promissi tui moueor, ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos: nosti enim profectò os eius adolescentioris Academia. Ex ea igitur media excitatos misi: qui metuo ne te fortè flagitet: ego autē mandauit, ut rogarent. Expectabam omnino iandiu, meque sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quàm aliquid accepissem, ut possem te remunerari quàm millimo munere. Sed cum tu tardius faceres, id est, ut ego interpretor, diligentius: teneri non potui quin coniunctionem studiorum, amorisque nostri, quo possem, literarum genere declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cum esset vnà Pōponius, tibi dedi parteis Antiochianas, quas à te probari intellexisse mihi videbar: mihi sumpsit Philonis. puto fore, ut cum legeris, mirere id nos locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus: sed nosti more dialogorum. posthac autem mi Varro quamplurima, si videbitur, & de nobis, & inter nos: sero fortasse: sed superiorum temporum fortuna, Reip. causam sustineat. Hæc ipsi præstare debemus. Atque utinam quietis temporibus, atque aliquo si non bono, at saltem certo statu ciuitatis hæc inter nos studia exercere possemus. quanquam tum quidē vel alia quæpiã rationes honestas nobis & curas & actiones darent. Nunc autem quid est, sine his cur viuere velimus? mihi verò cum his ipsis vix, his autem detractis ne vix quidem. sed hæc coram, & sapius. Migrationem & emptionem feliciter euenire volo, tuumque in ea re consilium probo. Cura ut valeas.

DOLABELLA CICERONI S. D.

SI vales, gaudeo: & ipse valeo, & Tullia nostra rectè valet. Terentia minus bellè habuit: sed certum scio iam conualuisse eam. Præterea rectissimè sunt apud te omnia.

Etsi nullo tempore in suspicionem tibi debui venire, partium causa potius, quàm tua tibi suadere, ut te aut cum Cæsare, nobiscumque coniungeres, aut certè in otium referres: præcipue nunc iam inclinata victoria, ne possum quidem in vllam aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tua de re tibi suadere videar, quod piè tacere non possum. Tu autem mi Cicero sic hæc accipies, ut siue probabuntur tibi, siue non probabuntur, ab optimo certè animo, ac de ditissimo tibi & cogitata & scripta esse iudices. Animaduertis Cn. Pompeium nec nominis sui, nec rerum gestarum gloria, nec etiam Regum aut nationum clientelis, quas ostentare crebrò solebat esse tutum: & hoc etiam, quod infimo cuique cōtingit, illi non posse cōtingere, ut honestè effugere possit, pulso Ita-

lia, amissis Hispaniis, capto exercitu veterano, circumuallato nunc denique: quod nescio an vllum vnquam nostro acciderit imperatori. Quamobrem quid aut ille sperare possit, aut tu, animum aduerte pro tua prudentia: sic enim facillimè, quod tibi vtilissimum erit, consilii capies. Illud autem à te peto, ut, si iam ille euitauerit hoc periculum, & se abderit in classem, tu tuis rebus consulas, & aliquando tibi potius, quàm cuiuis, sis amicus. satisfactum est iam à te vel officio, vel familiaritati: satisfactum etiam partibus, & ei Reip. quam tu probabas. Reliquum est, ubi nunc est Respub. ibi simus potius, quàm, dum illam veterem sequimur, simus in nulla. Quare velim mi iucundissime Cicero, si fortè Pōpeius pulsus his quoque locis, rursus alias regiones petere cogatur, ut tu te vel Athenas, vel in quauis quietam recipias ciuitatem. quod si eris factururus, velim mihi scribas: ut ego, si vllò modo potero, ad te aduolem. quæcunque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda, qua est humanitate Cæsar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum authoritatis habituras puto. erit tuæ quoque fidei & humanitatis, curare ut is tabellarius, quem ad te misi, reuerti possit ad me, & à te mihi literas referat. Vale.

CICERO P. DOLABELLAE S. D.

NON sum ausus Saluio nostro nihil ad te literarum dare: nec mehercule habebam quid scriberem, nisi te à me mirabiliter amari: de quo, etiam nihil scribete me, te non dubitare certò scio. omnino mihi magis literæ sunt expectandæ à te, quàm à me tibi: nihil enim Romæ geritur, quod te putem scire curare: nisi fortè scire vis, me inter Niciam nostrum & Vidium iudicem esse. profert alter (ut opinor) duobus versiculis expensum Niciæ: alter Aristarchus hos *ὀβελίσζι*. Ego tanquam criticus antiquus iudicaturus sum, utrum sint *τῶ ποιητοῦ*, an *παρεμβεβλημένοι*. Puto te nunc dicere, Oblitusne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam & ingentium culinarum cum Sophia Septimæ: quid ergo? tu adeò mihi excusam feueritatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquæ pristinae frontis appareant: sed tamen suauissimum *συμβώτιον* nostrum præstabo integellum: nec committam, ut, si ego eum condemnaro, tu restituas, ne habeat Plancus Bursa, apud quem literas discat. Sed quid ago? cum mihi sit incertum, tranquillone sis animo, an, ut in bello, in aliqua maiuscula cura, negotiue versere, labor longius. Cum igitur mihi erit exploratum te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. te tamen hoc scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Syllæ morte antè, quàm certum scierit. nunc quærere desierunt, quomodo perierit. satis putant se scire quod sciunt. Ego cæterò qui animo æquo fero: vnum vereor, ne hausta Cæsaris refrixerit. Vale.

CICERO DOLABELLAE SVO S. D.

VEL meo ipsius interitu mallet literas meas desiderares, quàm eo casu, quo sum grauissimè afflictus: quem ferrem certè moderatius, si te haberem: nam & oratio tua prudens, & amor erga me singularis multum leuaret. sed quoniam breui tempore, ut opinio nostra est, te sum visurus: ita me affectum offendes, ut multum à te possim iuari: non quò ita sim fractus, ut aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendum putem: sed tamè hilaritas illa nostra, & suauitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi omnis est. firmitatem tamen, & constantiam, si modò fuit aliquando in nobis, eandem cognosces quam reliquisti. Quòd scribis, prælia te mea causa sustinere: non tam id laboro, ut, si qui mihi obtrectent, à te refutentur: quàm intelligi cupio, quod certè intelligitur, me à te amari. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo: ignoscasque breuitati mearum literarum: nam & celeriter vnà futuros nos arbitror, & nondum satis confirmatus sum ad scribendum. Vale.

CICERO DOLABELLAE S. D.

GRATVLO Baiis nostris: siquidem, ut scribis, salubres repente factæ sunt. nisi fortè te amant, & tibi assentantur, & tandiu, dum tu ades, sunt oblita sui. quod quidem

si ita est, minimè miror, cælum etiam & terras vim suam, si tibi ita conueniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam tecum, quod non putaram. Itaque eam tibi misi, velim sic legas, ut causam tenuem & inopem, nec scriptione magnopere dignam. Sed ego hospiti veteri, & amico munusculum mittere volui. leuidentem crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu velim animo sapiētī, fortique sis, ut tua moderatio & grauitas, aliorum infamet iniuriam. Vale.

CICERO DOLABELLAE S. D.

C. SVBERIMVS Calenus & meus est familiaris, & Leptæ nostri familiarissimi per-necessarius. Is cum vitandi belli causa profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in ea prouincia esset, in qua nemo nostrum post Afranium superatum, bellum vllum fore putarat: incidit in ea ipsa mala, quæ summo studio vitauerat: oppressus est enim bello repentino, quod bellum comotum à Scapula, ita postea confirmatum est à Pompeio, ut nulla ratione se ab illa miseria eripere posset. Eadem causa ferè est M. Planii hæredis, qui est itē Calenus, Leptæ nostri familiarissimus. Hocce igitur ambos sic tibi commendo, ut maiore cura, studio, sollicitudine animi commendare non possim. volo ipforum causa: meque in eo vehementer & amicitia mouet, & humanitas. Lepta verò cum ita laboret, ut eius fortunæ videantur in discrimen venire: non possum ego nō aut proximè, atque ille, aut etiam æquè laborare. Quapropter estis sæpe expertus sum, quantum me amares: tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maximè iudicaturum. Peto igitur à te, vel, si pateris, oro, ut homines miseros, & fortuna, quam vitare nemo potest, magis, quam culpa calamitosos, cōserues incolumeis: velisque per te, me hoc muneris cum ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quicum mihi magna necessitudo est: tum Leptæ, quæ omnibus antepono, dare. quod dicturus sum, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere. Res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix equestris. Quapropter quando his Cæsar vitam sua liberalitate concessit, nec est quod iis præterea magnopere possit adimi: redditum, si me tantum amas, quantum certè amas, hominibus cōfice. in quo nihil est, præter viam longam: quam iccirco non fugiunt, ut & viuant cum suis, & moriantur domi. quod ut enitare, contēdāsque, vel potius ut perficias (posse enim te mihi persuasi) vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO DOLABELLAE COS. S. D.

ETS I contentus eram mi Dolabella tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiā, voluptatēque capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgò, hominum opinio socium me ascribat tuis laudibus. neminē conueni (conuenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis causa in hac loca conueniant, præterea ex municipiis frequentes necessarii mei) quin omnes, cum te summis laudibus ad cælum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant: negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis & consiliis obtemperās, præstantissimum te ciuem, & singularem Consulē præbeas. Quibus ego quanquam verissimè possum respondere, te, quæ facias, tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio: tamen neque planè assentior, ne imminuam laudem tuam, si omnis à meis consiliis profecta videatur: neque valde nego. sum enim audior etiam, quam satis est, gloriæ. Est tamen non alienum à dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni Regum Regi fuit honestum, habere aliquē in consiliis capiendis Nestorē: mihi verò gloriosum, te iuuenem Consulē florere laudibus quasi alumnum disciplinæ meæ. L. quidem Cæsar, cum ad eum ægrotum Neapolim venissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antè, quam me planè salutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud fororis filium valerem, iam salui esse possemus. Dolabellæ verò tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem post te Consulē solum possumus verè Consulē dicere. Deinde multa

de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum vnquam, nihil Reipub. salutaris. atque hæc vna vox omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hæreditatem alienæ gloriæ finas cernere, meque aliqua ex parte in societate tuarum laudum venire patiari. quanquam mi Dolabella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas, si modò sunt aliqua meæ laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti: tum tuis his factis sic incensus sum, ut nihil vnquam in amore fuerit ardentius. NIHIL est enim (mihi crede) virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui (ut scis) M. Brutum propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem atque constantiam: tamen Idib. Mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augēdi in eo, quod mihi iam pridem cumulatam esse videbatur. quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere: tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Quare quid est quod ego te hortor, ut dignitati & gloriæ seruias: proponā tibi claros viros, quod facere solent qui hortantur: neminem habeo clariorem, quam te ipsum. te imitere oportet: tecum ipse certes. Nec licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse. quod cum ita sit, hortatio nō est necessaria, gratulatione magis vtendum est: contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis non modò non inuidiosa, sed etiam popularis esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitàti tuæ: sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenii atque consilii. legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius: ita pedetentim & gradatim tum accessus à te ad causam facti, tum recessus: ut res ipsa maturitatem tibi animaduertēdi omnium concessu daret. Liberaisti igitur & urbem periculo, & ciuitatem metu: neque solum ad tempus maximam vtilitatem attulisti, sed etiam ad exēplum. quo facto intelligere debes in te repositam esse Reipub. tibi que non modò tuendos, sed etiam ornandos esse illos viros, à quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. Tu quando Remp. nosque conseruas, fac vt diligentissimè te ipsum mi Dolabella custodias. Vale.

CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

DVABVS tuis epistolis respōdebo: vni, quam triduo antè acceperā à Zetho: alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis literis intellexi pergratā tibi esse curam meā valetudinis tuæ: quam tibi perspectā esse gaudeo: sed, mihi crede, non perinde, ut est re ipsa, ex literis perspicere potuisti. nam cum à fatis multis (non enim possum aliter dicere) & coli me videā, & diligi, nemo est illorum omnium mihi te iucundior. nam quod me amas, quod id & iam pridem, & constanter facis, est id quidem magnum, atque haud scio an maximum, sed tibi comune cum multis: quod tu ipse tam amāduus es, tamque dulcis, tamque in omni genere iucundus, id est propriè tuum. Accedunt non Attici, sed falsiores quam illi Atticorum, Romani veteres atque urbani sales. Ego autē (existimes licet quod lubet) mirificè capior facetiis, maximè nostratibus, præsertim cum eas videam primū oblitus Latio tum, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas: nunc verò etiam brachatis & transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat. Itaque te cum video, omneis mihi Granios, omneis Lucilios, verè ut dicam, Crassos quoque, & Lælios videre videor. Moriar, si præter te quenquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ & vernaculæ festiuitatis agnoscere. Ad hos lepores cum amor erga me tantus accedat, miraris me tanta perturbatione valetudinis tuæ tam graui exanimatum fuisse? Quod autem altera epistola purgas te non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed auctorem commorationis urbanæ: neque ego aliter accepi: intellexi tamen idem, quod his intelligo literis, non existimasse te, mihi licere id quod ego arbitrabar, res has non

omnino quidem, sed magnā partem relinquere. Catulum mihi narras, & illa tēpora: quid simile? ne mihi quidē ipsi tunc placebat diutius abesse ab Reip. custodia. sedebamus enim in puppi, clauūque tenebamus: nūc autē vix est in sentina locus. An minus multa s. c. futura putas, si ego sim Neapoli: Romæ cum sum, & vrgeo forum, s. c. scribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum. Et quidem, cum in mentem venit, ponor ad scribēdum: & antē audio s. c. in Armeniam & Syriā esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quā omnino mentionem vllā de ea re esse factā. Atque hoc nolim me iocari putes. nam mihi scito iam à Regibus vltimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quod se mea sententia Reges appellauerim: quos ego non modò Reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Quid ergo est: tamen quandiu hīc erit noster hic præfectus moribus, parebo authoritati tuæ: cum verò aberit, ad fungos me tuos conferam. Domum si habebo: in denos dies, singulos sumptuarīæ legis conferam: sin minus inuenero quod placeat, decreui habitare apud te. scio enim me nihil gratius tibi facere posse. Domum Sullanam desperabam iam, vt tibi proximè scripsi: sed tamen non abiici. Tu velim, vt scribis, cum fabris eam perspicias. si enim nihil est in parietibus, aut in tecto vitii, cætera mihi probabuntur. Vale.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

DELECTAVERUNT me literæ tuæ, in quibus primū amari amorē tuum, qui te ad scribendū incitauit, verentem ne Silius suo nūtio aliquid mihi sollicitudinis attulisset: de quo & tu mihi antea scripseras, bis quidē eodem exemplo, facillē vt intelligerem te esse cōmotum: & ego tibi accuratē rescripseram, vt quoquomodo in tali re atque tempore aut liberarem te ista cura, aut certē leuarem. Sed quando proximis quoque literis ostendis, quā curæ tibi sit ea res: sic mi Pæte habeto, quicquid arte fieri potuerit (non enim iam satis est consilio pugnare: artificium quoddā excogitandum est) sed tamen quicquid elaborari aut effici potuerit ad istorum beneuolentiā conciliandam & colligendā, summo studio me consecutum esse: nec frustrā, vt arbitror: sic enim color, sic obseruor ab omnibus iis qui à Cæsare diliguntur, vt ab eis me amari putem. Nam (est non facile diiudicatur amor verus & fictus, nisi aliquid incidat eiusmodi tempus, vt quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspicui possit) cætera sunt signa communia: sed ego vno vtor argumento, quamobrem me ex animo, verēque arbitrer diligere, quod & nostra fortuna ea est, & illorum, vt simulandi causa non sit. De illo autem, quem penes est omnis potestas, nihil video quod timeam, nisi quod omnia sunt incerta, cum à iure discessum est: nec præstari quicquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine. Sed tamen eius ipsius nulla re à me offensus est animus. est enim adhibita in ea re ipsa summa à nobis moderatio. vt enim olim arbitraber esse meum, liberē loqui, cuius opera esset in ciuitate libertas: sic ea nunc amissa, nihil loqui quod offendat aut illius, aut eorum, qui ab illo diliguntur, voluntatem. Effugere autem si velim nonnullorum acutē, aut facetē dictorum offensionem, fama ingenii mihi est abiicienda. quod si possē, non recusarem. Sed tamen ipse Cæsar habet peracre iudicium: & vt Seruius frater tuus, quem literatissimum fuisse iudico, facillē diceret, hic versus Plauti non est: hic est, quod tritatas haberet aureis notandis generibus poetarum, & consuetudine legendi: sic audio Cæsarem, cum volumina iam confecerit *ἄπο φθέρων μὲν τῶν* vel per se, siquid afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reiicere solere. quod eo nunc magis facit, quia viuunt mecum ferē quotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone vario multa, quæ fortasse illis, cum dixi, nec illiterata, nec insulsa esse videantur. Hæc ad illū cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipse mandauit. sic fit vt siquid præterea de me audiat, non audiendum putet. Quamobrem OEnomaus tuus nihil vtor: est si posuisti ioco versus Accianos. sed quæ est inuidia? aut quid nunc mihi inuideri potest? Verūm fac esse omnia: sic video philosophis placuisse, iis qui mihi soli videntur vim virtutis tenere:

NIHIL esse sapientis præstare, nisi culpam. qua videor mihi dupliciter carere, & quod ea senserim, quæ rectissima fuerunt: & quod, cum viderem præsidii non satis esse ad ea obtinenda, viribus certandum cum valentioribus non putarim. Ergo in officio boni ciuis certē non sum reprehendendus. Reliquum est, nequid stultē, nequid temerē dicam, faciāme contra potentes. id quoque puto esse sapientis. Cætera verò, quid quisque me dixisse dicat, aut quomodo ille accipiat, aut qua fide mecum viuant ii, qui me assiduē colunt & obseruant, præstare non possum. Ita fit vt & superiorum consiliorum conscientia, & præsentis temporis moderatione me consolet: & illam Accii similitudinem non modò iam ad inuidiam, sed ad fortunam transferam: quam existimo leuem & imbecillam ab animo firmo & graui tanquam fluctum à saxo frangi oportere. Etenim cum plena sint monumenta Græcorum, quemadmodum sapientissimi viri regna tulerint vel Athenis vel Syracusis, cum seruiantibus suis ciuitatibus fuerint ipsi quodammodo liberi: ego me non putem tueri meum statum sic posse, vt neque offendam animum cuiusquam, nec frangam dignitatem meam? Nunc venio ad iocationes tuas, quando tu secundum OEnomaum Accii, non, vt olim solebat, Atellanum, sed, vt nunc fit, Mimium introduxisti. quem tu mihi popilium, quem denarium narras? quam tyrotharici patinam? facilitate mea ista ferebantur antea: nunc mutata res est. Hircium ego & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnadi magistros: puto enim te audisse (si fortē ad vos omnia perferuntur) illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare. Tu autem quod mihi bonam copiam eiures, nihil est: tum enim cum rem augebas, quæstiunculis te faciebam attentioem: nunc cum tam æquo animo bona perdas, non eo sis consilio, vt cum me hospitio recipias, æstimationem te aliquam putes accipere. Etiam hæc leuior est plaga ab amico, quā à debitore. Nec tamen eas cœnas quæro, vt magnæ reliquæ fiant. quod erit, magnificum sit, & lautum. Memini te mihi Phameæ cœnam narrare: temperius fiat: cætera eodem modo. Quod si perseueras me ad matris tuæ cœnam vocare, feram id quoque. volo enim videre animum, qui mihi audeat ista quæ scribis, apponere: aut etiam polypum Miniani Iouis similem. Crede mihi, non audebis. ante meum aduentum fama ad te de mea noua lautitia veniet: eam extimesces. Neque est, quod in promulside spei ponas aliquid, quam totam sustuli: solebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis. Sed quid hæc loquimur? liceat modò istò venire. Tu verò (volo enim abstergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. Ego tibi vnum sumptum afferam, quod balneum calfacias oportebit: cætera more nostro, superiora illa lusimus. De villa Seliciana & curasti diligenter, & scripsisti facetissimē. Itaque puto me prætermisurum: salis enim satis est, Sanionum parum. Vale.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

NON TV homo ridiculus es, qui, cum Balbus noster apud te fuerit, ex me quæras quid de istis municipiis & agris futurum putem? quasi aut ego quicquam sciam, quod iste nesciat: aut siquid aliquando scio, non ex isto soleam scire. Immò verò, si me amas, tu fac vt sciam quid de nobis futurum sit. habuisti enim in tua potestate, ex quo vel ex sobrio, vel certē ex ebrio scire posses. Sed ego ista mi Pæte non quæro: primū quia de lucro propè iam quadriennium viuimus: si aut hoc lucrum est, aut hæc vita, superstitem Reipub. viuere: deinde quod scire quoque mihi videor quid futurum sit. fiet enim quodcunque volent qui valebunt: valebunt autem semper arma. Nobis igitur satis esse debet, quicquid conceditur. hoc siquis pati non potuit, mori debuit. Venientem quidem agrum & Capennatem metiuntur: hic non longē abest à Tusculano. Nihil tamen timeo: fruor dum licet: opto vt semper liceat. si id minus contigerit: tamen quando ego vir fortis, idēque philosophus viuere pulcherrimum duxi, non possum eum non diligere, cuius beneficio id consecutus sum. qui si cupiat esse Remp. qualē fortasse & ille vult, & omnes optare debemus: quid faciat tamē, non habet: ita se

cum multis colligauit. Sed longius progredior: scribo enim ad te. Hoc tamen scito, non modò me, qui consiliis non intersum, sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit. Nos enim illi seruimus, ipse temporibus. ita nec ille quid tempora postularura sint: nec nos, quid ille cogitet, scire possumus. Hæc tibi antea non rescripti, non quo cessator esse solerem, præsertim in literis: sed cum explorati nihil haberem, nec tibi sollicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione afferre volui. Illud tamen ascribam, quod est verissimum, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse. Tu tamen pro tua sapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt. Vale.

CICERO S. D. PAPIRIO PAETO.

CUM ESSEM otiosus in Tusculano, propterea quòd discipulos obuiam miseram, vt iidem me quam maximè conciliarent familiari suo: accepi tuas literas plenissimas suauitatis: ex quibus intellexi probari tibi meum consilium, quòd, vt Dionysius tyrannus, cum Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse: sic ego sublatis iudiciis, amisso regno forensi, ludum quasi habere cœperim. Quid quaris: me quoque delectat consilium: multa enim consequor: primùm, id quod maximè nunc opus est, munio me ad hæc tempora. id cuiusmodi sit, nescio: tantùm video, nullius adhuc consilia me huic antepone: nisi fortè mori melius fuit: in lectulo, fateor: sed non accidit. in acie non fui. cæteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius fœdè perierunt: at Cato præclarè. Iam istuc quidè, cum volumus, licebit: demus modò operam, ne tam necesse nobis sit, quàm illi fuit, id quod agimus. Ergo hoc primùm. sequitur illud: ipse melior fio, primùm valetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram. deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulisset, exaruisset. Extremum illud est, quod tu nescio an primum putes: plures iam pauones confeci, quàm tu pullos columbinos. Tu istuc te Atteriano iure delectato, ego me hîc Hirciano. Veni igitur, si vir es, & disce iam *περλεγόμενα*, quæ quaris: etsi sus Mineruam. Sed quando, vt video, æstimationes tuas vendere non potes, neque ollam denariorum implere: Romam tibi remigradum est. satius est hîc cruditate, quàm istuc fame. Video te bona perdidisse: spero idem istuc familiares tuos. Actum igitur de te est, nisi prouides. potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, quando catherium comediti, Romam peruehi. sella tibi erit in ludo, tanquam hypodidascalo, proxima: eam puluinus sequetur. Vale.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

TAMEN à malitia non discedis: tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum. Hoc videris dicere, cum reges tam sint continentes, multò magis consularis esse oportere. Nescis me ab illo omnia expiscatum: recta enim à porta domum meam venisse. Neque hoc admiror, quòd non ad tuam potius: sed illud, quòd nec ad suam. Ego autem tribus primis verbis, Quid noster Pætus? At ille adiurans, nusquam se vnquam libentius. Hoc si verbis assecutus es, aureis ad te afferam non minus elegantibus: sin autè obsonio, peto à te ne plures esse balbos, quàm disertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. Sed si me expediero, vt in ista loca venire possim: non committam, vt te ferò à me certiore factum putes. Vale.

M. CICERO S. D. PAPIRIO PAETO.

DVPLICITER delectatus sum tuis literis: & quòd ipse risi, & quòd te intellexi iam posse ridere. me autem à te, vt scurram velitem, malis oneratum esse, non molestè tuli. Illud doleo, in ista loca venire me, vt constitueram, non potuisse: habuisses enim non hospitem, sed contubernalem: at quem virum? Non eum quem tu es solitus promulside conficere. integram famem ad ouum affero: itaque ad assum vitulinum opera perducitur. Illa mea quæ solebas antea laudare, O hominè facilem, ô hospitem non grauem, abierunt. nam omnem nostram de Rep. curam, cogitationem de dicenda in

Senatu sententia, commentationem causarum abieciimus, in Epicuri nos aduersari nostri castra coniecimus: nec tamen ad hæc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cum in sumptus habebas: etsi nunquam plura prædia habuisti. Proinde te para: cum homine edaci tibi res est, & qui iam aliquid intelligat. *ὀλιμαθῆς* autem homines scis quàm insolentes sint. dediscendæ tibi sunt sportellæ & artolagani tui. Nos iam, ex arcis tantùm habemus, vt Verrium tuum & Camillum, qua mūditi homines: qua elegantia: vocare sapius audeamus. Sed vide audaciam: etiam Hircio cœnam dedi sine pauone: tamen in ea cœna cocus meus præter ius feruens nihil potuit imitari. Hæc igitur est nunc vita nostra. mane salutamus domi & bonos viros multos, sed tristes: & hos lætos victores, qui me quidem perofficose & peramanter obseruant. Vbi saluatio defluxit, literis me inuoluo, aut scribo, aut lego. Veniunt etiam qui me audiāt quasi doctum hominem: quia paulò sum, quàm ipsi, doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriæ eluxi iam & grauius, & diutius, quàm vlla mater vnicum filium. Sed cura, si me amas, vt valeas: ne ego te iacente bona tua comedam. statui enim tibi ne ægroto quidem parcere. Vale.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

A ÌN tandem: insanire tibi videris, quòd imitere verborum meorum, vt scribis, fulmina: Tum insanires, si consequi non posses: cum verò etiam vincas, me prius irrideas quàm te, oportet. Quare nihil tibi opus est illud à Trabea, sed potius *ἀπόφθεγμα* meū. Veruntamè quid tibi ego videor in epistolis: nonne plebeio sermone agere tecum: nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni: quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare vno modo. Priuatas causas, & eas tenuis, agimus subtilius: capitis aut famæ, scilicet ornatius. epistolas verò quotidianis verbis texere solemus. Sed tamen mi Pæte, qui tibi venit in mentem negare Papirium quenquam vnquā nisi plebeium fuisse: fuerunt enim patricii minorum gentium: quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Consul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea Cenfor cum eodem fuisset, annis post R. C. C C C X I I. sed tum Papirii dicebamini. Post hunc X I I I. fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primus Papirius est vocari desitus. Is Dictator cum L. Papirio Curfore magistro equitum factus est: annis post R. C. C C C X V, & quadriennio post Consul cum C. Duillio. Hunc secutus est Curfor, homo valde honoratus: deinde L. Masso ædilitius: inde multi Massones: quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habes volo. Deinde Carbones & Turdi insequuntur. Hi plebei fuerunt: quos contempnas cenfeo. Nam præter hunc Cn. Carbonem, quem Damasippus occidit, cuius è Repub. Carbonum nemo fuit. Cognouimus Cn. Carbonem, & eius fratrem scurram: quid his improbius? De hoc amico meo Rubriæ filio nihil dico. Tres illi fratres fuere, P. C. M. Carbones: Publius, Flacco accusante, condemnatus: fugit Marcus ex Sicilia: Caius, accusante Lucio Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. Is Tribunus plebis seditiosus, & P. Africano vim attulisse existimatus est. Hoc verò qui Lilybæi à Pompeio nostro interfectus est, improbius nemo meo iudicio fuit. iam pater eius accusatus à M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur. Quare ad patricos cenfeo reuertare: plebei quàm fuerint importuni, vides. Vale.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

A M O verecundiam, vel potius libertatem loquendi. atque hoc Zenoni placuit homini mehercule acuto: etsi Academia nostræ cum eo magna rixa est. sed, vt dico, placet Stoicis suo quanque rem nomine appellare. sic enim differunt, nihil esse obscœnū, nihil turpe dictu: nam si quod sit in obscœnitate flagitiū, id aut in re esse, aut in verbo: nihil esse tertium. in re non est. itaque non modò in comœdiis res ipsa narratur, vt ille in Demiurgo modo (fortè nosti canticum: meministi Roscium) ita me destituit nudū: totus est sermo verbis tectus, re impudentior: sed etiam in tragœdiis. quid est enim

illud, Quæ mulier vna? quid inquam est, Vfurpata duplex cubile? quid illud, Pheræi hic cubile inire est ausus? Quid est, Virginem me quondam inuitam per vim violat? Iupiter bone, violat? atqui idem significat, sed alterum nemo tulisset. Vides igitur cum eadē res sit, quia verba non sint, nihil videri turpe. Ergo in re non est, multo minus in verbis: si enim quod verbo significatur, id turpe non est: verbū, quod significat, turpe esse non potest. Anum appellas alieno nomine: cur nō suo potius? Si turpe est, ne alieno quidem: si non est, suo potius. Caudam antiqui penem vocabant, ex quo est propter similitudinem peniculus: at hodie penis est in obscœnis. At verò Piso ille frugi in annalibus suis queritur adolescētes peni deditos esse. Quod tu in epistola appellas suo nomine, ille tectius penem: sed iam multis factum est tam obscœnum, quàm id verbum, quo tu vsus es. Quid, quod vulgò dicitur, cum nos te volumus conuenire, num obscœnum est? Memini in Senatu disertum consularem ita eloqui, Hanc culpam maiorem, an illam dicam? Potuit obscœnius? Non, inquis: non enim ita sensit. Non ergo in verbo est: docui autem in re non esse: nusquam igitur est. Liberis dare operam, quàm honestè dicitur: etiam patres rogant filios: eius operæ nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen: is Connus vocitatus est. num id obscœnum putas? Cum loquimur terni, nihil flagitii dicimus: at cum bini, obscœnū est. Græcis quidem, inquires. Nihil est ergo in verbo, quando & ego Græcè scio: & tamen tibi dico bini, idque tu facis, quasi ego Græcè, non Latinè dixerim. Ruta & menta, rectè vtrunque. volo mētā pusillam ita appellare, vt rutilam: non licet. Bella tectoriola dicitur: dic ergo etiam pauimēta isto modo: non potes. Vides igitur nihil esse, nisi ineptias, turpitudinem nec in verbo esse, nec in re: itaque nusquam esse. Ergo in verbis honestis obscœna ponimus: quid enim, non honestum verbum est diuisio? At inest obscœnū. cui respondet intercapedo. num hæc ergo obscœna sunt? Nos autem ridiculè, si dicimus, Ille patrē strangulauit, honorem nō præfamur: sin de Aurelia aliquid aut Lollia, honos præfandus est. & quidē iam non etiā obscœna verba pro obscœnis sunt. Batuit, inquit, impudenter: deperit, multo impudentius. atqui neutrum est obscœnum. Stultorum plena sunt omnia. Testes, verbum honestissimum in iudicio, alio loco non nimis. At honesti, Colei lanuuii: Cliternini, non honesti. quid? ipsa res modò honesta, modò turpis. Suppedit, flagitium est. iam erit nudus in balneo: non reprehendes. Habes scholam Stoicam. ὁ σοφὸς ἐν ὑπὸ ῥήματι ἐστὶν quàm multa ex vno verbo tuo? Te aduersus me omnia audere, gratum est. Ego seruo & seruabo (sic enim assueui) Platonis verrecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quæ apertissimis agunt Stoici. sed illi etiam crepitus aiunt æquè liberos, ac ructus esse oportere. Honorem igitur. Cal. Mart. Tu me diliges, & valebis.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

HERI veni in Cumanum: cras ad te fortasse. Sed cum certum sciam, faciam te paulò antè certiozem. Etsi M. Ceparius, cum mihi in sylua Gallinaria obuiā venisset, quæfissimè quid ageres, dixit te in lecto esse, quod ex pedibus labores. tuli scilicet molestè, vt debui: sed tamē constitui ad te venire, vt & viderem te, & viserem, & cœnarem etiam. non enim arbitror cocum etiam te arthricum habere. Expecta igitur hospitem cum minimè edacem, tum inimicum cœnis sumptuosus. Vale.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

R V F V M istum amicum tuum, de quo iterum iam ad me scribis, adiuuarem quantum possem, etiam si ab eo læsus essem, cum te tantopere viderem eius causa laborare. cum verò & ex tuis literis, & illius ad me missis intelligam & iudicem, magnæ curæ ei salutem meam fuisse: non possum ei non amicus esse, neque solūm tua commédatione, quæ apud me, vt debet, valet plurimū, sed etiam voluntate ac iudicio meo. Volo enim te scire mi Pate, initium mihi suspicionis & cautionis & diligentia fuisse literas tuas. quibus literis congruentes fuerunt alia postea multorum. Nam & Aquini, &

Fabrateria confilia sunt inita de me, quæ te video inaudisse. & quasi diuinarent, quàm his molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi me vt opprimerēt. Quod ego non suspicans, incautior fuisset, nisi à te admonitus essem. quam obrem iste tuus amicus apud me commédatione non eget. Vtinam ea fortuna Reip. sit, vt ille me quàm gratissimum possit cognoscere. Sed hæc hæctenus. Te ad cœnas itare desisse, molestè fero. magna enim te delectatione & voluptate priuasti. Deinde etiam vereor (licet enim verum dicere) ne, nescio quid illud quod solebas, dediscas, & obliuiscare cœnulas facere. nam si tum, cum habebas quos imitarere, non multum proficiebas, quid nūc te futurum putem? Spurina quidem, cum ei rem demonstrassem, & vitam tuam superiorem exposuissem: magnum periculum summæ Reipub. demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem tum, cum Fauonius flaret, reuertisses. hoc tempore ferri posse, si fortè tu frigus ferre non posses. Sed mehercule mi Pate, extra iocum moneo te, quod pertinere ad beatè viuendū arbitror, vt cum viris bonis, iucundis, amatibus tui viuas. Nihil est aptius vitæ, nihil ad beatè viuendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ atque victus, remissionemque animorum, quæ maxime sermone efficitur familiari, qui est in conuiuio dulcissimus: vt sapientius nostri, quàm Græci: illi συμποσια aut σενόδεια, id est computationes aut concœnationes: nos conuiuia, quod tum maxime simul viuuntur. Vides vt te philosophando reuocare cōner ad cœnas? Cura vt valeas. id foris cœnitando facillimè consequere. Sed caue, si me amas, existimes me, quod iocosius scribam, abieciisse curam Reip. sic tibi mi Pate persuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi, vt mei ciues salui, liberi que sint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, prouidendi. Hoc denique animo sum, vt si in hac cura atque administratione vita mihi ponēda sit, præclarè actum mecum putem. Etiam atque etiam vale.

M. CICERO IMP. PAPIRIO PAETO S. D.

S V M M V M me ducem literæ tuæ reddidere. planè nesciebam te tam peritum esse rei militaris. Pyrrhi te libros, & Cineæ video lectitasse. Itaque obtēperare cogito præceptis tuis: hoc amplius, nauicularum habere aliquid in ora maritima. cōtra equitem Parthum negant vllam armaturam meliorem inueniri posse. Sed quid ludimus? nescis quocum imperatore tibi negotium sit. Κύρου παιδείαν, quam contriueram legendo, totam in hoc imperio explicavi. Sed iocabimur aliàs coram, & vt spero, breui. nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius: sic enim antiqui loquebantur. Cum M. Fabio (quod scire te arbitror) summus mihi est vsus: valdeque eum diligo cum propter summam probitatem eius, ac singularem modestiam, tum quod in his cōtrouersis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optima opera eius vti soleo. Is cum ad me Laodiceam venisset, mecumque eum ego esse vellem, repētè percussus est atrocissimis literis: in quibus scriptum erat, fundum Herculanensem à Q. Fabio fratre proscriptum esse, qui fundus cum eo cōmunis esset. Id M. Fabius pergrauiter tulit, existimauitque fratrem suum, hominem non sapientem, impulsu inimicorum suorum eò progressum esse. Nunc si me amas, mi Pate, negotium totum suscipe, & molestia Fabium libera. Authoritate tua nobis opus est, & consilio, & etiam gratia. Noli pati litigare fratres, & iudiciis turpibus conficiari. Matonem & Pollionem inimicos habet Fabius. Quid multa? non mehercule tam perscribere possum, quàm mihi gratum feceris, si otiosum Fabium reddideris. id ille in te positum esse putat, mihi que persuadet. Vale.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D.

A C C V B V E R A M hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exarauit. Dices, Vbi? Apud Volumnum Eutrapelum: & quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. Miraris tam exhilaratam esse seueritatem nostram? Quid ergo faciam? te consulo, qui philosophum audis. Angar, excruciemne me? quid assequar? deinde

quem ad finem? Viuas, inquis, in literis. an quicquam me aliud agere censes? haud possem viuere, nisi in literis viuerem. sed est earum etiam non fatietas, sed quidam modus. à quibus cum discessi, etsi minimum mihi est in cœna, quod tu vnum *ἄνθρωπος* Dionis philosopho posuisti: tamen quid potius faciam, prius quam me dormitum conferam, non reperio. Audi reliqua. infra Eutrapellum Cyteris accubuit. In eo igitur, inquis, conuiuio Cicero ille, quem aspectabant, cuius ob os Graii ora obuertebant suarum non mehercule suspicatus sum illam affore: sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cum esset obiectum habere eum Laida: Habeo, inquit, Laida: non habeo à Laide. Gracè hoc melius: tu si voles, interpretabere. me verò nihil istorum ne iuuenem quidem mouit vnquam, nedum senem. Conuiuio delector: ibi loquor aliquid, quod in solum, vt dicitur: & gemitum in risus maximos transfero. An tu id melius, qui etiam philosophum irriseris? cum ille, si quis quid quæreret, dixisset, cœnam te quærere à mane dixeris. Ille Baro te putabat quæsiturum, vnum cælum esset, an innumerabilia. Quid ad te? At hercule cœna nunquid ad te, ibi præferim? Sic igitur viuunt: quotidie aliquid legitur aut scribitur: deinde, ne amicis nihil tribuamus, epulamur vnà non modò non contra legem, si vlla nunc lex est, sed etiam intra legem, & quidem aliquanto. Quare nihil est quod aduentum nostrum extimescas. non multi tibi hospitem accipies, sed multi ioci. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM

AD L. PLANCVM, ET ALIOS LIB. X.

M. T. CICERO L. PLANCO IMP. COS. DES. S. D.



TABVI proficiscens in Graciam: & posteaquam de medio cursu Reipub. sum voce reuocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui: cuius tanta est non insolentia (nam id quidem vulgare vitium est) sed immanitas, non modò vt vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. Itaque mihi maxima cura est, non de mea quidem vita, cui satisfeci vel ætate, vel factis, vel (siquid etiam hoc ad rem pertinet) gloria: sed me patria sollicitat, in primisque mi Plance expectatio Consulatus tui: quæ ita longa est, vt optandum sit, vt possimus ad id tempus Reip. spiritum ducere. Quæ potest enim spes esse in ea Rep. in qua hominis impotentissimi atque intemperantissimi armis oppressa sunt omnia: & in qua nec Senatus, nec populus vim habet vllam: nec leges vllæ sunt, nec iudicia, nec omnino simulachrum aliquod aut vestigium ciuitatis? Sed quando acta omnia mitti ad te arbitrabor, nihil erat quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem à tua pueritia susceptum non seruauì solum, sed etiã auxi: monere te atque hortari, vt in Remp. omni cogitatione curaque incumberes. Quæ si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est: vt perducatur autem, magnæ tum diligentia est, tum etiam fortuna. Sed & te aliquantò antè (vt spero) habebimus: & præterquam quòd Reip. consulere debemus, tamen tuæ dignitati ita fauimus, vt omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus: ita facillimè & Reipub. quæ mihi charissima est, & amicitia nostræ, quam sanctissimè nobis colendam puto, me intelligo satisfacturum.

Furnium nostrum tanti à te fieri, quantum ipsius humanitas & dignitas postulat, nec miror, & gaudeo: tæque hoc existimare volo, quicquid in eum iudicii officiique cõu-
leris, id ita me accipere, vt in me ipsum te putem contulisse. Vale.

M. CICERO L. PLANCO IMP. COS. DES. S. D.

MEVM studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tutò in Senatù, aut honestè venire potuissem. Sed nec sine periculo quisquam liberè de Rep.

fentiès versari potest in summa impunitate gladiatorum: nec nostræ dignitatis videtur esse, ibi sententiam de Repub. dicere, vbi me & melius, & propius audiatur armati, quam Senatores. Quapropter in priuatis rebus nullum neque officium, neque studium meum desiderabis: ne in publicis quidem, siquid erit in quo me interesse necesse sit, vnquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuæ. In iis autem rebus quæ nihilominus, vt ego absim, confici possunt, peto à te vt me rationem habere velis & salutis & dignitatis meæ. Vale.

M. CICERO L. PLANCO IMP. COS. DES. S. D.

4 CVM ipsum Furnium per se vidi libentissimè, tum hoc libentius, quòd illum audiens te videbar audire: nam & in re militari virtutem, & in administranda prouincia iustitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit: & præterea mihi non ignotam in consuetudine & familiaritate suauitatem tuam adiunxit: præterea summam erga se liberalitatem. quæ omnia mihi iucunda. hoc extremum etiam gratum fuit. Ego Plance necessitudinem constitutam habui cum domo vestra antè aliquanto, quam tu natus es: amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua, confirmata iam ætate familiaritatem, cum studio meo, tum iudicio tuo constitutam. His de causis mirabiliter faueo dignitati tuæ: quam mihi tecum statuo esse communem. Omnia summa consecutus es virtute duce, comite fortuna: eaque es adeptus adolescens, multis inuidetibus, quos ingenio industriaque fregisti. Nunc me amantissimum tui nemini cõcedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies: omnem tibi reliquæ vitæ dignitatè ex optimo Reip. statu acquires. Scis profectò (nihil enim te fugere potuit) fuisse quoddam tempus, cum homines existimarent te nimis seruire temporibus. quod ego quoque existimarem, si te ea quæ patiebare, probasse etiam arbitrarer. Sed cum intelligerè quid sentiret: prudenter te arbitrabor videre quid posses. nunc alia ratio est omnium rerum: tuum iudicium est, idque liberum. Consul es designatus, optima ætate, summa eloquentia, maxima orbitate Reip. virorum talium. Incumbe per deos immortales in eam curam & cogitationem quæ tibi summam dignitatem & gloriam afferat. Vnus autem est, hoc præsertim tempore, per tot annos Repub. deuexata, Reip. bene gerendæ cursus ad gloriam. Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putauì, quam quòd arbitrarer
6 te monitis & præceptis meis egere: sciebam enim ex iisdem te hæc haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. quare modum faciam. Hoc tantum significandum putauì, vt potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam. Interea quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiosè diligentèrque curabo. Vale.

PLANCVS CICERONI S. D.

7 GRATISSIMAE mihi tuæ literæ fuerunt, quas ex Furnii sermone te scripsisse animaduerti. Ego autem præteriti temporis excusationem affero, quòd te profectum audieram: nec multò antè rediisse sciui, quam ex epistola tua cognoui. nullum enim in te officium, ne minimum quidè, sine maxima culpa videor posse præterire. In quo tuendo habeo causas plurimas vel paternæ necessitudinis, vel meæ à pueritia obseruatia, vel tui erga me mutui amoris. Quare mi Cicero, quod mea tuæque patitur ætas, persuade tibi te vnum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem. Omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentia plena, quæ summa est, videntur, quam fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. Quare si aut aliter sentirem, certè admonitio tua me reprimere: aut si dubitarè, hortatio impellere posset, vt id sequeretur quod tu optimum putares. Nunc verò quid est, quod me in aliam partem trahere possit: quæcunque in me bona sunt, aut fortunæ beneficio tributa, aut meo labore parta, etsi à te propter amorem charius sunt æstimata: tamen vel inimicissimi iudicio tanta sunt, vt præter bonam famam nihil desiderare videantur. Quare hoc vnum tibi persuade, quatum viribus eniti, consilio prouidere, authoritate mouere potuero, hoc omne Reip. semper futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus: neque si facultas optabilis mihi

quidem tui praesentis esset, vnaquã à tuis consiliis discreparem: nec nunc committam, vtrum vllum meum factum reprehendere iure possis. Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in Vrbe Ian. mense geratur, vt sciam. Interim maximam hinc sollicitudinem curamque sustineo, ne inter aliena vitia hæ gentes nostra mala sua putent occasionem. Quod si perinde, vt ipse mereor, mihi successerit: certè & tibi, cui maxime cupio, & omnibus viris bonis satisfaciam. Fac valeas, meque mutuo diligas.

CICERO PLANCO IMP. COS. DES. S. P. D.

BINAS à te accepi literas eodem exemplo: quod ipsum argumento mihi fuit diligentia tua. intellexi enim te laborare, vt ad me tua expectatissima litera perferrètur, ex quibus capi fructum duplicem, mihi que in comparatione difficilem ad iudicandum, amoremne erga me tuum, an animum in Remp. pluris aestimandum putarem. Est omnino patriæ charitas meo quidem iudicio maxima: sed amor voluntatisque coniunctio plus certè habet suauitatis. Itaque commemoratio tua paternæ necessitudinis benevolentiaque eius, quã erga me à pueritia contulisses, cæterarumque rerum quæ ad eam sententiam pertinebant, incredibile mihi lætitiã attulerat. Rursus declaratio animi tui, quæ haberes de Rep. quemque habiturus esses, mihi erat iucundissima: eoque maior erat hæc lætitiã, quod ad illa superiora accedebat. Itaque te non hortor solum mi Plance, sed planè etiã oro, quod feci in literis, quibus tu humanissime respondisti, vt tota mente, omni que animi impetu in Remp. incubas. Nihil est quod tibi maiori fructui, gloriaque esse possit: nec quiquã ex omnibus rebus humanis est præclarior aut præstantior, quàm de Rep. bene mereri. Adhuc enim patitur tua summa humanitas & sapientia, me quod sentiam, liberè dicere: fortuna suffragante videris res maximas consecutus, quod quanquam sine virtute non potuisses, tamè ex maxima parte ea, quæ es adeptus, fortunæ temporibusque tribuuntur. His temporibus difficillimis, Reip. quicquid subueneris, id erit totum & proprium tuum. Incredibile est omnium ciuium, latronibus exceptis, odium in Antoniũ. Magna spes in te & in tuo exercitu, magna expectatio: cuius per deos gratia gloriaque caue tempus amittas. Sic moneo, vt filium: sic faueo, vt mihi: sic hortor, vt & pro patria & amicissimum. Vale.

CICERO PLANCO IMP. COS. DES. S. P. D.

Quæ locutus est Furnius noster de animo tuo in Remp. ea gratissima fuerunt Senatui, populoque Ro. probatissima. quæ autem recitata sunt litera in Senatu, nequaquam consentire cum Furnii oratione visa sunt. pacis enim author eras, cum collega tuus vir clarissimus à foedissimis latronibus obsideretur. qui aut positis armis pacem petere debent: aut, si pugnantem eam postulant, victoria pax, non pactio, parienda est. Sed de pace litera vel Lepidi, vel tuæ quam in partem accepta sint, ex viro optimo fratre tuo, & C. Furnio poteris cognoscere. Me autem impulit tui charitas, vt quanquam nec tibi ipsi consilium deesset, & fratris, Furniique benevolentia, fidelisque prudentia tibi præsto esset futura, vellem tamen meæ quoque autoritatis pro plurimis nostris necessitudinibus præceptum ad te aliquod peruenire. Crede igitur mihi Plance, omnibus, quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis (es autem adeptus amplissimos) eos honorum vocabula habituros, nõ dignitatis insignia, nisi te cum libertate populi Ro. & cum Senatus autoritate coniunxeris. Seiunge te quæso aliquando ab iis, cum quibus te non tuum iudicium, sed temporum vincula coniunxerunt. Complures in perturbatione Reip. Consules dicti: quorum nemo Consularis habitus, nisi qui animo exitit in Remp. consulari. Talem igitur te esse oportet, qui primum te ab impiorum ciuium tui dissimillimorum societate seiungas: deinde te Senatui, bonisque omnibus auctorem, principem, ducem præbeas: postremò vt pacem esse iudices non in armis positos, sed in abiecto armorum, & seruitutis metu. Hæc si & ages & senties, tum eris non modò Consul & consularis, sed magnus etiam Consul & consularis. sin aliter: tum in istis amplissimis nominibus honorum non modò dignitas nulla erit, sed erit summa

deformitas. Hæc impulsus benevolentia scripsi paulò seuerius: quæ tu in experiendo ea ratione, quæ te digna est, vera esse cognosces. XIII. Cal. April.

PLANCVS IMP. COS. DES. CICERONI S. D.

PLURA tibi de meis consiliis scriberem, rationemque omnium rerum redderem verbosius, quo magis iudicares omnia me Reip. præstitisse, quæ & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi (non minus enim à te probari, quàm diligi semper volui: nec te magis in culpa defensorem mihi parauì, quàm prædicatorem meritorum meorum esse volui) sed breuiorem me duæ res faciunt: vna, quod publicis literis omnia sum persecutus: altera, quod M. Varifidium, equitem Romanum familiarem meum, ad te ipsum transire iussi, ex quo omnia cognoscere posses. Non mediufidius mediocri dolore afficiebar, cum alii occupare possessionem laudis viderentur: sed vsque mihi temperaui, dum perducerem eò rem, vt dignum aliquid & Consulatu meo, & vestra expectatione efficerem. quod spero, si me fortuna non fefellerit, me consecuturum: vt maximo præsidio Reipub. nos fuisse & nunc sentiant homines, & in posterum memoria teneant. A te peto, vt dignitati meæ suffrageris: & quarum rerum spe ad laudem me vocasti, harum fructum reliquum facias alacriorem. non minus posse te, quàm velle, exploratum mihi est. Fac valeas, meque mutuo diligas.

L. PLANCVS IMP. COS. DES. S. D. COSS. PRAET.

TRIBB. PL. S. P. PL. Q. R.

SICVI fortè videor diutius & hominum expectationem & spem Reipub. de mea voluntate tenuisse suspensam, huic prius excusandum me esse arbitror, quàm de infrequenti officio quicquam vlli pollicendum. non enim præteritam culpam videri volo redemisse, sed optimæ mentis cogitata iam pridem, maturo tempore enuntiare. Non me præteribat, in tanta sollicitudine hominum, & tam perturbato statu ciuitatis fructuosissimam esse professionem bonæ voluntatis: magnosque honores ex ea re compluris consecutos videbam. Sed cum in eum casum me fortuna demisisset, vt aut celeriter pollicendo magna in spe ad proficiendum impedimenta opponerem: aut si in eo mihi temperaui, maiores occasiones ad opitulandum haberem: expeditius iter communis salutis, quàm meæ laudis esse volui. Nã quis in ea fortuna, quæ mea est, & ab ea vita, quam in me cognita hominibus arbitror, & cum ea spe, quam in manibus habeo, aut sordidum quicquam pati, aut perniciosum concupiscere potest? Sed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multæ impensæ opus fuit, vt quæ Reip. bonisque omnibus polliceremur, exitu præstaremus: neque ad auxilium patriæ nudi cum bona voluntate, sed cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis sæpe præmiis sollicitatus, vt ab Reipub. potius moderata, quàm ab vno infinita speraret. Confirmandæ complures ciuitates, quæ superiore anno largitionibus, concessionibusque præmiorum erant obligata: vt & illa vana putarent, & eadem à melioribus authoribus petenda existimarent. Alliciendæ etiam volúntates reliquorum, qui finitimis prouinciis, exercitibusque præfuerunt: vt potius cum pluribus societatem defendendæ libertatis iniremus, quàm cum paucioribus funestam orbi terrarum victoriam pararemus. Muniendi verò nosmetipsi fuimus, aucto exercitu, auxiliisque multiplicatis: vt, cum præferremus sensus aperte, tum etiam inuitis quibusdam, sciri quid defensuri essemus, non esset periculofum. Itaque nunquam diffitebor, multa me, vt ad effectum horum consiliorum peruenirem, & simulasse inuitum, & dissimulasse cum dolore: quod præmatura denuntiatio boni ciuis imparati quàm periculofa esset, ex casu collegæ videbam. Quo nomine etiam C. Furnio legato, viro forti atque strenuo, plura etiam verbo, quàm scriptura mandata dedimus: vt & tectius ad vos perferrètur, & nos essemus tutiores: quibusque rebus & communem salutem muniri, & nos armari conueniret, præcepimus. Ex quo intelligi potest, curã Reip. summè defendendæ iam pridè apud nos excubare. Nunc cum deum benignitate ab omni re sumus paratiores, non

solū bene sperare de nobis homines, sed exploratè iudicare volumus. Legiones habeo quinque sub signis, & sua fide, virtutēque Reipub. coniunctissimas, & nostra liberalitate nobis obsequenteis: prouinciam omnium ciuitatum consensu paratissimam, & summa contentione ad officia certantem: equitatus, auxiliōrumque tantas copias, quantas hæ gentes ad defendendam suam salutem, libertatēque conficere possunt. Ipse ita sum animo paratus vel prouinciam tueri, vel ire quò Respub. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, prouinciāque: vt vel omnē impetum belli in me conuertere non recusem, si modò meo casu aut cōfirmare patriæ salutem, aut periculum morari possim. Hæc si iam expeditis omnibus rebus, tràquillōque statu ciuitatis polliceor in dāno meæ laudis, Reip. commodo laboro. sin ad societatem integerrimorum & maximorum periculorum accedam, cōsilia mea æquis iudicibus ab obtrẽtatione inuidorum defendenda commendo. Mihi quidem ipsi fructus meritorum meorum in Reip. incomumitate satis magnus est paratus. Eos verò, qui meam autoritatem, & multò magis vestram fidem secuti, nec vlla spe decipi, nec vllō metu terreri potuerunt, vt commẽdatos vobis habeatis, petendum videtur. Vale.

PLANCVS IMP. COS. DES. CICERONI S. D.

NIHIL me tibi temerè scripsisse, aut te cæteris de me frustra recepisse lætor. Certè hoc maius habes testimonium amoris mei, quo maturius tibi, quàm cæteris, consilia mea volui esse nota. In dies verò meritorum meorum fieri accessiones, peruidere te spero, cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet mi Cicero (ita ab imminentibus malis Resp. me adiuuante liberetur) sic honores, præmiāque vestra suspicio, conferenda certè cum immortalitate, vt sine his nihil de meo studio, perseueratiāque sim remissurus. Nisi in multitudine optimorum ciuium impetus animi mei fuerit singularis, & opera præcipua, nihil ad meam dignitatē accedere volo suffragatione vestra. Concupisco autem nihil, contraque ipse pugno. sed & temporis, & rei te moderatorem facillè patior esse. NIHIL aut ferò, aut exiguè à patria ciui tributum potest videri.

Exercitum ad vi. Calend. Maias Rhodanum traieci: magnis itineribus Viennam equites mille via breuiore præmisi. Ipse si à Lepido non impediatur, celeritate satisfaciam. sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Copias adduco & genere, & numero, & fidelitate firmissimas. Te, vt diligas me, si mutuo te facturum id scis, rogo. Vale.

CICERO PLANCO IMP. COS. DES. S. D.

ETSI satis ex Furnio nostro cognoueram quæ tua voluntas, quod cōsiliū de Rep. esset: tamen lectis tuis literis, liquidius de toto sensu tuo iudicauit. Quamobrem quamquam in vno prælio omnis fortuna Reip. disceptat, (quod quidem, cum hæc legeres, iam decretum arbitrari fore) tamen ipsa fama, quæ de tua voluntate percubuit, magnam es laudem consecutus. Itaque si Consulē Romæ habuissemus, declaratum esset à Senatu cum tuis magnis honoribus, quàm gratus esset conatus & apparatus tuus. Cuius rei non modò non præterit tempus, sed ne maturum quidem etiamnum meo quidem iudicio fuit. IS ENIM denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur & datur. Quare sit modò aliqua Respub. in qua honos elucere possit, omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis. IS AVTEM, qui verè appellari potest honos, non inuitamentum ad tempus, sed perpetuæ virtutis est præmium. Quamobrem mi Plance incumbere toto pectore ad laudem: subueni patriæ: opitulare collegæ, omnium gentium consensum & incredibilem conspirationem adiuua. Me tuorum consiliorum adiutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amicissimum, fidelissimūque cognosces. ad eas enim causas, quibus inter nos amore sumus, officiis, vetustate coniuncti, patriæ charitas accessit: eaque effecit vt tuam vitam anteferrem meæ. IIII. Calend. April. Vale.

OPPORTUNO S. P. D. PLANCVS CICERONI S. P. D.

IMMORTALIS ago tibi gratias, agamque dum viuam: nam relaturum me affirmare non possum. tantis enim tuis officiis non videor mihi respondere posse, nisi forte (vt tu grauissimè, disertissimèque scripsisti) ita sensurus es, vt me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Si de filii tui dignitate esset actum, amabilius certè nihil facere potuisses. Primæ tuæ sententiæ infinitis cum muneribus, posteriores ad tempus, arbitriūque amicorum meorum compositæ, oratio assidua & perpetua de me, iurgia cum obtrẽtatoribus propter me, notissima mihi sunt. Quare non mediocris adhibenda mihi est cura, vt Reipub. me ciuem dignum tuis laudibus præstem, in amicitia tua memorem atque gratum. Quod reliquum est, tuum munus tuere: & me, si quem esse voluisti, eum exitu, rebūque cognoscis, defende ac suscipe. Cum Rhodanum copias traiecissim, fratremque cum tribus millibus equitū præmisissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem: in itinere de prælio factō, Brutōque & Mutina obsidione liberatis audiui. Animaduerti nullum alium receptum Antonium, reliquiasque quæ cum eo essent, habere nisi in his partibus: duasque ei spes esse propositas, vnam Lepidi, ipsius alteram exercitus. Quod quædam pars exercitus non minus furiosa est, quàm qui cum Antonio fuerunt, equitatum reuocauit. ipse in Allobrogibus constitit, vt perinde ad omnia paratus essem, ac res me moneret. Si nudus huc se Antonius confert, facillè mihi videor per me sustinere posse, remque publicam ex vestra sententia administrare, quanuis ab exercitu Lepidi recipiatur. Si verò copiarum aliquid secum adducet, & si decima legio veterana quæ nostra opera reuocata cum reliquis est, ad eundem furorem redierit: tamen nequid detrimenti fiat, dabitur opera à me: idque me præstiturum spero, dum istinc copias traiciantur, coniunctæque nobiscum facilius perditos opprimant. Hoc tibi spondeo mi Cicero, neque animum, neque diligentiam mihi defuturam. Cupio me hercules nullam residuam sollicitudinem esse: sed si fuerit, nec animo, nec beneuolentiæ, nec patientiæ cuiusquam pro vobis cedam. Do quidem ego operam, vt etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem: omniāque ei obsequia polliceor, si modò Reipub. respicere volet. Vtor in hac re adiutoribus, interpretibusque, fratre meo, & Laterense, & Furnio nostro. Non me impediunt priuatæ offensiones, quo minus pro Reipub. salute etiam cum inimicissimo consentiam. quod si nihil profecero, nihilominus maximo sum animo, & maiore fortasse cum mea gloria vobis satisfaciam. Fac valeas, meque mutuo diligas.

CICERO PLANCO IMP. COS. DES. S.

ETSI Reip. causa maximè gaudere debeo, tantum ei te præsidii, tantum opis attulisse extremis penè temporibus: tamen ita te victorem complectar Rep. recuperata, vt magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas affert: quam & esse iam, & futuram amplissimam intelligo. caue enim putes vllas literas vnquam gratiores, quàm tuas in Senatu esse recitatas. idque contigit tum meritorum tuorum in Remp. eximia quadam magnitudine, tum verborum, sententiarūque grauitate. quod mihi quidè minimè nouum, qui & te nossem, & tuarum literarum ad me missarum promissa meminissim, & habere à Furnio nostro tua penitus consilia cognita. sed Senatui maiora visa sunt, quàm erant expectata: non quò vnquam de tua voluntate dubitasset: sed nec quantum facere posses, nec quò progredi velles, exploratum satis habebat. Itaque cum ad vii. Id. Apr. mane mihi tuas literas M. Varisidius reddidisset, easque legissim, incredibili gaudio sum elatus. cumque magna multitudo optimorum virorum, & ciuium me de domo deduceret, feci continuo omnes participes meæ voluptatis. Interim ad me venit Munatius noster, vt consueuerat: & ego ei literas tuas ostendi: nihil dum enim sciebat. nam ad me primū Varisidius, idque sibi à te mandatum esse dicebat. Paulò post idem mihi Munatius eas literas legendas dedit, quas ipsi miserat, & eas quas publicè. Placuit nobis vt statim ad Cornutum Prætorem Urb. literas deferremus, qui quòd Con-

fules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum. Senatus est continuo conuocatus, frequensque conuenit propter famam atque expectationem tuarum literarum. Recitatis literis, oblata religio Cornuto est pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse: idque à nostro collegio comprobatum est. Itaque res dilata est in posterum. Eo autem die magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Seruilio: qui cum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens cum Senatus reliquit, & in alia omnia discessit: meaque sententia, quae secunda pronuntiata erat, cum frequens assentiretur Senatus, rogatu Seruili P. Titius intercessit. Res in posterum dilata. venit paratus Seruilius, Ioui ipsi iniquus, cuius in templo res agebatur. Hunc quemadmodum frugerim, quantaque contentione Titium intercessorem abiecerim, ex aliorum te literis malo cognoscere: vnum hoc ex meis, Senatus grauior, constantior, amicio tuis laudibus esse non potuit, quam tum fuit. Nec verò tibi Senatus amicio, quam cuncta ciuitas. mirabiliter enim populus Rom. vniuersus, & omniū generum, ordinumque consensus ad liberandam Remp. conspirauit. Perge igitur, ut agis, nomenque tuum comenda immortalitati: atque haec omnia quae habent speciem gloriae, collecta inanissimis splendoris insignibus, contene: breuia, fugacia, caduca existima. Verum **DECVS** in virtute positum est, quae maximè illustratur magnis in Remp. meritis. Eam facultatē habes maximam. quam quādo complexus es, & tenes: perface ut ne minus Resp. tibi, quam tu Reip. debeas. me tuae dignitatis non modò fautorē, sed etiam amplificatorem cognosces. id tum Reip. quae mihi est mea vita charior, tum nostrae necessitudini debere me iudico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, capi magnam voluptatem, quòd bene cognitam mihi T. Munatii prudentiam & fidem, magis etiam perspexi in eius incredibili erga te beneuolentia & diligentia. **III. Id. Apr. Vale.**

CICERO PLANCO IMP. COS. DES. S. P. D.

ut primum potestas data est augendae dignitatis tuae, nihil praetermissi in te ornando, quod positum esset aut in praemio virtutis, aut in honore verborum. Id ex ipso s. c. poteris cognoscere: ita enim est perscriptum, ut à me de scripto dicta sententia est: quam Senatus frequens secutus est summo studio, magnoque consensu. Ego quanquam ex tuis literis, quas mihi misisti, perspexeram te magis iudicio bonorum, quam insignibus gloriae delectari: tamen considerandum nobis existimaui, etiam si tu nihil postulares, quantum tibi à Rep. deberetur. Tu contexes extrema cum primis, qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. Itaque Homerus non Aiacem, nec Achillem, sed Vlyssē appellauit *πολύτροπον*. **Vale.**

CICERO PLANCO IMP. COS. DES. S. D.

o GRATAM famam biduo ante victoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis. Atqui, etiam hostibus fuis, spes omnis in te est. fugisse enim ex praedio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. **EST** autem non minus gratum extrema delere, quam prima depellere. Equidem expectabam iam tuas literas, idque cum multis sperabamque etiam Lepidum temporibus admonitum, tecum, & Reip. satis esse facturum. In illam igitur curam incumbere mi Plance, ut nequa scintilla teterrimi belli relinquatur. Quod si erit factum: & Remp. diuino beneficio affeceris, & ipse aeternam gloriam consequere. **III. Id. Maii. Vale.**

PLANCVS IMP. CICERONI S. D.

his literis scriptis, quae postea accidissent, scire te, ad Remp. putavi pertinere. Sedulitas mea (ut spero) & mihi, & Reip. tulit fructum, nanque assiduis internuntiis cum Lepido egi, ut omnia contentione, reconciliataque voluntate nostra, communi consilio Reip. succurreret: se, liberos, Urbem pluris quam vnum perditum abiectumque latronem putaret: obsequioque meo si ita faceret, ad omnes res abuteretur. Profeci itaque per Laterensem internuntium: fidem mihi dedit se Antonium, si prohibere sua provincia non potuisset, bello persecuturum: me ut venirem, copiasque coniungerem rogauit:

coque magis, quòd & Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur, & Lepidus ne mediocre quidem equitatum habebat. nam etiam ex paucitate eius, non multis ante diebus, decem qui optimi fuerant, ad me transferunt. Quibus rebus ego cognitis, cunctatus non sum in cursu bonorum consiliorum: Lepidum adiuuandum putavi. Aduentus meus quid profecturus esset, vidi: vel quòd equitatu meo persequi atque opprimere equitatum eius possem: vel quòd exercitus Lepidi eam partem, quae corrupta est, & ab Rep. alienata, & corrigere, & coercere praesentia mei exercitus possem. Itaque in Isara flumine maximo, quod in finibus est Allobrogum, ponte vno die facto, exercitum ad **III. Id. Maii** traduxi. Cum verò mihi nuntiatum esset, L. Antonium praemissum cum equitibus & cohortibus ad Forum Iulii venisse: fratrem cum equitum quatuor milibus, ut occurreret ei misi ad prid. Id. Maii: ipse maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu subsequar. Si nos mediocri modo fortuna Reip. adiuuerit: & audaciae perditorum, & nostrae sollicitudinis hic finem reperiemus. Quòd si latro praecognito nostro aduetu, rursus in Italiam se recipere coeperit, Bruti erit officium occurrere ei: cui scio nec consilium, nec animum defuturum. Ego tamen, si id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui sequatur, Italiamque à vastatione defendat. **Fac valeas, meque mutuo diligas.**

CICERO PLANCO S. D.

NIHIL post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere vidi, quam tuas Plance literas. redditae sunt enim frequenti Senatu Cornuto, cum is frigidus sanè & incostanteis recitasset literas Lepidi. Sub eas statim recitatae sunt tuae, non sine magnis quidem clamoribus. cum rebus enim ipsis essent, & studiis, beneficiisque in Remp. gratissimae: tum erant grauissimis verbis & sententiis plena. Flagitare Senatus institit Cornutum, ut referret statim de tuis literis: ille se considerare ait velle. cum ei magnum conuitium fieret cuncto à Senatu, quinque Tribuni pleb. retulerunt. Seruilius rogatus, rem distulit. Ego eam sententiam dixi, cui sunt assensu ad vnum. ea quae fuerit, ex s. c. cognosces. Tu, quanquam consilio non egess, vel abundas potius, tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc reiicias, neue in rebus tam subitis, tamque angustiis à Senatu consilium petendum putes: ipse tibi sis Senatus. quocumque te ratio Reip. ducet, sequare. Cures ut ante factum aliquod à te egregium audiamus, quam futurum putarimus. Illud tibi promitto, quicquid erit à te factum, id Senatū non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum comprobaturum. **Vale.**

PLANCVS IMP. CICERONI S. D.

ANTONIVS Id. Maii ad Forum Iulii cum primis copiis venit. Ventidius biduo spatio abest ab eo. Lepidus ad Forum Voconii castra habet: qui locus à Foro Iulii quatuor & viginti millia passuum abest: ibique me expectare constituit, quemadmodum ipse mihi scripsit. Quòd si omnia mihi integra & ipse & fortuna seruauerit: recipio vobis celeriter me negotium ex sententia confecturum. Fratrem meum assiduis laboribus, concursationibusque confectum grauius se habuisse, antea tibi scripsi. Sed tamen cum primum posse ingredi coepit, non magis sibi, quam Reip. conualuisse se existimans, ad omnia pericula princeps esse non recusabat. Sed ego eum non solum hortatus sum, verum etiam coegi isto proficisci: quòd illa valetudine magis conficere se, quam me tueri posset in castris: & quòd acerbissimo interitu Consulium Remp. nudatam, tali ciue Praetore in vrbis officiis indigere existimabam. Quod si quis vestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tandem quod ego desiderabam fecit, ut Apellam ad me mitteret, quo obside fide illius, & societatis in Rep. administranda vterer. Studium in ea re suum mihi L. Gellius, de tribus fratribus, Segauiano probauit: quo ego interprete nouissimè ad Lepidum sum usus. Amicum eum Reip. cognoscere videor: libenterque ei sum testimonio, & omnibus ero qui bene merentur. **Fac valeas, meque mutuo diligas, dignitatemque meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc singulari cum beneuolentia fecisti.**

P L A N C V S C I C E R O N I S. D.

Q V I D in animo habuerim, cum Laeus Neruaque discesserunt à me, & ex literis, 36
 quas eis dedi, & ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus, cōsiliisque meis inter-
 fuerunt. Accidit mihi, quod homini pudenti & cupido fatiffaciendi Reip. bonisque om-
 nibus accidere solet, ut consilium sequerer periculosum magis, dum me probarem,
 quàm tutum, quod habere posset obrektionem. Itaque post discessum legatorū cum
 binis cōtinuis literis & Lepidus me ut venirem, rogaret, & Laterensis multo etiam ma-
 gis propè implorans obtestaretur, nullam rem aliam extimescens, quàm eandem quæ
 mihi quoque facit timorem, varietatem atque infidelitatem exercitus eius: non dubi-
 tandum putavi quin succurrerem, meque communi periculo offerrem. sciebam enim
 (& cautius illud erat consilium, expectare me ad Isaram, dum Brutus traiceret exerci-
 tum, & cum collega consentiente, sicut milites faciunt, hostibus obuiam ire.) tamen si- 37
 quid Lepidus bene sentiens detrimenti cepisset, hoc omne assignatum iri aut pertina-
 cia meæ, aut timori videbam, si aut hominem offensum mihi, coniunctum cum Rep.
 non subleuassem: aut ipse à certamine belli tam necessarii me remouissim. Itaque po-
 tius periclitari volui, si possem mea præsentia & Lepidum tueri, & exercitū facere me-
 liorem, quàm nimis cautus videri. Solicitiorem certè hominem non suis cōtractis ne-
 minem puto fuisse. nam quæ res nullam habebat dubitationem, si exercitus Lepidi ab-
 sit, ea nunc magnam affert sollicitudinē, magnūque habet casum. mihi enim si con-
 tigisset, ut prior occurrerem Antonio, non mehercule horam constitisset: tantum ego
 & mihi confido, & sic percussas illius copias, Ventidiique Mulionis castra despicio. Sed
 non possum non exhorrescere, siquid intra cutem subest vulneris: quod prius nocere
 potest, quàm sciri curarique possit. Sed certè, nisi vno loco metaremur, magnum peri- 38
 culum ipse Lepidus, magnū ea pars exercitus adiret, quæ bene de Rep. sentit. magnam
 etiam perditos hostes accessionē sibi fecissent, siquas copias à Lepido abstraxissent. Quæ
 si aduetus meus represserit, agam gratias fortunæ, cōstantiæque meæ, quæ me ad hanc
 experientiam excitauit. Itaque ad xii. Cal. Iun. ab Isara castra moui: pontem tamen,
 quem in Isara feceram, castellis duobus ad capita positos reliqui: præsidiaque ibi firma
 posui, ut venienti Bruto, exercitūque eius sine mora transitus esset paratus. Ipse, ut spero,
 diebus octo, quibus has literas dabam, cum Lepidi copiis me coniungam. Vale.

C I C E R O P L A N C O I M P. S. D.

Q V A N Q V A M gratiarum actionem à te non desiderabam, cum te re ipsa, atque ani-
 mo scire esse gratissimum: tamen (fatendū est enim) fuit ea mihi periucunda. sic enim 39
 vidi, quasi ea quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, Quid antea? Semper equidē, sed
 nunquam illustrius. Literæ tuæ mirabiliter gratæ sunt Senatui cum rebus ipsis, quæ erāt
 grauissimæ & maximæ, fortissimi animi, summique consilii: tum etiam grauitate sen-
 tentiarum atque verborum. Sed mi Plance incumbere ut belli extrema perficias. in hoc
 erit summa & gratia & gloria. Cupio omnia Reip. causa: sed mehercule in ea conser-
 uanda iam defatigatus, non multo plus faueo patriæ, quàm tuæ gloriæ: cuius maximam
 facultatem tibi dii immortales, ut spero, dedere: quam complectere obsecro. qui enim
 Antonium oppresserit, is hoc teterrimū bellum, periculosissimūque confecerit. Vale.

C I C E R O P L A N C O S. D.

I T A erant omnia, quæ istinc afferebantur, incerta, ut quid ad te scriberem, non oc- 40
 curreret. modò enim quæ vellemus, de Lepido: modò contra nuntiabantur. De te ta-
 men constans fama, nec decipi posse, nec vinci. quorum alterius fortuna partem habet
 quandam: alterum propriū est prudētia tuæ. Sed accepi literas à collega tuo, datas Idib.
 Maii: in quibus erat te ad se scripsisse, à Lepido non recipi Antoniū. quod erit certius, si
 tu ad nos idē scripseris: sed minus audes fortasse propter inanē latitiam literarū superio-
 rum. Verum ut errare mi Plāce potuisti (quis enim id effugerit?) sic decipi te nō potuisse,
 quis non videt? Nūc verò etiam erroris causa sublata est: culpa enim illa, B I S ad eundē,

vulgari reprehēsa prouerbio est. Sin, ut scripsisti ad collegam, ita se res habet, omni cura
 liberati sumus: nec tamen erimus prius, quàm ita esse tu nos feceris certiores. Mea qui-
 dem, ut ad te sapius scripsi, hæc sententia est, qui reliquias huius belli oppresserit, cum
 totius belli confectorem fore: quem te & opto esse, & confido futurum. Studia mea
 erga te, quibus certè nulla esse maiora potuerunt, tibi tam grata esse, quàm ego putavi
 fore, minimè miror, vehementerque lætor. quæ quidem tu, si rectè istic erit, maiora &
 grauiora cognosces. IIII. Calend. Iun.

P L A N C V S C I C E R O N I S.

P V D E R E T me inconstantia mearum literarum, si non hæc ex aliena leuitate pen-
 derent. Omnia feci, quare Lepido coniuncto ad Remp. defendendam, minore solici-
 tudine vestra perditos resisterem. omnia ei & petenti recepi, & vltro pollicitus sum: scri-
 psi que tibi biduo antè, cōfidere me bono Lepido esse vsurum, communique consilio
 bellum administraturū. Credidi chirographis eius, affirmationi præsentis Laterensis, qui
 tum apud me erat: recōiliarēque me Lepido, fidemque haberem, orabat. non licuit
 diutius bene de eo sperare: illud certè caui, & cauebo, ne mea credulitate Reip. summa
 fallatur. Cū Isaram flumen, vno die ponte confecto, exercitum traduxissem, pro ma-
 gnitudine rei celeritatem adhibens, quod petierat per literas ipse, ut maturarem venire:
 præsto mihi fuit stator eius cum literis, quibus ne venirem, denuntiabar: se posse confi-
 cere per se negotiū: interea ad Isaram expectarem. Indicabo temerarium meum con-
 silium tibi: nihilo minus ire decreueram, existimans eum focium gloriæ vitare. puta-
 bam posse me nec de laude ieiuni hominis delibare quicquam, & subesse tamen pro-
 pinquis locis, ut, si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. Ego non malus ho-
 mo hoc suspicabar. at Laterensis vir sanctissimus suo chirographo mittit mihi literas,
 meisque, desperas de se, de exercitu, de Lepidi fide, querensque se destitutum: in quibus
 aperte denuntiat, videam ne fallar: suam fidem solutam esse, Reip. ne desim. Exemplar
 eius chirographi Titio dedi. ipsa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea quibus fi-
 dem non habendam putavi, Laeo Cispio dabo perferenda, qui omnibus his interfuit
 rebus. Accessit eò, ut milites eius, cum Lepidus concionaretur, improbi per se, corrupti
 etiam per eos qui præsunt, Canidios, Rufrenosque, & cæteros, quos, cum opus erit, scie-
 tis, conclamarint viri boni, pacem se velle, neque esse cum vllis pugnaturus, duobus
 iam Consulibus singularibus occisis, tot ciuibus pro patria amissis, hostibus denique o-
 mnibus iudicatis, bonisque publicatis. Neque hoc aut vindicarat Lepidus, aut sanarat.
 huc me venire, & duobus exercitibus coniunctis obicere exercitum fidelissimum, ma-
 xima auxilia, principes Gallia, prouinciam cunctam, summæ demeritæ & temeritatis
 esse vidi: mihi que, si ita oppressus essem, remque pub. mecum perdidissem, mortuo non
 modo honorem, sed misericordiam quoque defuturam. Itaque rediturus sum: nec tan-
 ta munera perditos hominibus dari posse sinam. Exercitum locis ut habeam opportu-
 nis, prouinciam tuear, etiam si ille exercitus descuerit, omnia ut integra feruem, dabo
 operam, quoad exercitus huc summittatis, parique felicitate Remp. hinc vindicetis. nec
 depugnare, si occasio tulerit: nec obsideri, si necesse fuerit: nec mori, si casus incidit,
 pro vobis paratior fuerit quisquam. Quare hortor te mi Cicero, exercitū huc traicien-
 dum quamprimum cures, & matures prius, quàm hostes magis corroborentur, & no-
 stri perturbentur. in quo si celeritas erit adhibita, Resp. in possessione victoriæ deletis
 sceleratis permanebit. Fac valeas, meque diligas. Fratrem meum tibi, fortissimum ci-
 uem, & ad omnia paratissimum, excusam literis, qui ex labore in febriculam incidit af-
 fiduam & satis molestam: Cū primū poterit istuc recurrere, non dubitabit, ne quo
 loco Reip. desit. Meam dignitatem commendatam habeas rogo. concupiscere me
 nihil oportet: habeo te & amantissimum mei, & quod optavi, summæ authoritatis. Tu
 videris quantum, & quando tuum munus apud me velis esse. Tantum te rogo, in Hircii
 locum me subdas, & ad tuum amorem & ad meam obseruantiam.

CICERO PLANCO S.

IN TE, & in collega omnis spes est, diis approbantibus. concordia vestra, quæ Senatu declarata literis vestris est, mirificè & Senatus, & cuncta ciuitas delectata est. Quòd ad me scripseras de re agraria: si consultus Senatus esset, ut quisque de te honorificentissimam sententiam dixisset, eam secutus essem, qui certè ego fuissim: sed propter tarditatem sententiarum, moramque rerum, cum ea, quæ consulebantur, ad exitum non peruenirent, comodissimum mihi, Plancoque fratri visum est, uti eo, quod ne nostro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci literis cognouisse. Sed siue in s. c. siue in cæteris rebus desideras aliquid: sic tibi persuade, tantam esse apud omnes bonos tui charitatem, ut nullum genus amplissimæ dignitatis excogitari possit, quod tibi non paratum sit. Literas tuas vehementer expecto, & quidem taleis, quales maximè opto. Vale.

PLANCVS CICERONI S.

NUNQUAM mehercule mi Cicero me poenitebit maxima pericula pro patria subire, dum, siquid acciderit, mihi à reprehensione temeritatis absim. Confiterer imprudentia me lapsum, si vnquã Lepido ex animo credidissim. CREDVLITAS enim error est magis quam culpa: & quidè in optimi cuiusque mentè facillimè irrepit. sed ego non hoc vitio penè sum deceptus: Lepidum enim pulchrè noram. Quid ergo est? pudor me, qui in bello maximè est periculosus, hunc casum coegit subire. nam nisi vno loco essemus, verebar necui obtrectatorum viderer & nimium pertinaciter Lepido offensus, & mea patientia etiam alere bellum. Itaque copias propè in aspectum Lepidi, Antoniique adduxi, quadragintaque milliũ passuum spatio relicto confedi, eo consilio, ut vel celeriter accedere, vel salutariter recipere me possem. Adiunxi hæc in loco eligendo, flumen oppositum, ut haberem in quo mora transitus esset: Vocontii sub manu ut essent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus desperato aduentu meo, quem non mediocriter captabat, se cum Antonio coniunxit ad 111. Cal. Iun. eodemque die ad me castra mouerunt. viginti millia passuum cum abessent, res mihi nuntiata est. Dedi operam deũ benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic discessus nihil fugæ simile haberet: non miles vllus, non eques, non quicquam impedimentorũ amitteretur, aut ab illis furetibz latronibus interciperetur. Itaque prid. Non Iun. omnes copias Isaram traieci, pontesque, quos feceram, interrupi, ut & spatium ad se colligendum homines haberet, & ego me interea cum collega coniungerem: quem triduo, cum has dabam literas, expectabam. Laterensis nostri & fidem & animum singularem in Remp. semper fatebor: sed certè nimia eius indulgètia in Lepidũ, ad hæc pericula perspiciunda fecit eum minus sagacem. Qui quidè cum in fraudè se deductum videret, manus, quas iustius in Lepidi perniciem armasset, sibi afferre conatus est. in quo casu tamen interpellatus, adhuc viuit, & dicitur victurus. sed tamen de hoc mihi parum certum est. Ego magno cum dolore paricidarum elapsus sum bis: veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati. iracundias autem harum rerum recentes habebant, quòd Lepidum castigare non destiteram, ut extingueret bellũ: quòd colloquia facta improbabam: quòd legatos fide Lepidi dimissos, ad me in conspectũ venire vetueram: quòd C. Catinum Vestinum Trib. mil. missum ab Antonio ad eum cũ literis, interceperam. in quo hanc capio voluptatè, quòd certè quo magis me petiuerunt, tanto maiorem his frustratio dolorem attulit. Tu mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem præsta, ut vigilantè, neruofèque nos, qui stamus in acie, subornes. Veniat Cæsar cũ copiis, quas habet firmissimas: aut, si ipsum aliqua res impedit, exercitus eius mittatur: cuius ipsius magnum periculum agitur. quicquid aliquãdo futurum fuit in castris perditorũ contra patriam, hoc omne iam cõuenit. Pro vrbe verò salute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur: quòd si vos istuc non defueritis, profectò, quod ad me attinet, omnibus rebus abundè Reip. satisfaciam. Te quidè mi Cicero in dies mehercule habeo chariorè:

solicitudinèsqz meas quotidie magis tua merita exacuunt, nequid aut ex amore, aut ex iudicio tuo perdam. Opto ut mihi liceat iam præfenti pietate meorũ officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora. Vale. v. 111. Id. Iun. Ciuarone, ex finibus Allobrogum.

PLANCVS IMP. COS. DES. CICERONI S. D.

FACERE non possum, quin in singulas res, meritæque tua tibi gratias agam: sed mehercule facio cum pudore. neque enim tanta necessitudo, quãtam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionem: neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis: & malo præfens obseruãtia, indulgètia, assiduitate memorè me tibi probare. Quòd si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates in tui obseruãtia, indulgètia, assiduitate vincam. amor enim tuus, ac iudicium de me vtrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie sit allaturus, non facilè dixerim. De militũ comodis fuit tibi curæ: quos ego non potentia meæ causa (nihil enim me non salutariter cogitare scio) ornari volui à Senatu: sed primũ quòd ita meritos iudicabam: deinde quòd ad omnes casus coniunctiores Reip. esse volebam: nouissimè, ut ab omni omniũ sollicitatione auersos eos taleis vobis præstare possem, quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hinc omnia integra sustinimus. quòd cõsiliũ nostrum, etsi, quanta sit auiditas hominum (non sine causa) talis victoriæ scio: tamen vobis probari spero: non enim siquid in his exercitibus sit offensum, magna subsidia Resp. habet expedita, quibus subito impetui ac latrocinio paricidarum resistat. Copias verò nostras notas tibi esse arbitror. in castris meis legiones sunt veterana tres, tironum vel luculentissima ex omnibus vna. in castris Bruti vna veterana legio, altera bima, octo tironum. Ita vniuersus exercitus numero amplissimus est, firmitate exiguus. Quantum autem in acie tironi sit committendum, nimium sæpe expertum habemus. Ad hoc robur nostrorũ exercituum siue Africanus exercitus, qui est veteranus, siue Cæsar accessisset, æquo animo summam Remp. in discrimen deducemus. Aliquanto autem propius esse, quòd ad Cæsarem attinet, videbamus, nihil destiti eum literis hortari: neque ille intermisit affirmare, se sine mora venire: cum interim aduersum illum ab hac cogitatione, ad alia cõsilia video se cõtulisse. Ego tamen ad eum Furnium nostrum cum mādatis, literisqz misi, siquid fortè proficere posset. Scis tu mi Cicero, quòd ad Cæsaris amorem attinet, societate mihi esse tecum: vel, quòd in familiaritate Cæsaris, viuo illo, iam tueri eũ, & diligere mihi fuit necesse: vel quòd ipse, quoad ego nosse potui, moderatissimi atque humanissimi fuit sensus: vel quòd ex tam insigni amicitia mea atque Cæsaris, hunc filii loco & illius, & vestro iudicio substitutũ, non perinde habere mihi turpe videtur. Sed quicquid tibi scribo, dolenter mehercule magis, quàm inimicè facio. Quòd viuit Antonius hodie, quòd Lepidus ynã est, quòd exercitus habent non contèndendos, quòd sperat, quòd audent: id omne Cæsari acceptum referre possunt. Neque ego superiora repetam: sed ex eo tẽpore, quo ipse mihi professus est se venire, si venire voluisset, aut oppressum iam bellũ esset, aut in auersissimam illis Hispaniam cum detrimento eorũ maximo detrusum. Quæ mens eum, aut quorũ consilia à tanta gloria, sibi verò etiam necessaria ac salutari auocarint, & ad cogitationè consulatus bimestris summo cum terrore hominũ, & insulsa cũ efflagitatione transtulerint, expectare non possum. Multum in hac re mihi videtur necessariũ eius & Reip. & ipsius causa proficere posse: plurimum, ut puto, tu quoque, cuius ille tanta merita habet, quãta nemo præter me. nunquam enim obliuiscar, maxima ac plurima me tibi debere. De his rebus ut exigeret cum eo, Furnio mādau. Quòd si quantam debeo, habuero apud eum auctoritatem, plurimum ipsum iuero. Nos interea duriori cõditione bellum sustinemus, quòd neque expeditissimam dimicationè putamus, neque tamen refugièdo commissuri sumus, ut maius detrimentum Resp. accipere possit. quòd si aut Cæsar se respexerit, aut Africanæ legiones celeriter venerint: securos vos ab hac parte reddemus. Tu, ut instituisti, me diligas rogo, proprièqz tuũ esse tibi persuadeas. v. Calèd. Sext. ex castris.

H.iiii.



M. T. CICERO C. FVRNIO S. P. D.

SI INTEREST, id quod homines arbitrantur, Reip. te, vt instituisti atque fecisti, nauare operam, rebûsque maximis, quæ ad extinguendas reliquias belli pertinent, interesse: nihil videris melius, neque laudabilius, neque honestius facere posse: istamque operam tuam, nauitatem, animum in Remp. celeritati Præturæ anteponedam censeo. Nolo enim te ignorare, quantam laudē consecutus sis: mihi crede, proximam Planco, idque ipsius Planci testimonio, prætereaque fama, scientiæque omnium. Quamobrem siquid operis tibi etiam nunc restat, id maximopere censeo persequendum. quid enim honestius: aut quid honesto anteponedum? si autem satisfactum Reip. putas: celeriter ad comitia, quædo maturè futura sunt, veniendum censeo: dummodo nequid hæc ambitio festinatio imminuat eius gloriæ, quam cōsecuti sumus. Multi clarissimi viri, cum Reip. darent operam, annum petitionis suæ non obierunt. quod eò facilius nobis est, quod non est annus hic tibi destinatus: vt, si AEdilis fuisses, post biennium tuus annus esset. Nunc nihil prætermittere videbere vsitati, & quasi legitimi tēporis ad petendum. Video autem Planco c o s. etsi etiam sine eo rationes expeditas haberes, tamen splendidiorem petitionem tuam fore, si modò ista ex sentētia cōfecta essent. Omnino plura me scribere, cum tuum tantum consiliū iudiciūque sit, non ita necesse arbitrabor: sed tamen sententiam meam tibi ignotam esse nolebam. Cuius est hæc summa, vt omnia te metiri dignitate malim, quàm ambitione: maioremque fructū ponere in perpetuitate laudis, quàm in celeritate Præturæ. Hæc eadem locutus sum domi meæ, adhibito Quinto fratre meo, & Cæcinnæ, & Caluissio, studiosissimis tui, cum Dardanus libertus tuus interesset. omnibus probari videbatur oratio mea: sed tu optimè iudicabis. Vale.

M. T. CICERO C. FVRNIO S. P. D.

LECTIS tuis literis, quibus declarabas aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandū, illud magis timui, quod vitatum non molestè fero. Quod de Placi & Bruti concordia scribis, in eo vel maximam spem pono victoriæ. De Gallorum studio nos aliquando cognoscemus, vt scribis, cuius id opera maximè excitatū sit: sed iam, mihi crede, cognouimus. Itaque iucundissimis tuis literis stomachatus sum in extremo. scribis enim, si in Sextilem comitia, citò te: si iam cōfecta, citius, ne diutius cum periculo fatuus sis. O mi Furni, quàm tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas. Tu nunc cādidatum te putas, & id cogitas, vt aut ad comitia curras: aut, si iam cōfecta, domi tuæ sis: scilicet ne cum maximo periculo, vt scribis, stultissimus sis. Non arbitror te ita sentire: omnes enim tuos ad laudem impetus noui. Quod si, vt scribis, ita sentis: non magis te, quàm de te iudicium reprehendo meum. Te adipiscēdi magistratus leuissimi & diuulgatissimi, si ita adipiscare, vt plerique, præpropera festinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omnes in cælum iure & verè ferunt? Scilicet id agitur, vtrum hac petitione, an proxima Prætor fias, non vt ita de Rep. mereare, omni honore vt dignissimus iudicare. Vtrum nescis quàm altè ascenderis, an pro nihilo id putas: si nescis, tibi ignosco: nos in culpa sumus. sin intelligis, vlla tibi est Prætura vel officio, quod pauci, vel gloria, quam omnes sequuntur, dulcior? Hac de re & ego, & Caluissius, homo magni iudicii, tuique amatissimus, te accusamus quotidie: comitia tamen, quando ex his pendes, quantum facere possumus, quod multis de causis Reip. arbitramur conducere, in Ian. mensē protrudimus. Vince igitur, & vale.

M. T. CICERO M. LEPIDO S. P. D.

QVOD mihi pro mea summa erga te beneuolentia magnæ curæ est, vt quam amplissima dignitate sis, molestè tuli te Senatui gratias non egisse, cum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis inter ciueis cōciliandæ te cupidum esse lætor. pacem eam si à seruitute seiungis, cōsules & Reip. & dignitati tuæ. sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est: hoc animo scito esse omnem sanos, vt mortem seruituti anteponant. Itaque sapientius meo quidem iudicio

facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neque Senatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex aliis, aut certior fies literis. Tu pro tua prudentia, quid optimum factu sit, videbis.

M. T. CICERO C. TREBONIO S. D.

QVAM vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idib. Mart. inuitasses! reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum histantum negotii est, vt vestrum illud diuinum in Remp. beneficium nonnullam habeat querelam. Quod verò à te viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc viuit hæc pestis: interdum quod mihi vix fas est, tibi subirafor: mihi enim negotii plus reliquisti vni, quàm præter me omnibus. Vt enim primùm post Antonii cœdissimum discessum Senatus haberi liberè potuit, ad illum animum meum reuerti pristinum, quem tu cum ciue acerrimo patre tuo in ore & amore semper habuisti. nam cum Senatum ad XIII. Cal. Ian. Tribuni pleb. vocauissent, deque alia re referrent, totam Rempub. sum complexus, egique acerrimè, Senatūque iam languentem & defessum, ad pristinam virtutem, consuetudinēque reuocaui, magis animi, quàm ingenii viribus. Hic dies, meaque contentio atque actio spem primùm populo R. attulit libertatis recuperandæ. Nec verò ipse postea tempus vllum intermisi de Rep. non cogitandi solū, sed etiam agendi. quod nisi res vrbanas, actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem: quanquam eram maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognosces ex aliis: à me pauca, & ea summatim. Habemus fortem Senatum, consularis partim timidos, partim malè sentientes. Magnum damnum factum est in Seruio. L. Cæsar optimè sentit: sed quod auunculus est, non acerrimas dicit sententias. Consules egregii, præclarus D. Brutus, egregius puer Cæsar: de quo spero equidem reliqua. hoc verò certum habeto, nisi ille veteranos celeriter conscripisset, legionesque duæ de exercitu Antonii ad eius se auctoritatem contulissent, atque is oppositus esset terror Antonio, nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis præteriturum fuisse. Hæc tibi etsi audita esse arbitrabor, volui tamen notiora esse. plura scribam, si plus otii habuero. Vale.

M. CICERO AMPIO S. D.

DE MEO studio erga salutem & incolumitatē tuam credo te cognoscere ex literis tuorum: quibus me cumulatissimè satisfecisse certò scio. Nec iis concedo, quanquā sunt singulari in te beneuolentia, vt te saluum malint, quàm ego. Illi mihi necesse est concedant, vt tibi plus, quàm ipsi, hoc tempore prodesse possim. quod quidem nec defitri facere, nec desistam, & iam in maxima re feci, & fundamenta ieci salutis tuæ. Tu fac bono animo, magnoque sis, meque tibi nulla re defuturum esse confidas. Prid. Non. Quint. Vale.

SER. GALBA M. CICERONI S.

DECIMO SEPTIMO Cal. Maii, quo die Panfa in castris Hircii erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obuiam processeram millia passuum centum, quo maturius veniret) Antonius legiones eduxit duas, secundam & quintam trigessimam: & cohorteis prætorias duas, vnam suam, alteram Syllani, & euocatorum partem. Ita obuiam venit nobis, quod nos quatuor legiones tironum habere solū arbitrabatur. Sed noctu, quo tutius venire in castra possemus, legionem Martiam, cui ego præesse solebam, & duas cohorteis prætorias miserat Hircius nobis. Cum equites Antonii apparuissent, contineri neque legio Martia, neque cohorteis prætoriarum potuerunt: quas sequi cœpimus coacti, quando eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum suas copias cōtinebat: neque sciri volebat se legiones habere: tantum equitatum & leuem armaturam ostendebat. Posteaquam vidit se inuito legionem ire Panfa, sequi se duas legiones iussit tironum. posteaquam angustias paludis & sylvarum trāsiuimus, acies est instructa à nobis duodecim cohortium. Nondum venerant legiones duæ, cum repente Antonius in aciem suas copias de vico produxit, & sine mora concurrat. Primò ita pugna-

tum est, vt acrius non posset ex vtraque parte pugnari. sed dexterius cornu, in quo ego⁶⁴ eram cum Martiæ legionis cohortibus octo, impetu primo fugauerat legionem tricesimam quintam Antonii, vt amplius passus quingentos vltra aciem, quo loco steterat, processerit. Itaque cum equites nostrum cornu circuire vellent, recipere me cœpi, & leuem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne auersos nostros aggredierentur. Interim video me esse inter Antonianos, Antoniumque post me esse aliquanto. repente equum immisi ad eam legionem tironum, quæ veniebat ex castris, scuto reiecto. Antoniani me insequi: nostri pila conuicere velle. Ita nescio quo fato sum seruatus, quod citò sum à nostris cognitus. In ipsa AEmilia, vbi cohors Cæsaris prætoriana erat, diu pugnatum est. cornu sinisterius, quod erat infirmius, vbi Martiæ legionis duæ cohortes erant, & cohors prætoriana, pedem referre cœperunt, quod ab equitatu circuibantur, quo vel plurimum valet Antonius. Cum omnes se recepissent nostri ordines, recipere me⁶⁵ nouissimus cœpi ad castra. Antonius tanquã victor castra putauit se posse capere. quò cū venit, complureis ibi amisit, nec egit quicquam. Audita re Hircius cum cohortibus viginti veteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiasque omnes eius deleuit, fugauitque eodem loco, vbi erat pugnatum ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta se in castra sua ad Mutinam recepit. Hircius in ea castra rediit, vnde Panfa exierat, vbi duas legiones reliquerat, quæ ab Antonio erant oppugnata. Sic partem maiorem suarum copiarum Antonius amisit veteranarum: nec id tamen sine aliqua iactura cohortium prætorianarum nostrarum, & legionis Martiæ fieri potuit. Aquilæ duæ, signa sexaginta sunt relata Antonii. Res bene gesta est. ad XI. Cal. Maii, ex castris. Vale.

C. ASINIUS POLLIO M. T. C. S. P. D.

MIMIME mirum debet tibi videri, nihil me scripsisse de Rep. posteaquam itum⁶⁶ est ad arma. Nam saltus Castulonensis, qui semper tenuit nostros tabellarios, etsi nunc frequentioribus latrociniiis infestior factus est, tamen nequaquam tanta in mora est, quanta qui locis omnibus dispositi ab vtraque parte scrutantur tabellarios, & retinent. Itaque nisi naue perlata literæ essent, omnino nescirem quid istic fieret. Nunc verò natus occasionem, posteaquam nauigari cœptum est, cupidissime, & quàm creberrimè potero, scribam ad te. Ne mouear eius sermonibus, quem tametsi nemo est qui videre velit, tamen nequaquam perinde ac dignus est, oderunt homines: periculum non est. adeo est enim inuisus mihi, vt nihil non acerbum putem, quod commune cum illo sit. Natura autem mea, & studia trahunt me ad pacis & libertatis cupiditatem. Itaque illud initium ciuiliis belli sæpe defleui. Cum verò non liceret mihi nullius partis esse, quia v⁶⁷ trobique magnos inimicos habebam: ea castra fugi, in quibus planè tutum me ab infidiis inimici sciebam non futurum. compulsus eò, quò minimè volebam: ne in extremis essem, planè pericula non dubitanter adii. Cæsarem verò, quòd me in tanta fortuna modo cognitum vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate & fide. quæ mea sententia gerere mihi licuit, ita feci, vt optimus quisque maximè probarit: quod iussus sum eo tempore, id ita feci, vt appareret, inuito imperatum esse. Cuius facti iniustissima inuidia erudire me potuit, quàm iucunda libertas, & quàm misera sub dominatione vita esset. ita, si id agitur, vt rursus in potestate omnia vnus sint: quicumque is est, ei me profiteor inimicum: nec periculum est vllum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer. Sed Consules neque s. c. neque literis suis præceperant mihi quid facerem. vnas enim post Id. Mart. demum à Panfa literas accepi, in quibus hortatur me vt Senatui scribam, me, & exercitum in potestate eius futurum. quod cum Lepidus concionaretur, atque omnibus scriberet, se consentire cum Antonio, maximè contrarium fuit. nam quibus com meatibus inuito illo per illius prouinciam legiones ducerem? aut, si cætera transissem, num etiam Alpeis poteram transuolare, quæ præsidio illius tenerentur? adde huc, quòd perferri literæ nulla conditione poterunt: sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinètur à Lepido tabellarii.

Illud me Cordubæ pro concione dixisse nemo vocabit in dubiũ, prouinciam me nulli, nisi qui à Senatu missus venisset, traditurum. nam de legione trigesima tradenda quantas habuerim contentiones, quid ego scribam? qua tradita, quanto pro Rep. infirmior futurus fuerim, quis ignorat? hac enim legione noli acrius aut pugnacius quicquam putare esse. Quare me eũ existima esse, qui primùm pacis cupidissimus sim (omnes enim ciueis planè studeo esse saluos) deinde qui & me & Remp. vindicare in libertatem paratus sim. Quòd familiare meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est. inuideo illi tamen, quòd ambulat & iocatur tecum. quæres, quanti æstimem. si vnquam licuerit viuere in otio, experieris: nullum enim vestigium abs te discessurus sum. Illud vehementer admiror, non scripsisse te mihi, manèdo in prouinciã, an ducendo exercitum in Italiam, Reip. magis satisfacere possim. Ego quidem, etsi mihi tutius, ac minus laboriosum est manere: tamen quia video tali tempore multò magis legionibus opus esse, quàm prouinciis, quæ præsertim recuperari nullo negotio possunt, constitui, vt nunc est, cum exercitu proficisci. deinde ex literis, quas Panfa misi, cognoscas omnia. nam earum tibi exemplar misi. xvii. Calend. Apr. Cordubæ.

C. ASINIUS POLLIO CICERONI S.

⁷⁰ BALBUS Quæ. magna numerata pecunia, magno pondere auri, maiore argenti coacto de publicis exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito, duxit se à Gadibus, & triduum tempestate retentus ad Calpen, Calend. Iun. traiecit sese in regnum Bogudis, planè bene peculiatus. His rumoribus vtrum Gadeis referatur, an Romam (ad singulos enim nuntios turpissimè consilia mutat) nondum scio. sed præter furta & rapinas, & virgis cæsos focios, hæc quoque fecit, vt ipse gloriari solet, eadem quæ C. Cæsar ludis, quos Gadibus fecit. Herennium Gallum histriõnem summo ludorum die annulo aureo donatum, in quaturdecim fessum deduxit. tot enim fecerat ordines equestris loci. Quatuoruiratum sibi prorogauit: comitia biennii biduo habuit: hoc est, renuntiavit quos ei visum est: exules reduxit, non horum temporum, sed illorum quibus à feditionis Senatus trucidatus, aut expulsus est Sex. Varro Procos. Illa verò iam ne Cæsaris quidem exemplo, quòd ludis prætextam de suo itinere ad L. Lentulum Procos. sollicitandum posuit: & quidem, cum ageretur, fleuit memoria rerum gestarum commotus. Gladiatoribus autem Fadium quendam militem Pompeianum, quia cum depressus in ludum bis gratis depugnasset, authore sese nolebat, & ad populũ cõfugerat: primùm Gallos equites immisit in populum (coniecti enim sunt lapides in eum, cum arripere-⁷¹ tur Fadius) deinde abstractum defodit in ludo, & viuum combussit: cum quidem pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum reiectis inambularet, & illi misero quiritanti, Ciuis Romanus sum: respõderet, Abi nunc, populi fidem implora. Bestiis verò ciueis Romanos, etiam in his circulatore quẽdam auctiõnum, notissimum hominem Hispali, quia deformis erat, obiecit. Cum huiusmodi portento res mihi fuit. Sed⁷² de illo plura coram. Nunc, quod præstat, quid me velitis facere, constituite. Treis legiones firmas habeo: quarum vnã vigesimam octauam cum ad se initio belli accessisset Antonius hac pollicitatione, quo die in castra venisset, denarios quinquagenos singulis militibus daturum, in victoria verò eadem præmia, quæ suis legionibus: (quorum quis vllum finem, aut modum futurum putauit?) incitatissimam retinui, ægrè merchule: nec retinuissem, si vno loco habuissem, vt pote cum singulæ quædam cohortes seditionem fecerint. Reliquas quoque legiones non destitit literis atque infinitis pollicitationibus incitare. Nec verò minus Lepidus vrsit me & suis & Antonii literis, vt legionem trigessimam mitterem sibi. Itaque quem exercitum neque vendere vllis præmiis volui, nec eorum periculorum metu, quæ victoribus illis portendebantur, diminueret debetis existimare retentum: & conseruatum Reip. esse, atque ita credere, quod⁷³ cunque imperassetis, facturum fuisse, si, quod iussistis, feci. Nam & prouinciam in otio, & exercitum in mea potestate tenui: sinibus meæ prouinciæ nusquam excessi: militem

non modò legionarium, sed ne auxiliarium quidem vllum quoquam mihi: & siquos equites decedeteis nactus sum, supplicio affeci. quarum rerum fructum satis magnum Rep. salua tulisse me putabo. Sed Resp. si me satis nouisset, & maior pars Senatus, maiores ex me fructus tulisset. Epistolam quam Balbo, cum etiamnum in prouincia esset, scripsi, legendam tibi mihi: etiam prætextam, si voles legere, Gallum Cornelium familiarem meum poscito. VI. Id. Iun. Cordubæ. Vale.

C. ASINIVS POLLIO M. T. C. S. D. P.

Quo tardius certior fierem de præliis apud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios nouem dies retinuit: tamen si tantam calamitatem Reip. quam tardissimè audire optadum est, sed illis qui prodesse nihil possunt, neque mederi. Atque utinam eodem s. c. quo Plancum & Lepidum in Italiam accersistis, me quoque iussissetis venire: profectò non accepisset Resp. hoc vulnus. quo si qui latantur in præsentia, quia videtur & duces & veterani Cæsaris partium interiisse: tamen postmodum necesse est doleant, cum vastitatem Italiæ respexerint. nam & robur & soboles militum interiit, si quidem quæ nuntiantur, vlla ex parte vera sunt. Neque ego non videbam, quâto vsui Reip. essem futurus, si ad Lepidum venissem: omnem enim cunctationem eius discussissem, præsertim adiutore Planco. Sed scribenti ad me eiusmodi literas, quas leges, & concionibus, videlicet quas Narbone habuisse dicitur, similes, palparer necesse erat, si vellem com meatum per prouinciam eius iter faciès habere. Præterea verebar ne si antè quàm ego incepta perficerem, prælium confectum esset, pium meum cõsilium raperent in contrariam partè obtrectatores mei, propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio, non maior tamen, quàm Planco fuit. Itaque à Gadibus mense Aprili binos tabellarios in duas naueis imposui, & tibi, & consulibus, & Octauiano scripsi, vt me faceretis certiorè, quoniam modo plurimum possem prodesse Reip. Sed vt rationem in eo, quo die prælium Panfa commisit, eodem à Gadibus naues profectæ sunt. nulla enim post hyemem fuit ante eam diem nauigatio. & hercule longè remotus ab omni suspicione futuri ciuilibus tumultus, penitus in Lusitania legiones in hybernis collocarã. Ita porrò festinauit uterque configere, tanquam nihil peius timerent, quàm ne sine maximo Reip. detrimèto bellum componeretur. Sed si properandũ fuit, nihil non summi ducis consilio gessisse Hircium video. nã hæc mihi scribuntur ex Gallia Lepidi, & nuntiantur, Panfæ exercitum cõcisum esse, Pãsam ex vulneribus mortuum: eodè prælio Martiam legionem interiisse, & L. Fabatum & C. Peduceum, & D. Carfulenum: Hirciano autè prælio & quartam legionem, & omneis peræquè Antonii cæfas: item Hircii quartam, cum castra quoque Antonii cæpisset, à quinta legione cõcisam esse: ibi Hirciũ quoque periisse, & Pontium Aquilam: dici etiam, Octouianum cecidisse: (quæ si, quod dii prohibeant, vera sunt, non mediocriter doleo) Antoniũ turpiter Mutinæ obsessiõnẽ reliquisse, sed habere equitatũ ac legiones sub signis armatas treis, & P. Vagienni vnã, inermes bene multos: Ventidium quoque se cũ legione septima, octaua, nona coniunxisse: si nihil in Lepido spei sit, descensurũ ad extrema, & non modò nationes, sed etiam feruitia cõcitaturum: Parmam direptam: L. Antoniũ Alpeis occupasse. Quæ si vera sunt, nemini nostrũ cessandum est, neque expectandũ quid decernat Senatus: res enim cogit huic tanto incendio succurrere omneis, qui aut imperiũ, aut nomen denique populi Rom. saluum esse volunt. Brutum enim decem & septem cohortes, & duas non frequètes tironum legiones, quas conscripserat Antonius, habere audio. Neque tamen dubito quin omnes qui supersint de Hircii exercitu, cõfluant ad eum. Nam in delectu non multum spei puto esse: præsertim cum nihil sit periculosius, quàm spatiũ confirmandi sese Antonio dari. Anni autem tempus libertatem maiorem mihi dat, propterea quia frumẽta aut in agris, aut in villis sunt. Itaque proximis literis cõsilium meum expedietur. nam neque deesse, neque superare Reipubl. volo. Maximè tamen doleo, ad eò & lógo & infesto itinere ad me venire, vt die quadragesimo post, aut vltra etiam quàm facta sunt, omnia nuntiẽtur. Vale.

M. LEPIDVS IMP. ITERVM PONT: MAX. S. P. PL. Q. R.

78 SI VOS, liberique vestri valetis, bene est: ego quoque valeo. Deos, hominesque testor P. C. qua mente, & quo animo semper in Remp. fuerim, & quàm nihil antiquius communi salute ac libertate iudicari. quod vobis breui probassem, nisi mihi fortuna proprium consilium extorfisset. Nam exercitus cunctus consuetudinem suam in ciuibus conseruandis, communique pace, seditione facta, retinuit: meque tantæ multitudinis ciuium Romanorum salutis atque incolumitatis causam suscipere, vt verè dicam coegit. In qua re ego vos P. C. oro atque obsecro, vt priuatis offensionibus omissis, summæ Reip. consulatis, neve misericordiam nostram, exercitũque nostri in ciuili diffensione sceleris loco ponatis. Quòd si salutis omnium ac dignitatis rationem habueritis, melius & vobis & Reip. cõsuletis. Data IIII. Calend. Iun. à Ponte Argenteo. Valete.

M. LEPIDVS IMP. ITERVM PONT. MAX. M. T. CICERONI S. P. D.

79 SI VALES, bene est: ego quoque valeo. Cum audissem Antonium cum suis copiis, præmisso L. Antonio cum parte equitatus, in prouinciam meam venire, cum exercitu meo à confluente Rhodano castra moui, ac contra eos venire institui. Itaque cõtinuis itineribus ad Forum Vocontium veni, & vltra castra ad flumen Argenteum contra Antonios feci. P. Ventidius suas legiones treis coniunxit cum eo, & vltra me castra posuit. Habebat antea legionem secundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem, sed inermium. Equitatum habet magnum. nam omnis ex prælio integer discessit, ita vt sint amplius equitum xxx. Itaque ad me complures milites & equites ab eo transferunt: & in dies singulos eius copiæ minuuntur. Syllanus & Culleo ab eo 80 discesserunt. Nos etsi grauius ab his læsi eramus, quòd contra nostram voluntatem ad Antonium ierant: tamen nostræ humanitatis & necessitudinis causa, eorum salutis rationem habuimus. Nec tamen eorum opera vtimur, neque in castris habemus, neque vlli negotio præfecimus. Quòd ad bellum hoc attinet, nec Senatui, nec Reip. deerimus. quæ postea egerimus, faciam te certiorẽ. Etsi omni tempore summa studia, officiaque mutuo inter nos certatim constiterunt pro nostra inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab utroque conseruata sunt: tamen non dubito in tanto, & tam repentino motu Reip. quin nonnulla de me falsis rumoribus à meis obtrectatoribus me indigna ad te delata sint, quæ tuum animum magnopere mouerent pro tuo amore in Remp. ea te moderatè accepisse, neque temerè credendum iudicasse, à meis pro- 81 curatoribus certior sum factus: quæ mihi, vt debent, gratissima sunt. Memini autem & illa superiora, quæ abs tua voluntate profecta sunt ad meam dignitatem augendam & ornandam: quæ perpetuò animo meo fixa manebunt. Abs te mi Cicero magnopere peto, si meam vitam, studium diligentissimè superioribus temporibus in Rep. administranda, quæ Lepido digna sunt, perspecta habes, vt paria, aut eo ampliora reliquo tempore expectes: & proinde tua autoritate me tuendum existimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. XII. Calend. Iun. ex castris, ex Ponte Argenteo.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD
BRVTVM, ET ALIOS, LIBER XI.

D. BRVTVS M. BRVTO, ET C. CASSIO S. D.



VO in statu simus, cognoscite. Heri vesperi apud me Hircius fuit: qua mente esset Antonius, demonstrauit, pessima scilicet & infidelissima. nam se neque mihi prouinciam dare posse aiebat, neque arbitrari tutò in Vrbe esse quenquam nostrũ, ad eò esse militum cõcitatos animos, & plebis. quod vtrunque esse falsum, puto vos animaduertere: atque illud esse verum, quod Hircius demonstrabat, timere eum, ne si mediocre auxilium dignitatis nostræ habuissemus, nullæ partes iis in Rep. relinque-

rentur. Cum in his angustiis versarer, placitum est mihi ut postularem legationem liberam mihi, reliquisque nostris: ut aliqua causa proficiscendi honesta quaereretur. Hoc se impetraturum pollicitus est: nec tamen impetraturum confido: tanta est hominum insolentia & nostri infectatio. ac si dederint quod petimus, tamen paulò post futurum puto, ut hostes iudicemur, aut aqua & igni nobis interdicator. Quid ergo est, inquis, tui consilii? Dandus est locus fortunæ: cedendum ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquò terrarum arbitror. Si melior casus fuerit, reuertemur Romam: si mediocris, in exilio viuemus: si pessimus, ad nouissima auxilia descendemus. Succurret fortasse hoc loco alicui vestrum, cur nouissimum tempus expectemus potius, quam nunc aliquid moliamur. Quia ubi consistamus, non habemus præter Sext. Pompeium & Bassum Cæcilium: qui mihi videntur hoc nuntio de Cæsare allato firmiores futuri. Satis in tempore ad eos accedemus, ubi quid valeant, scierimus. Pro Cassio, & te si quid velitis me recipere, recipiam. postulat enim hoc Hircius ut faciam. Rogo vos quamprimum mihi rescribatis: nam non dubito quin de his rebus ante horam quartam Hircius me certiore sit facturus. Quem in locum conuenire possimus, quò me velitis venire, rescribite. Post nouissimum Hircii sermonem, placitum est mihi postulare ut liceret nobis esse Romæ publico præsidio: quod illos nobis concessuros non puto. magnam enim inuidiam iis faceremus. nihil tamen non postulandum putauit, quod æquum esse statuerem. Valete.

M. BRVTVS, ET C. CASSIVS PRAETT. M. ANTONIO COS. S. P. D.

DE TVA fide & benevolentia in nos nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus hæc tibi: quæ profectò, quando istum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis magnam veteranorum multitudinem Romam conuenisse iam, & ad Cal. Iun. futuram multò maiorem. De te si dubitemus aut vereamur, simus nostri dissimiles. sed certè cum ipsi in tua potestate fuerimus, tuoque adducti consilio dimiserimus ex municipiis nostros necessarios, neque solùm edicto, sed etiam literis, id fecerimus: digni sumus quos habeas tui consilii participes, in ea præsertim re, quæ ad nos pertinet. Quare petimus à te, facias nos certiores tuæ voluntatis in nos: putè sine nos tutos fore in tanta frequentia veteranorù, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus: quod velle te, probare vix quisquam posse videtur, qui nos saluos & honestos velit. Nos ab initio spectasse otium, nec quicquam aliud à libertate communi quæsisse, exitus declarat. Fallere nemo nos potest, nisi tu: quod certè abest à virtute tua & fide. Sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. tibi enim vni credidimus, & credituri sumus. Maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri. quibus etsi tua fides explorata est, tamen illud in mentem venit, multitudinem veteranorum facilius impelli ab alio quolibet, quam à te retineri posse. Rescribas nobis ad omnia rogamus. Nam illud valde leue est ac nugatorium, ea re denuntiatum esse veteranis, quod de commodis eorum mense Iun. laturus esses. Quem enim impedimento futurum putas, cum de nobis certum sit nos quieturos? Non debemus cuiquam videri nimium vitæ cupidi, cum accidere nobis nihil possit sine pernicie & confusione omnium rerum. Vale.

BRVTVS ET CASSIVS PRAETT. ANTONIO COS. S. D.

LITERAS tuas legimus simillimas edicti tui, contumeliosas, minaces, minimè dignas quæ à te nobis mitterentur. Nos Antoni te nulla laceffiuius iniuria: neque miraturù credidimus, si Prætores & ea dignitate homines, aliquid edicto postulassemus à Còsule. Quòd si indignaris ausos esse id facere, concede nobis ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto & Cassio tribui. Nam de delectibus habitis & pecuniis imperatis, exercitibus sollicitatis, & nuntiis trans mare missis, quòd te questù esse negas: nos tibi quidem credimus, optimo animo te fecisse: sed tamen neque agnoscimus quicquam eorum: & te miramur, cum hæc reticueris, non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Cæsaris obiiceres. Illud verò quemadmodum ferèdum sit, tute cogita:

non licere Prætoribus concordia ac libertatis causa, per edictum de suo iure decedere, quin Consul arma minetur. Quorum fiducia nihil est quod nos terreas. Neque enim decet aut conuenit nobis periculo vlli submittere animum nostrum: neque est Antonio postulandum, ut iis imperet, quorum opera liber est. Nos si alia hortarentur, ut bellum ciuile suscitare vellemus, literæ tuæ nihil proficerent. *N V L L A* enim minantis auctoritas apud liberos est. Sed pulchrè intelligis, non posse nos quoquam impelli: & fortassis ea re minaciter agis, ut iudicium nostrum metus videatur. Nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus etiam in libera Repub. magnum atque honestum esse: vocemus te ad nullas inimicitias, sed tamen pluris nostram libertatem, quam tuam amicitiam æstimemus. Tu etiã atque etiam vide quid suscipias, quid sustinere possis: neque quandiu vixerit Cæsar, sed quam non diu regnarit, fac cogites. Deos quæsumus, consilia tua Reipub. salutaria sint ac tibi: sin minus, ut salua atque honesta Rep. tibi quàm minimum noceant optamus. Pridie Non. Sext.

D. BRVTVS IMP. M. CICERONI S. D.

SIDE tua in me voluntate dubitarem, multis à te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerere: sed profectò est ita ut mihi persuasi, me tibi esse curæ. Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiēs militibus satisfacere, firmosque eos ad tuendas nostras res efficere: quod mihi videor consecutus: nam & liberalitatem nostram & animum sunt experti. cum omnium bellicosissimis bellum gessi: multa castella cæpi: multa vastauit. non sine causa ad Senatum literas misi. Adiuua nos tua sententia. quod cum facies, ex magna parte communi commodo inferuieris. Vale.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S.

LVPVS familiaris noster cum ad te venisset, cumque Romæ quosdam dies commoraretur: ego eram in iis locis, in quibus maximè me tutò esse arbitrabar. eo factum est, ut ad te Lupus sine meis literis rediret, cum tamen curasset tuas ad me perferendas. Romam autè veni ad v. Id. Decemb. nec habui quicquam antiquius, quam ut Panfam statim conuenirem: ex quo ea de te cognoui, quæ maximè optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, si ne illa quidem in re, quæ à te gesta est post hominum memoriam maxima, hortatorem desiderasti: illud tamen breuiter significandum videtur, populum Rom. omnia à te expectare, atque in te aliquando recuperandæ libertatis omnem spem ponere. Tu si dies noctesque memineris (quod te facere certò scio) quãtam rem gesseris, non obliuiscere profectò quantæ tibi etiam nunc gerendæ sint. si enim iste prouinciam nactus erit, cui quidem ego semper amicus fui, antè quam illum intellexi non modò apertè, sed etiam libenter cum Repub. bellum gerere: spem reliquam nullam video salutis. Quamobrem te obsecro iisdem precibus, quibus Senatus populusque Rom. ut in perpetuum Rempub. dominatu regio liberet: ut principiis consentiant exitus. tuum est hoc munus, tuæ partes. à te hoc ciuitas, vel omnes potius gentes non expectant solùm, sed etiam postulant. Quamquam, cum hortatione non egeas, ut supra scripsi, non utar ea pluribus verbis: faciam illud quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuam laudem & gloriam pertinebunt. Quamobrem velim tibi ita persuadeas, me tum Reip. causa, quæ mihi vita mea charior est: tum quòd tibi ipsi faueam, tuamque dignitatem amplificari velim, tuis optimis consiliis, amplitudini, gloriæ nullo loco defuturum. Vale.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S.

LVPVS noster, cum Romam sexto die Mutina venisset, postridie me mane conuenit, tuamque mihi mandata diligentissimè exposuit, & literas reddidit. Quòd mihi tuam dignitatem commendas: eodem tempore existimo te mihi meam dignitatem commendare, quam mehercule non habeo tua chariorem. Quare mihi gratissimè facies, si exploratù habebis, tuis laudibus nullo loco nec còsiliū, nec studiū meū defuturum.

Cum Tribuni pl. edixissent, Senatus adesset ad x i i i. Cal. Ian. haberentque in animo de praesidio Consulium des. referre: quanquam statueram in Senatum ante Cal. Ian. non venire: tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi Senatum, ut de tuis diuinis in Rempub. meritis fileretur (quod factum esset, nisi ego venissem) aut etiam siquid honorifice de te diceretur, me non adesse. Itaque in Senatum veni mane, quod cum esset animaduersum, frequentissimi Senatores conuenerunt. Quae de te in Senatu egerim, quae in concione maxima dixerim, aliorum te literis malo cognoscere. Illud tibi persuadeas velim, me omnia quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae est per se amplissima, summo semper studio suscepturum & defensurum. Quod quanquam intelligo me cum multis esse facturum, tamen appetam huius rei principatum. Vale.

M. CICERO D. BRUTO IMP. S.

CVM adhibuisset domi meae Lupus me & Libonem, & Seruium confobrinum tuum: quae mea fuerit sententia, cognosse te ex Cn. Scio arbitror, qui nostro sermone interfuit. Reliqua, quanquam statim Seium Graecius est subsequutus, tamen ex Graecio poteris cognoscere. Caput autem est hoc, quod te diligentissime percipere & meminisse velim, ut ne in libertate & salute populi Ro. conseruanda auctoritatem Senatus expectes nondum liberi, ne & tuum factum condemnes (nullo enim publico consilio Rempub. liberasti: quo est etiam res illa maior & clarior) & adolescentem, vel puerum potius Caesarem iudices temere fecisse, qui tantam causam publicam priuato consilio suscepit: denique homines rusticos, sed fortissimos viros, ciuicisque optimos, dementeis fuisse iudices, primum milites veteranos commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem quartam, quae suum Consulem hostem iudicauerunt, seque ad salutem Reipub. defendendam contulerunt. Voluntas Senatus pro auctoritate haberi debet, cum auctoritas impeditur metu. Postremo suscepta tibi causa iam bis est, ut non sit integrum: primum Id. Mart. deinde proxime, exercitu nouo & copiis comparatis. Quamobrem ad omnia ita paratus atque animatus esse debes, non ut nihil facias nisi iussus, sed ut ea geras quae ab omnibus summa cum admiratione laudentur. Vale.

M. T. CICERO D. BRUTO IMP. S.

EO TEMPORE Polla tua misit, ut ad te, siquid vellem, darem literarum, cum quid scriberem, non habebam. Omnia enim erant suspensa propter expectationem legatorum: qui quid egissent, nihil dum nuntiabatur. Haec tamen scribenda existimaui: primum, Senatum populumque Ro. de te laborare non solum salutis suae causa, sed etiam dignitatis tuae. admirabilis est enim quaedam tui nominis charitas, amorque in te singularis omnium ciuium. ita enim sperant, atque confidunt, ut antea Rege, sic hoc tempore regno te Rempub. liberaturum. Romae delectus habetur, totaque Italia: si hic delectus appellandus est, cum vltro se offerunt omnes: tantus ardor animos hominum occupauit desiderio libertatis, odioque diutinae seruitutis. De reliquis rebus a te iam expectare literas debemus, quid ipse agas, quid noster Hircius, quid Caesar meus: quos spero breui tempore societate victoriae tecum copulatos fore. Reliquum est ut de me id scribam, quod te ex tuorum literis & spero & malo cognoscere: me neque deesse vlla in re, neque vnquam defuturum dignitati tuae. Fac valeas.

D. BRUTVS M. T. CICERONI S. D.

PANSA amisso, quantum detrimenti Resp. acceperit, non te praeterit. nunc auctoritate & prudentia tua prospicias oportet, ne inimici nostri, Consulibus sublatis, sperent se conualescere posse. Ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operam. Sequar eum confestim. vtrunque me praestaturum spero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur. In primis rogo te, ad hominem ventosissimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, Antonio sibi coniuncto. nam de Pollione Asinio puto te perspicere quid sit facturum. Multae, & bonae, & firmae sunt legiones Lepidi &

Asinii. Neque haec idcirco tibi scribo, quod te non eadem animaduertere sciam: sed quod mihi persuasissimum est, Lepidum recte facturum nunquam, si forte vobis id de hoc dubium est. Plancum quoque confirmeris, oro: quem spero pulso Antonio Reip. non defuturum. si se Alpeis Antonius traiecerit, constitui praesidium in Alpibus collocare, & te de omni re facere certiore. IIII. Calend. Maii. Ex castris, Rhegii.

D. BRUTVS M. T. CICERONI S. D.

NON mihi Rempub. plus debere arbitror, quam me tibi. gratiore me esse in te posse, quam isti peruersi sint in me, exploratum habes: si tamen haec temporis videantur dici causa, malle me tuum iudicium, quam ex altera parte omnium istorum. tu enim a certo sensu & vero iudicis de nobis: quod isti ne faciant, summa maleuolentia & liuore impediuntur. Interpellent me quo minus honoratus sim, dum ne interpellent quo minus Respub. a me commodum administrari possit. Quae quanto sit in periculo, quam potero breuissime exponam. Primum omnium, quantam perturbationem rerum vrbanae afferat obitus Consulium, quantamque cupiditatem hominibus iniiciat vacuitas, non te fugit. Satis me multa scripsisse, quae literis commendari possint arbitror: scio enim cui scribam. Reuertor nunc ad Antonium, qui ex fuga, cum paruulam manum peditum haberet inermium, ergastula soluendo, omneque genus hominum arripendo, satis magnum numerum videtur effecisse. Huc accessit manus Ventidii: quae trans Apenninum itinere facto difficillimo, ad Vada peruenit, atque se ibi cum Antonio coniunxit. Est numerus veteranorum & armatorum satis frequens cum Ventidio. consilia Antonii haec sint necesse est, aut ad Lepidum ut se conferat, si recipitur: aut Apennino, Alpibusque se teneat: & decursionibus per equites, quos habet multos, vastet ea loca, in quae incurrerit: aut rursus se in Etruriam referat, quod ea pars Italiae sine exercitu est. Quod si me Caesar audisset, atque Apenninum transisset, in tantas angustias Antonium compulisset, ut inopia potius, quam ferro conficeretur. Sed neque Caesari imperari potest, nec Caesar exercitui suo: quod vtrunque pessimum est. Cum haec talia sint, quo minus, quod ad me pertinet, homines interpellent, ut supra scripsi, non impedio. haec quemadmodum explicari possint, aut a te cum explicabuntur, ne impediuntur, timeo. Alere iam milites non possum. Cum ad Rempub. liberandam accessi, his mihi fuit pecuniae c c c. amplius. tantum abest, ut meae rei familiaris liberum sit quicquam, ut meos iam omnes amicos aere alieno obstrinxerim. Septenum numerum legionum alo: qua difficultate, tu arbitrare. Non si Varronis thesauros haberem, sustinere sumptum possem. Cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiore. Tu me amabis ita, si hoc idem me in te facere senseris. III. Non. Maii. Ex castris, Dertone. Vale.

D. BRUTVS IMP. COS. DES. M. CICERONI S. D.

EODEM exemplo literae a te mihi redditae sunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere existimo, quantum persolvere difficile est. Scripsi tibi, quae hic gererentur. In itinere est Antonius, ad Lepidum proficiscitur: ne de Placo quidem spem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt. in quibus, quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat. Ego tamen non habui ambiguum, & statim ad Plancum misi: & biduo ab Allobrogibus, & totius Galliae legatos expecto, quos confirmatos domum remittam. Tu, quae istic opus erunt administrari, prospicies, ut ex tua voluntate, Reipub. comodo fiant. Maleuolentiae hominum in me, si poteris, occures: si non poteris, hoc te consolabere, quod me de statu meo nullis contumeliis deterrere possunt. Prid. Non. Maii. Ex castris, finibus Statiellensium.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S. D.

TREI S VNO die a te accepi epistolas: vnam breuem, quam Flacco Volumnio dederas: duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibii attulit, alteram ad me misit Lupus. Ex tuis literis & ex Graecii oratione non modo non restinctum bellum, sed etiam inflammatum videtur. Non dubito autem pro tua singulari prudentia, quin perspicias, si ali-

quid firmitatis nactus sit Antonius, omnia illa tua præclara in Remp. merita ad nihilum esse ventura. Ita enim Romam erat nuntiatus, ita persuasum omnibus, cum paucis inermibus perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium. Qui si ita se habet, ut (quemadmodum audiebam de Græcio) cōstigi cum eo sine periculo non possit: num ille mihi fugisse à Mutina videtur, sed locū belli gerendi mutasse. Itaque homines alii fracti sunt, nonnulli etiam queruntur, quod persecuti non sitis: opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant. Omnino est hoc populi, maximèque nostri, in eo potissimum abuti libertate, per quem eam consecutus sit. Sed tamen providendum est nequa iusta querela esse possit. Res sic se habet. is bellum confecerit, qui Antonium opprefferit. hoc quam habeat vim, te existimare malo, quàm me apertius scribere. Vale.

D. BRVTVS IMP. COS. DES. M. CICERONI S.

IAM non ago tibi gratias: cui enim re vix referre possum, huic verbis non patitur res satisfieri. Attendere te volo quæ in manibus sunt: qua enim prudentia es, nihil te fugiet, si meas literas diligenter legeris. Sequi confestim Antonium his de causis Cicero non potui: eram sine equitibus, sine iumentis. Hircium periisse nesciebam. Cæsari non credebam prius, quàm conuenissem, & collocutus essem. Hic dies hoc modo abiit. Postridie mane à Panfa sum accersitus Bononiam. cum in itinere essem, nuntiatum mihi est eum mortuum esse. Recurri ad meas copias: sic enim verè eas appellare possum: sunt extenuatissimæ, & inopia omnium rerum pessimè acceptæ. biduo me Antonius antecessit, itinere multò maiore fugiens, quàm ego sequens: ille enim iit passim, ego ordinatim. quacunque iuit, ergastula soluit, homines arripuit. Constitit nusquam prius, quàm ad Vada venit: quem locum volo tibi esse notum, iacet inter Apenninum & Alpes impeditissimus ad iter faciendū. Cum abessem ab eo millia passuum triginta, & se iam Ventidio coniunxisset, concio eius ad me est allata: in qua petere cœpit à militibus, ut se trans Alpes sequerentur, sibi cum M. Lepido conuenire. Succlamatum est, & frequenter à militibus Ventidianis (nam suos valde quam paucos habet) sibi aut in Italia pereundum esse, aut vincendum. Etiam orare cœperunt, ut Pollentiam iter facerent. cum sustinere eos non posset, in posterū diem iter suum contulit. hac re mihi nuntiata statim quinque cohortes Pollentiam præmisi, meumque iter eò contuli. hora ante præsidium meum Pollentiam venit, quàm Trebellius cum equitibus. sanequam sum gaudius: in hoc enim victoriam puto consistere. in spem venerant, quòd neque Planci quatuor legiones omnibus suis copiis pares arbitrabatur: neque ex Italia tam celeriter exercitum traici posse credebant. Quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges, equitatusque omnis qui eò præmissus erat à nobis, sustinebant: nostròque aduentu sustineri facilius posse confidimus. tamen si quo etiam casu Isaram se traiecerint: nequid detrimenti Reip. iniungant, summa à nobis dabitur opera. Vos magnum animum, optimamque spem de summa Rep. habere volumus, cum & nos & exercitus nostros singulari cōcordia coniunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos. Sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, darèque operam, ut quàm paratissimi ab exercitu, reliquisque rebus pro vestra salute contra sceleratissimam cōspirationem hostium cōstigamus. qui quidem eas copias, quas diu simulatione Reip. cōpararant, subito ad patriæ periculum cōuerterunt.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

MIRABILITER mi Brute lætor, mea consilia, measque sententias à te probari de Decemuiris, de adornando adolescente. sed quid refert? mihi crede homini non glorioso, planè iam Brute frigeo. ὀπρᾶνον enim erat meum Senatus: id est iam dissolutum. Tantam spem attulerat exploratæ victoriæ tua præclara Mutina eruptio, fuga Antonii conciso exercitu, ut omnium animi relaxati sint, measque illæ vehementes contentiones tanquam σκλαμαχίας esse videantur. Sed ut ad rem redeam: legionem Martiam & quartam negant, qui illas norunt, vlla conditione ad te posse perducī. Pecuniæ, quam desideras, ratio potest haberi, eaque habebitur. De Bruto accersendo, Cæsareque ad

Italiae præsidium tenendo, valde tibi assentior. sed, ut scribis, habes obtrectatores: quos equidem facillimè sustineo: sed impediunt tamen. Ex Africa legiones expectantur. Sed bellum istuc renatum homines mirantur. nihil tam præter spem vnquam. Nam die tuo natali victoria nuntiata, in multa secula videbamus Rempub. liberatam. Noui timores retexunt superiora. Scripsisti autem ad me iis, quas Idibus Maii dedisti, modò te accepisse à Planco literas, non recipi à Lepido Antonium. id si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnum negotium: cuius exitum ne extimescam, tuæ partes sunt. Ego plus, quàm feci, facere non possum. Te tamen id quod spero, omnium maximum & clarissimum videre cupio. Vale.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

26 ETSI mihi tuæ literæ iucundissimæ sunt: tamen iucundius fuit, quòd in summa occupatione tua Planco collegæ mandasti, ut te mihi per literas excusaret. quod fecit ille diligenter: mihi autè nihil amabilius officio tuo & diligentia. Coniunctio tua cum collega, concordiaque vestra, quæ literis cōmunibus declarata est, Senatui, populòque Rom. gratissima accidit. Quod superest, perge mi Brute: & iam non cum aliis, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, præsertim ad te, quo magistro breuitatis vti cogito. Literas tuas vehementer expecto, & quidem taleis, qualeis maximè opto.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

27 PERMAGNI interest, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit: vtrum cum sollicitudinis aliquid haberes, an cum ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei præcepi, quæ ad te misi, ut tēpus obseruaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coram qui ad nos intempestiuè adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt non loco reddita. Si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit, & ille, cui mandavi, satis scitè & cōmodè tēpus ad te cepit adeundi: cōfido me quod velim, à te facillè impetraturum. L. Lamia Præturam petit. hoc ego vtor vno omnium plurimum. magna vetustas, magna cōsuetudo intercedit: quòdque plurimum valet, nihil mihi eius est familiaritate iucundius. Magno præterea beneficio eius, magnòque merito sum obligatus. nā Clodianis tēporibus, cum equestris ordinis princeps esset, pròque mea salute acerrimè propugnaret, à Gabinio cōs. relegatus est: quod ante id tēpus ciui Romano Romæ cōtigit nemini. Hoc cum populus Rom. meminerit, me ipsum nō meminisse turpissimum est. Quapropter persuade tibi mi Brute, 28 me petere Præturam. Quæquæ enim Lamia summo splendore, summa gratia est, vsus magnificētissimo munere ædilitio: tamen quasi ea ita non essent, ego suscepi totum negotium. Nunc si me tati facis, quati certè facis, quado equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas ceteras cōficiat: Nō tenebo te pluribus: ponam in extremo, quod sentio: nihil est Brute, cum omnia à te expectent, quod mihi gratius facere possis.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

29 LAMIA vno omnium familiarissimè vtor. magna eius in me non dico officia, sed merita, eaque sunt populo Rom. notissima, is magnificentissimo munere AEdilitatis perfunctus, petit Præturam: omnesque intelligunt, nec dignitatè ei deesse, nec gratiam. Sed is ambitus extare videtur, ut ego omnia pertimescam, totamque petitionem Lamiæ mihi sustinendam putem. in ea re quantum me possis adiuuare, facillè perspicio: nec verò, quantum mea causa velis, dubito. Velim igitur mi Brute tibi persuadeas, nihil me maiore studio à te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quàm si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiæ in petitione iuueris. quod ut facias, vehementer te rogo. Vale.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

ETS I ex mandatis, quæ Galbæ, Volumniòque ad Senatum dedisti, quid timendum, suspicandumque putares, suspicabamur: tamen timidiora mandata videbantur, quàm erat dignum tua, populique R. victoria. Senatus autem mi Brute fortis est, & habet fortes duces. Itaque molestè ferebat, se à te, quem omnium, quicumque fuissent, fortissimum iudicaret, timidum atque ignauum iudicari. etenim cum te incluso spem ma-

ximam omnes habuissent in tua virtute florente Antonio : quis erat, qui quicquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec verò Lepidum timebamus . quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, vt qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum Reipub. indiceret? Nec dubito quin tu plus prouideas. Sed tamen tam recenti gratulatione, quàm tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renouatio timoris magnam molestiam afferebat . Quare velim equidem, id quod spero, vt planè abiectus & fractus sit Antonius . sin aliquid virium fortè collegerit, sentiet nec Senatui consilium, nec populo Rom. virtutem deesse, nec Reip. te viuo imperatorem. xiiii. Calend. Iun. Vale.

D. BRVTVS M. T. CICERONI S. D.

AD Senatam quas literas misi, velim prius perlegas : & si qua tibi videbuntur, commutes. Necessariò me scripsisse ipse animaduertes . nam cum putarè quartam & Martiam legiones mecum futuras, vt Druso, Pauloque placuerat, vobis assentientibus, minus de reliquis rebus laboradum existimaui . nunc verò cum sim cum tyronibus egentissimis, valde & meam & vestram vicem timeam necesse est . Veicetini me, & M. Brutum præcipuè obseruant. his ne quam patiari iniuriam fieri in Senatu vernerum causa, à te peto, causam habent optimam, officium in Remp. summum, genus hominum aduersariorum seditiosum & inertissimum. xii. Calend. Iun. Vercellis.

D. BRVTVS IMP. M. T. CICERONI S. D.

QVOD pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaque officia cogunt vt timeam. Sæpe enim mihi cum esset dictum, neque à me contèptum, nouissimè Labeo Segulius, homo sui simillimus, narrauit mihi apud Cæsare se fuisse, multumque sermonem de te habitum esse : ipsum Cæsarem nihil sanè de te questum, nisi dictum, quòd diceret te dixisse laudandum adolescentè, ornandum, tollendum, se non esse commissurum vt tolli possit . Hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum . Veteranos verò pessimè loqui, volebat Labeo me credere, & tibi ab iis instare periculù : maximèque indignari, quòd in Decemuiris neque Cæsar, neque ego habiti essemus, atque omnia ad vestrum arbitrium essent collata. Hæc cum audissem, & iam in itinere essem, committendum non putavi, prius vt Alpeis transgredere, quàm, quid istuc ageretur, scirem . Nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione verborum, & denuntiatione periculi sperare eos, te perterrefacto, adolescentè impulsio, posse magna consequi præmia : & totam istam cantilenam ex hoc pendere, vt quamplurimum lucrifaciant . Neque tamen non te cautum esse volo, & insidias vitantem : nihil enim tua mihi vita potest esse iucundius neque charius . Illud vide, ne timendo magis timere cogare : & quibus rebus potest occurrere veteranis, occurras . primùm quod desiderant de Decemuiris facias : deinde de præmiis, si tibi videtur, agros militum eorum qui cum Antonio veterani fuerunt, his dandos censeas ab vtrisque nostrum : de numis, lentè, ac ratione habita pecuniæ, Senatam de ea re constituturum . Quatuor legionibus iis, quibus agros dandos censuisti, video facultatem fore ex agris Syllanis & agro Campano . Aequaliter, aut forte agros legionibus assignari puto oportere . Hæc me tibi scribere non prudentia mea hortatur, sed amor in te & cupiditas otii, quod sine te consistere non potest . Ego, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excedam . Legiones armo, paro : spero me non pessimum exercitum habiturum ad omne casus & impetus hominum . De exercitu, quem Pansa habuit, legionè mihi Cæsar non remittit . Ad has literas statim mihi rescribe, tuorumque aliquem mitte, siquid reconditum magis erit, meque scire opus esse putaris. Vale. vii. Calend. Iun. Eporædia.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

DI I isti Segulio malè faciant, homini nequissimo omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt . Quid, tu illum tecum solum, aut cum Cæsare, qui neminem prætermiserit, quicum loqui potuerit, cui non eadè ista dixerit? Te tamen mi Brute sic amo, vt debeo,

quòd istud, quicquid esset, nugarum me scire voluisti . signum enim magnum amoris dedisti . Nam quòd idem Segulius ait veteranos queri, quòd tu & Cæsar in Decemuiris non essetis, vtinam ne ego quidem essem . quid enim molestius? Sed tamen cum ego sensissem de iis, qui exercitus haberent, sententiam ferri oportere : iidem illi, qui solent, reclamarunt . Itaque excepti etiam estis me vehementer repugnante . Quocirca Segulium negligamus, qui res nouas quærit : non quò veterem comederit (nullam enim habuit) sed hanc ipsam recentem nouam deuorauit . Quòd autem scribis, te, quod pro te ipso non facias, id pro me facere, vt de me timeas aliquid : omni te vir optime, mihi que charissime Brute de metu libero . ego enim, quæ prouideri poterunt, non fallar in iis : quæ cautionem non habebunt, de iis non ita valde laboro : sim etenim impudès, si plus postulem, quàm homini à rerum natura tribui potest . Quod mihi præcipis, vt caueam, ne timendo magis timere cogar, & sapièter & amicissimè præcipis . Sed velim tibi persuadeas, cum te cõstet excellere hoc genere virtutis, vt nunquam extimescas, nunquam perturbere : me huic tuæ virtuti proximè accedere . Quamobrem neque metum quicquam, & cauebo omnia . Sed vide, ne tua iam mi Brute culpa futura sit, si ego quicquam timeam, tuis enim opibus & Consulatu tuo, etiam si timidi essemus, tamen omnem timorem abiiceremus : præsertim cum persuasum omnibus esset, mihi que maximè, nos à te vnice diligi . Consiliis tuis, quæ scribis de quatuor legionibus, deque agris assignandis ab vtrisque vestrum, vehementer assentior . Itaque cum quidam de collegis nostris agrariam curationem ligurirent, disturbauit rem, totamque vobis integram referuauit . Siquid erit occultius, & (vt scribis) reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te literæ perferantur. Vale. Prid. Non. Iun.

M. T. CICERO D. BRVTO IMP. S. D.

37 CVM Appio Clodio C. F. summa mihi necessitudo est, multis eius officiis, & meis mutuis cõstituta . Peto à te maiorem in modum, vel humanitatis tuæ, vel mea causa, vt eum auctoritate tua, quæ plurimum valet, cõseruatum velis . volo te, cum fortissimus vir cognitus sis, etiam clementissimum existimari . Magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse saluum . Cuius quidem causa hoc melior debet esse, quòd pietate adductus, propter patris restitutionem se cum Antonio coniunxit . Quare etsi minus veram causam habebis, tamen vel probabilè aliquam poteris inducere . Nutus tuus potest hominem summo loco natum, summo ingenio, summa virtute, officiosissimum præterea & gratissimum, incolumem in ciuitate retinere . quod vt facias, ita à te peto, vt maiore studio, magisue ex animo petere non possim. Vale.

D. BRVTVS M. T. CICERONI S. D.

38 NOS hîc valemus rectè : & quo melius valeamus, operam dabimus . Lepidus commodè de nobis sentire videtur . Omni timore deposito, debemus liberè Reip. consulere . Quòd si omnia essent aliena, tamen tribus tantis exercitibus propriis Reip. valentibus, magnum animum habere debebas, quem & semper habuisti, & nunc fortuna adiuuante augere potes . Quæ tibi superioribus literis mea manu scripsi, terrendi tui causa homines loquuntur . si frænum momorderis, peream, si te omnes, quotquot sunt, conantem loqui ferre poterunt . Ego, tibi vt antea scripsi, dum mihi à te literæ veniant, in Italia morabor. Vale. viii. Calend. Iun. Eporædia.

CICERO D. BRVTO S. D.

39 NARRO tibi : antea subirascebar breuitati tuarum literarum : nunc mihi loquax esse videor . Te igitur imitabor . quàm multa, quàm paucis! Te rectè valere, operamque dare, vt quotidie melius : Lepidum commodè sentire, tribus exercitibus quibus nos oportere confidere . Si timidus essem, tamen ista epistola mihi omnem metum absterfisses . Sed, vt mones, frænum momordi . etenim, qui te incluso omnem spem habuerim in te, quid nunc putas? Cupio iam vigiliam meam Brute tibi tradere, sed ita, vt ne desim constatiæ meæ . Quòd scribis in Italia te moraturum, dum tibi literæ meæ veniant:

si per hostem licet, non erraris: multa enim Romæ. sin aduentu tuo bellum confici potest, nihil sit antiquius. Pecunia expeditissima quæ erat, tibi decreta est. Habes amantissimum Seruilius: nos non desumus. Vale. VIII. Id. Iun.

M. T. CICERO D. BRUTO S. D.

EXPECTANTI mihi tuas quotidie literas Lupus noster subito denuntiavit ut ad te scriberem, siquid vellem. Ego autem etsi quid scriberem, non habebam (acta enim ad te mitti sciebam: inanem autem sermonem literarum tibi iniucudum esse audiebam) breuitatem secutus sum, te magistro. Scito igitur in te & in collega spem omnem esse. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum præcipis, priuatis literis ad bellum comune vocare non desino: qui utinam iam adesset, intestinum Urbis malum quod est non mediocre, minus timeremus. Sed quid ago? non imitor *Λακωνισμὸν* tuum. altera iam pagella procedit. vince & vale. XIII. Cal. Quint.

D. BRVTVS IMP. M. T. CICERONI S. D.

IN maximo meo dolore hoc solatio vtor, quod intelligunt homines, non sine causa me timuisse ista quæ acciderunt. Deliberent, vtrum traiciant legiones ex Africa necne, & ex Sardinia: Brutum accersant necne: mihi stipendium dent, an non, decernant. ad Senatū literas misi. Crede mihi, nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo, magnum nos omnes adituros periculum. Rogo te, videte quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant: & fide opus est, & celeritate. Vale. III. Non. Iun. ex castris.

M. T. CICERO C. MATIO S. D.

NONDUM satis constitui, molestiæne plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo tum plenus officii, tum vtriusque nostrum amantissimus. Nam cum in Tusculanum vesperi venissem: postridie ille ad me, nondum satis firmo corpore cum esset, mane venit. Quem cum obiurgarem, quod parum valetudini parceret: tum ille nihil sibi fuisse longius, quam ut me videret. Nunquidnam, inquam, noui? detulit ad me querelam tuam: de qua prius, quam respondeo, pauca præponam. quantum memoria repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior. sed *VE TV S T A S* habet aliquid commune cum multis: amor non habet. Dilexi te, quo die cognoui, meque à te diligere iudicavi. tuus deinde discessus, isque diuturnus, ambitio nostra, & vitæ dissimilitudo non est passa voluntates nostras consuetudine conglutinari. Tuum tamen erga me animum agnoui multis annis ante bellum civile, cum Cæsar esset in Gallia, quod enim vehementer mihi utile esse putabas, nec inutile ipsi Cæsari, perfecisti ut ille me diligeret, coleret, haberet in suis. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sunt: grauiora enim sunt consecuta. & initio belli civilis cum Brundisium versus ire ad Cæsarem, venisti ad me in Formianum: primum hoc ipsum quanti, præsertim temporibus illis? deinde oblitum me putas consilii, sermonis, humanitatis tuæ: quibus rebus interesse memini Trebatium. Nec verò oblitus sum literarum tuarum, quas ad me misisti, cum Cæsari obuiam venissem in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus est, cum me ad Pompeium proficisci siue pudor meus coëgit, siue officium, siue fortuna. Quod officium tuum, quod studium, vel in absentem me, vel in præsentem meos defuit? quem porro omnes mei, & mihi, & sibi te amiciosem iudicauerunt? Veni Brundisium: oblitumne me putas, qua celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento adularis: quæ tua fuerit assessio, oratio, confirmatio animi mei fracti communium miseriarum metu? Tandem aliquando Romæ esse coepimus: quid defuit nostræ familiaritatis? in maximis rebus, quoniam modo me gererem aduersus Cæsarem, vsus tuo consilio sum. In reliquis officiis, cui tu tribuisti, excepto Cæsare, præter me ut domum ventitares, horasque multas sæpe suauissimo sermone consumeres? Tum, cum etiam, si meministi, ut hæc *φιλοσοφούμενα* scriberem, tu me impulisti. Post Cæsaris reditum quid tibi maiori curæ fuit, quam ut essem ego illi quæ familiarissimus: quod effeceras. Quorsum igitur hæc oratio longior, quam putaram?

quia sum admiratus, te qui hæc nosse deberes, quicquam à me commissum, quod esset alienum nostra amicitia, credidisse. nam præter hæc, quæ commemoravi, quæ testata sunt & illustria, habeo multa occultiora, quæ vix verbis exequi possum. Omnia me tua delectant, sed maxime maxima cum fides in amicitia, consiliū, grauitas, constantia, tum lepos, humanitas, literæ. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te suffragium tulisse in illa lege, primum non credidi: deinde si credidissem, nunquam id sine aliqua iusta causa existimarem te fecisse. Dignitas tua facit ut animaduertatur quicquid facias: maleuolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quam à te facta sint, proferantur. Ea si tu non audis, quid dicam nescio: equidem siquando audio, tam defendo, quam me scio à te contra iniquos meos solere defendi. Defensio autem est duplex. alia sunt quæ liquidò negare soleam, ut de isto ipso suffragio: alia quæ defendam à te pie fieri & humane, ut de curatione ludorum. Sed te hominem doctissimum non fugit, si Cæsar Rex fuerit (quod mihi quidem videtur) in vtranque partem de tuo officio disputari posse: vel in eam qua ego uti soleo, laudandam esse fidem & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: vel in eam qua nonnulli vtuntur, libertatem patriæ vitæ amici anteposendam. Ex his sermonibus utinam essent delata ad te disputationes meæ. Illa verò duo quæ maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentius, quam ego, commemorat, aut sæpius: te & non suscipiendi belli civilis grauiissimum authorem fuisse, & moderandæ victoriæ: in quo qui mihi non assentiretur, inueni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio familiari nostro, qui mihi dedit causam harum literarum, quibus nisi credideris, me omnis officii & humanitatis expertem iudicaris. quo nec mihi grauius quicquam potest esse, nec à te alienius. Vale.

C. MATIVS M. T. CICERONI S. P. D.

MAGNAM voluptatem ex tuis literis capere, quod quam speraram atque optaram habere te de me opinionem, cognoui. de qua etsi non dubitabam, tamen quia maximi aestimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. Consciens autem mihi eram, nihil à me commissum esse quod boni cuiusquam offenderet animū. eò minus credebam plurimis atque optimis artibus ornato tibi temere quicquam persuaderi potuisse, præsertim in quem mea propensa & perpetua fuisset atque esset beneuolentia. Quod quādo, ut volui, scio esse: respondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua singulari bonitate & amicitia nostra sæpe restitisti: nota enim mihi sunt quæ in me post Cæsaris mortem cōtulerint. Vitio mihi dant, quod mortem hominis necessarii grauius fero, atque eum quem dilexi, periisse indignor. aiunt enim patriam amicitiam præponendam esse: perinde ac si iam vicerint, obitum eius Reipub. fuisse utilem. Sed non agam astutem. fateor me ad istum gradum sapiētiae non peruenisse: neque enim Cæsarem in dissensione civili sum secutus, sed amicum: quanquam re offendebar, tamen non deserui: neque bellum vquam civile aut etiam causam dissensionis probaui, quam etiam nascentem extinguere summè studui. Itaque in victoria hominis necessarii, neque honoris, neque pecuniæ dulcedine sum captus. quibus præmiis reliqui, minus apud eum, quam ego, cum possent, immoderate sunt abusi. atque etiam res familiaris mea, lege Cæsaris diminuta est: cuius beneficio plerique, qui Cæsaris morte lætantur, remanserunt in ciuitate. ciuibus victis ut parceretur, æquè ac pro mea salute, laboraui. Possum igitur, qui omnes voluerim incolumeis, eum, à quo id impetratum est, periisse non indignari: cum præsertim iidem homines illi & inuidiæ & exitio fuerint. Plecteris ergo, inquiunt, quando factum nostrum improbare audes. O superbiam inauditam! alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunè licere. At hæc etiam seruis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potius, quam alterius arbitrio. Quæ nunc isti, ut quidam dicunt, libertatis authores metu nobis extorquere conantur, sed nihil agunt. nullius vquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate desciscam. *N V N Q V A M* enim honestam mortem fugiendam, sæpe etiam appetendam putavi. Sed quid mihi succensent,

si id opto, vt pœniteat eos sui facti: cupio enim Cæsaris mortē omnibus esse acerbam. At debeo pro ciuili parte Remp. velle saluam. Id quidem me cupere, nisi & antè acta vita, & reliqua mea spes tacente me probat, dicendo vincere non postulo. Quare maiorem in modum te rogo, vt rem potiore oratione ducas: mihi que si sentis expedire rectè fieri, credas nullam cōmunionem cum improbis esse posse. An quod adolescens præstiti, cum etiam errare cum excusatione possem, id nunc atate præcipitata cōmitem, ac meipse retexam? non faciam, neque quod displiceat committam, præterquam quòd hominis mihi coniunctissimi ac viri amplissimi doleo grauem casum. Quòd si aliter essem animatus, nunquam quod facerem, negarem, ne & in peccando improbus, & in dissimulando timidus ac vanus existimarer. At ludos quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curauit. At id ad priuatum officium, non ad statum Reip. pertinebat. Quòd tamen munus & hominis amicissimi memoriæ ac honoribus præstare etiam mortui debui: & optimæ spei adolescenti, ac dignissimo Cæsari petenti negare non potui. Veni etiam c. o. s. Antonii sæpe domū salutandi causa: ad quem qui me parum patriæ amantem esse existimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi causa frequentes ventitasse reperies. Sed quæ hæc est arrogātia, quòd Cæsar nunquam interpellauit, quin quibus vellem, atque etiam quos ipse non diligebat, tamen iis vterer: eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpando me, efficere conari, ne quos velim diligam? Sed non vereor ne aut meæ vitæ modestia parū valitura sit in posterū contra falsos rumores: aut etiam ii qui me non amant propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm sui similes amicos habere. Mihi quidem si optata contingent: quòd reliquum est vitæ, in otio Rhodi degam: sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romæ, vt rectè fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas gratias ago, quòd tuum erga me animum simplicem atque amicum aperuit: & quòd eum quem semper dilexi lubenter, quo magis iure colere atque obseruare deberem, fecit. Bene vale, & me dilige.

M. T. CICERO M. O P P I O S.

DUBITANTI mihi (quod scit Atticus noster) de hoc toto consilio profectiois, quòd in vtranque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationē, iudicium & consilium tuum. nam & scripsisti apertè quid tibi videretur: & Atticus ad me sermonē tuum pertulit. Semper iudicauit in te & in capiendo consilio prudentiam summam esse, & in dando fidem: maximè que sum expertus, cum initio ciuilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeret, eundumne ad Pompeium, an manendū in Italia: suasisse vt consulerem dignitati meæ. Ex quo quid sentiret intellexi: & sum admiratus fidem tuam, & in consilio dando religionem: quòd cum aliud malle amicissimū tuum putares, antiquius tibi officiū meum, quàm illius voluntas fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi: & semper me à te diligere sensi: & cum abessem, atque in magnis periculis essem: & me absentē, & meos præsentēs à te cultos & defensos esse memini: & post meum reditū quàm familiariter mecum vixeris, quæque ego de te & senserim & prædicarim, omnēs qui solēt hæc animaduertere, testes habemus. Grauiissimum verò iudicium de mea fide & de constantia fecisti, cum post mortē Cæsaris totum te ad amicitiam meam contulisti. Quòd tuum iudicium nisi mea summa beneuolentia erga te, omnibusque meritis comprobaro, ipse me hominem non putabo. Tu mi Oppi conseruabis amorem tuum (etsi more magis hoc quidem scribo, quàm quo te admonendum putem) meaque omnia tuebere: quæ tibi ne ignota essent, Attico mandauit. A me autē, cum paulum otii naçti erimus, vberiores literas expectato. Da operam vt valeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

C. CASSIVM, ET ALIOS, LIBER XII.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.



INEM nullum facio, mihi crede, Cassi de te & de Bruto nostro, id est de tota Rep. cogitandi: cuius omnis spes in vobis est, & in D. Bruto: quam quidem iam habeo ipse meliorem, Rep. à Dolabella meo præclarissimè gesta. manabat enim illud malum vrbanum, & ita corroborabatur quotidie, vt ego quidem & vrbi, & otio diffiderem vrbanum. sed ita compressum est, vt mihi videamur omne iam ad tempus ab illo duntaxat fordidissimo periculo tuti futuri. Reliqua magna sunt & multa, sed posita omnia sunt in vobis: quanquam primum quidque explicemus. nam (vt adhuc quidem actum est) non regno, sed Rege liberati videmur. interfecto enim Rege, regios omnes nutus tuemur: neque verò id solū, sed etiam quæ ipse ille, si viueret, non faceret, ea nos quasi cogitata ab illo probamus: nec eius quidem rei finem video. Tabulæ figuntur, immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur, exules reducuntur, s. c. falsa referuntur: vt tantummodo odium illud hominis impuri, & seruitutis dolor depulsus esse videatur, Resp. iaceat in iis perturbationibus, in quas eam ille coniecit. Hæc omnia vobis sunt expedienda: nec hoc cogitandum, satis iam habere Remp. à vobis. Habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem venit optare: sed contenta non est, & pro magnitudine & animi & beneficii vestri à vobis magna desiderat. Adhuc vltas suas iniurias est per vos interitu tyranni: nihil amplius. ornamenta verò sua quæ recuperavit? An quòd ei mortuo paret, quem viuum ferre non poterat? cuius æra refugere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? At enim ita decreuimus: fecimus id quidem temporibus cedentes, quæ valent in Rep. plurimum: sed immoderatè quidam & ingratè nostra facilitate abutuntur. Verum hæc propediè, & multa alia coram. Interim velim sic tibi persuadeas, mihi cum Reip. quam semper habui charissimam, tum amoris nostri causa, maximæ curæ esse tuam dignitatem. Da operam vt valeas.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

VEHEMENTER lætor tibi probari sententiam & orationem meam. qua si sapius vti liceret, nihil esset negotii libertatem & Remp. recuperare. sed homo amens & perditus, multoque nequior, quàm ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, cædis initium quærit: nullamque aliam ob causam me authorē fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi vt in me veterani incitentur. quòd ego periculum non extimesco, modo facti vestri gloriam cum mea laude communicem. Ita nec Pisoni, qui in eum primus inuectus est nullo assentiēte: nec mihi qui idem tricesimo post die feci, nec P. Seruilio qui me est consecutus, tutò in Senatum venire licet: cædem enim gladiator quærit, cuiusque initium ad xiiii. Calend. Octob. à me se facturum putauit, ad quem paratus venerat, cum in villa Metelli complureis dies commentatus esset. quæ autem in lustris & in vino commentatio potuit esse? Itaque omnibus est visus, vt ad te antea scripsi, suo more vomere, non dicere. Quare quòd scribis te confidere, autoritate & eloquentia nostra aliquid profici posse: non nihil, vt in tantis malis, est profectum. intelligit enim populus Rom. tres esse consulares, qui, quia quæ de Rep. bene senserint, liberè locuti sunt, tutò in Senatum venire non possint: nec est præterea quòd quicquam expectes. tuus enim necessarius affinitate noua delectatur. itaque iam non est studiosus ludorū, infinitoque fratris tui plausu dirumpitur. Alter item affinis nouis commentariis Cæsaris delinitus est. Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, quòd est qui vestro anno Con- sulem filium suum futurum putet, ob eamque causam se huic latroni deseruire præferat. nam L. Cotta familiaris meus fatali quadam desperatione, vt ait, minus in Senatum venit. L. Cæsar, optimus & fortissimus ciuis, valetudine impeditur. Ser. Sulpitius &

summa auctoritate, & optimè sentiens, non adest. reliquos, exceptis designatis (ignosce mihi si non numero) cōsulareis habes authores consilii publici: qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset, quid censes, perditis? Quare spes est omnis in vobis: qui si incircum abestis, ut sitis in tuto, ne in vobis quidem: sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis, velim saluis nobis: sin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore ius suum recuperabit. Ego tuis neque desum, neque deero: qui siue ad me referet, siue non, mea tibi tamen beneuolentia fidesque præstabitur. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

AVGET tuus amicus furorem in dies. primum in statua, quam posuit in rostris, inscripsit, PARENTI OPTIMÈ MERITO: ut non modò ficarii, sed iam etiam paricidæ iudicemini: quid dico, iudicemini? iudicemur potius: vestri enim pulcherrimi facti ille furiosus me principem dicit fuisse. Utinam quidem fuisset: molestus nobis non esset, sed hoc vestrum fuit: quod quando præterit, utinam haberem quid darem vobis consilii. sed ne mihi quidem ipsi reperio, quid faciendum sit. Quid enim est, quod contra vim sine vi fieri possit? Consilium autem omne hoc est illorum, ut mortem Cæsaris persequantur. Itaque ante diem vi. Non. Oct. productus in concionem à Canutio, turpissimè ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conseruatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus: de me quidem non dubitanter, quin omnia de meo consilio & vos fecissetis, & Canutius faceret. Cætera cuiusmodi sint, ex hoc iudica, quod legato tuo viaticum eripuerunt. Quid eos interpretari putas, cum hoc faciunt? ad hostem scilicet portari. O rem miseram! dominum ferre non potuimus: conseruo seruimus. & tamen me quidem fauente magis quam sperante, etiam nunc residet spes in virtute tua. sed ubi sunt copiar? De reliquo malo, te ipsum loqui tecum, quam dicta nostra cognoscere. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

VELLEM Idib. Mart. me ad cenam inuitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiar vestrar exercunt, & quidem præter cæteros me. Quanquam egregios Consules habemus, sed turpissimos consulareis: Senatum fortem, sed infimo quenque honore fortissimum. populo verò nihil fortius, nihil melius, Italiæque vniuersa. nihil autem foedius Philippo & Pisone Legatis, nihil flagitiosius: qui cum essent missi, ut Antonio ex Senatus sententia certas res nuntiarent, cum ille earum rerum nulli paruisset, vtrò ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. Itaque ad nos concurritur: factique iam in re salutari populares sumus. Sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique esses, nesciebam. Fama nuntiabat te esse in Syria: author erat nemo. De Bruto, quò propius est, eò firmiora videntur esse quæ nuntiantur. Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non infulsis, quòd tibi tam citò succederet, cum tu vixdum triginta dies in Syria fuisses. Itaque constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua, & Bruti est, quòd exercitum præter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem causamque nossem. nunc quæ scribo, scribo ex opinione hominum atque fama. Tuas literas auidè expecto. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

HYEMEM credo adhuc prohibuisse quo minus de te certum haberemus quid ageres, maximèque ubi esses. Loquebantur omnes tamen, credo, quòd volebant in Syria te esse, habere copias. Id autem eò facilius credebatur, quia simile vero videbatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. res enim tantas gessit, tamque inopinatæ, ut ea cum per se gratæ essent, tum gratiores propter celeritatem. Quòd si tu ea tenes quæ putamus, magnis subsidiis fulta Resp. est. à prima enim ora Græciæ vsque ad Aegyptum optimorum ciuium imperiis muniti erimus, & copiis. Quanquam, nisi me fallebat, res sic se habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliquum fore videbatur.

Paruis omnino iam copiis obsidebatur, quòd magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noster Hircius, ad Forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu: magnasque Romæ Panfa copias ex delectu Italiæ compararat. hyems adhuc rem geri prohibuerat. Hircius nihil nisi consideratè, ut mihi crebris literis significat, acturus videbatur. Præter Bononiam, Regiū Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus studiosissimam Reip. tuos etiam clientis transpadanos mirificè coniunctos cum causa habebamus. Erat firmissimus Senatus, exceptis cōsularibus: ex quibus vnus L. Cæsar firmus est, & rectus. Ser. Sulpitii morte magnum præsidium amisimus. Reliqui partim inertes, partim improbi. nonnulli inuident eorū laudi, quos in Rep. probari vident. Populi verò Ro. totiusque Italiæ mira cōsensio est. Hæc erant ferè, quæ tibi nota esse vellè. Nunc autè opto, ut ab istis Orietis partibus virtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

QUI status rerum fuerit tum, cum has literas dedi, scire poteris ex C. Tidio Strabone viro bono, & optimè de Rep. sentiente. nam quid dicam, cupidissimo tui, qui domo & fortunis relictis, ad te potissimum profectus sit? Itaque eum tibi ne commendo quidem: aduentus ipsius ad te satis eum commendabit. Tu velim sic existimes, tibi que persuadeas omne per fugium bonorū in te & Bruto esse positum, si, quod nolim, aduersi quid euenerit. res, cum hæc scribebam, erat in extremum adducta discrimen: Brutus enim Mutinæ vix iam sustinebat. Qui si conseruatus erit, vicimus: sin (quod dii omen auerant) omnis omnium cursus est ad vos. Proinde fac tantum animum habeas, tantumque apparatus, quanto opus est ad vniuersam Remp. recuperandam. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

QUANTO studio dignitatem tuam & in Senatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me cognoscere. Quæ mea sententia in Senatu facile valuisset, nisi Panfa vehementer obstitisset. ea sententia dicta, productus sum in concionem à Trib. pleb. M. Seruilio. Dixi de te quæ potui, tanta contentione, quantum forum est: tanto clamore, consensuque populi, ut nihil vnquam simile viderim. Id velim mihi ignoscas, quod in vita focu tua fecerim. mulier timida verebatur ne Panfæ animus offenderetur. in concione quidem Panfa dixit, matrem quoque tuam & fratrem, illam à me sententiam noluisse dici. Sed me hæc non mouebant: alia malebam: fauebam & Reip. cui semper faui, & dignitati ac gloriæ tuæ. Quòd autem & in Senatu pluribus verbis differui, & dixi in concione, in eo velim fidem meam liberes: promisi enim, & propè confirmaui te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more Remp. defensurum. & quanquam nihil dum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omneis, quæ in istis partibus essent, opes, copiasque, tuas esse: per teque Asiam prouinciam confidebam iam Reip. recuperatam. tu fac in augenda gloria te ipsum vincas. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

SCELVS affinis tui Lepidi, summamque leuitatem & inconstantiam, ex actis quæ ad te mitti certò scio, cognosse te arbitror. Itaque nos confecto bello, ut arbitrabamur, renouatum bellum gerimus: spemque omnem in D. Bruto & Placo habemus: si verum quæris, in te & in meo Bruto non solum ad præfens per fugium, si, quod nolim, aduersi quid acciderit, sed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. Nos hîc de Dolabella audiebamus quæ vellemus: sed certos authores non habebamus. Te quidem magnum hominem, & præfenti iudicio, & reliqui temporis expectatione scito esse. Hoc tibi proposito, fac ut ad summa contendas. nihil est tantum, quod non populus Rom. à te perfici atque obtineri posse iudicet. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

BREVITAS tuarum literarum me quoque breuiorem in scribendo facit: & verè ut dicam, non satis occurrit quid scribâ: nostras enim res in actis perferri ad te certò scio:

tuas autem ignoramus. tanquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos præter rumores de oppresso Dolabella, fatis illos quidem constantes, sed adhuc sine authore. Nos confectum bellum cum putarem, repente à Lepido tuo in summam sollicitudinem adducti sumus. Itaque persuade tibi, maximam Reipub. spem in te & tuis copiis esse. firmos omnino exercitus habemus: sed tamen, ut omnia (ut spero) prosperè procedant, multum interest te venire: exigua est enim spes Reip. nam nullam non libet dicere: sed quæcunque est, ea despondetur anno Consulatus tui. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

LEPIDVS tuus affinis, meus familiaris, prid. Cal. Quint. sententiis omnibus hostis à Senatu iudicatus est, cæterique, qui vnà cum illo à Repub. defecerunt. quibus tamen ad sanitatē redeundi ante Calend. Sept. potestas facta est. Fortis sanè Senatus, sed maxime spe subsidii tui. Bellū quidem, cum hæc scribebā, sanè magnū erat scelere & leuitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie quæ volumus, audimus, sed adhuc sine capite, sine authore, rumore nuntio. Quod cum ita esset, tamen literis tuis, quas Non. Maii ex castris datas acceperamus, ita persuasum erat ciuitati, ut illum iam oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu: ut si hæc ex sententia confecta essent, consilio atque authoritate tua: sin quid fortè titubatum esset, ut sit in bello, exercitu tuo niteremur. Quem quidem ego exercitum quibuscunque potero rebus ornabo. cuius rei tum tempus erit, cum quid opis Reip. laturus exercitus sit, aut quid iam tulerit, notum esse cœperit. Nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem, & præclarissimi, sed gesta res expectatur: quam quidem aut iam esse aliquam, aut appropinquare confido. Tua virtute & magnitudine animi nihil est nobilius. Itaque optamus, ut quamprimum te in Italia videamus. Remp. nos habere arbitramur, si vos habebimus. Præclare viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. Itaque nunquam tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. Ille enim ex turbulenta Repub. hic ex pace & victoria bellum excitauit. Huic oppositos Consules des. habemus: in quibus est magna illa quidem spes, sed anceps cura propter incertos exitus præliorum. Persuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo esse omnia, vos expectari, Brutum quidem iam iamque. Quod si, ut spero, victis hostibus nostris veneritis: tamen authoritate vestra Resp. exurget, & in aliquo statu tolerabili consistet. sunt enim permulta, quibus erit medendum, etiam si Resp. fatis esse videbitur sceleribus hostium liberata. Vale.

C. CASSIVS PROCOS. M. T. CICERONI S. D.

SI VALES, bene est: ego quidem valeo. In Syriam me profectum esse scito ad L. Murcum & Q. Crispum Impp. Viri fortes, optimique ciues, posteaquam audierunt, quæ Romæ gererentur, exercitus mihi tradiderunt, ipsique mecum vnà fortissimo animo Remp. administrat. Item legionē, quam Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me venisse scito. quatuorque legiones, quas A. Allienus ex Aegypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absenteis, remque publicam, quantum opus est, defendas. Scire te volo, firma præsidia vobis, Senatuque non deesse, ut optima spe, & maximo animo Remp. defendas. Reliqua tecum aget L. Carteijs familiaris meus. Vale. Data Non. Mart. ex castris Taricheis.

C. CASSIVS PROCOS. M. T. CICERONI S. D.

SI VALES, bene est: ego quidem valeo. Legi tuas literas, in quibus mirificū tuum erga me amorem recognoui: videbaris enim non solum fauere nobis, id quod & nostra, & Reip. causa semper fecisti: sed etiam grauem curam suscepisse, vehementerque esse de nobis sollicitus. Itaque quod te primum existimare putabā, nos oppressa Repub. quiescere non posse: deinde cum suspicari nos moliri, quod te sollicitum esse & de salute nostra, & de rerum euentu putabam: simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Aegypto, scripsi ad te, tabellariosque complures Romam misi. scripsi etiam

ad Senatum literas, quas reddi vetui prius, quam tibi recitatae essent, si fortè mei obtemperare mihi voluerūt. Quod si literæ perlatæ non sunt, non dubito quin Dolabella, qui nefarie Trebonio occiso Asiam occupauit, tabellarios meos deprehenderit, literasque interceperit. Exercitus omneis, qui in Syria fuere, teneo. Habui paululum moræ, dum promissa militibus persoluo: nunc iam sum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam tibi commendatam habeas, si me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegasse: si contra importunissimos latrones arma cæpi te hortante & authore: si non solum exercitum ad Remp. libertatēque defendendam cōparauit, sed etiam crudelissimis tyrānis eripui: quæ si occupasset Dolabella, non solum aduentu, sed etiam opinione & expectatione exercitus sui Antoniū confirmasset. Quas ob res milites tuere, si eos mirificè de Rep. meritos esse animaduertis: & effice, nequem pœniteat, Remp. quam spem prædæ & rapinarū sequi maluisse. Item Murci & Crispi Impp. dignitatem, quantum est in te, tuere. nam Bassus miserè noluit mihi legionē tradere. quod nisi milites inuito eo legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata. Hæc à te peto non solum Reipub. quæ tibi semper fuit charissima, sed etiam amicitia nostræ nomine, quam cōfido apud te plurimum posse. Crede mihi, hūc exercitum, quem habeo, Senatus, atque optimi cuiusque esse, maximeque tuum: de cuius voluntate assidue audiēdo mirificè te diligit, charumque habet. qui si intellexerit comoda sua curæ tibi esse, debere etiam se tibi omnia putabit. Literis scriptis, audiui Dolabellam in Ciliciam venisse cum suis copiis. proficiscar in Ciliciam. Quid egerim, celeriter ut scias dabo operam. Ac velim, ut meremur de Rep. sic foelices simus. Fac valeas, meque ames. Non. Maii. Ex castris.

C. CASSIVS S. D. M. T. CICERONI.

SI VALES, bene est: ego quidem valeo. Cum Reip. vel salute, vel victoria gaudeamus: tum instauratione tuarum laudum, quod maximus consularis maximum Consullem te ipse vicisti, & lætamur, & mirari fatis non possumus. Fatale nescio quid tuæ virtuti datum: id quod iam sæpe experti sumus. est enim tua toga omniū armis foelicio: quæ nunc quoque nobis penè victam Remp. ex manibus hostium eripuit ac reddidit. Nunc ergo viuemus liberi. Nunc te omnium maxime ciuis, & mihi charissime, id quod maxime Reip. tenebris cōperisti, nunc te habebimus testē nostri & in te, & in coniunctissimam tibi Remp. amoris: & quæ sæpe pollicitus es te & taciturū, dum seruiremus, & dicturū de me tum, cum profutura essent, nunc illa non ego quidem dici tantopere desiderabo, quam sentiri à te ipso. neque enim omnium iudicio malim me à te commendari, quam ipse tuo iudicio dignè, ac mereor, commēdatus esse: ut hæc nouissima nostra facta non subita, nec inconuenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices: meque ad optimam spem patriæ non minimum tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi M. Tulli liberi, propinque digni quidem te, & merito tibi charissimi. esse etiam debent in Rep. proxime hos chari, qui studiorum tuorum sunt æmuli, quorū esse cupio tibi copiam. sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi vacet me excipere, & ad omnia, quæ velis & probes, producere. Animū tibi nostrum fortasse probauimus: ingeniū certè diutina seruitus, qualecunque est, minus tamen quam erat, passa est videri. Nos ex ora maritima Asiæ prouinciæ, & ex insulis quas potuimus, nauis deduximus. Delectum remigum, magna contumacia ciuitatum, tamen satis celeriter habuimus. Secuti sumus classē Dolabellæ, cui Lucilius præerat: qui spem sæpe transitionis præbendo, neque vnquam non decedendo, nouissime Corycum se contulit, & clauso portu se tenere cœpit. Nos illa relicta, quod & in castra peruenire satius esse putabamus, & sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cymber cōpararat, cui Turulius Quæ. præerat, Cyprum petiuimus. Ibi, quæ cognouimus, scribere ad vos quam celerrimè voluimus. Dolabellam ut Tarsenses pessimi focii, ita Laodiceni multo amentiores vltro accersierunt: ex quibus vtrisque ciui-

tatibus, Græcorum militum numero, speciem exercitus effecit. Castra habet ante oppidum Laodiceam posita, & partem muri demolitus est, & castra oppido coniunxit. Cassius noster cum decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliariis, & quatuor millibus equitum à millibus passuum viginti, castra habet posita Γαλατῶν: & existimat se sine prælio posse vincere. Nam iam ternis tetradrachmis triticum penes Dolabellam est: nisi quid nauibus Laodicenorum supportarit, citò fame pereat necesse est: ne supportare possit, & Cassii classis bene magna, cui præest Sestilius Rufus, & tres quas nos adduximus, ego, Turulius, & Patiscus, facillè præstabit. Volo igitur vos bene sperare: & Remp. vt vos istuc expeditis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri posse, confidere. Vale. Data Idib. Iun. Cypro, Acromani Iacride.

L E N T V L V S C I C E R O N I S V O S. D.

c v m Brutum nostrum conuenissem, eumque tardius in Asiam venturum animaduertentem: in Asiam redii, vt reliquias mei laboris colligerem, & pecuniam quamprimum Romam mitterem. Interim cognoui in Lycia esse classem Dolabellæ, ampliusque centum nauibus onerarias, in quas exercitus eius imponi posset: idque Dolabellæ ea mente comparasse, vt, si Syriæ spes eum frustrata esset, conscenderet in nauibus, & Italiam peteret, seque cum Antoniis & reliquis latronibus coniungeret. Cuius rei tanto in timore fui, vt omnibus rebus relictis, cum paucioribus & minoribus nauibus ad illas ire conatus sim. Quæ res, si à Rhodiis non essem interpellatus, fortasse tota sublata esset, tamè magna ex parte profligata est. quandoquidem classis dissipata est: aduentus nostri timore milites, ducisque effugerunt: onerariæ omnes ad vnâ à nobis sunt exceptæ. Certè (quod maximè timui) videor esse consecutus, vt non possit classe Dolabella in Italiam peruenire, nec fociis suis firmatis durius vobis efficere negotium. Rhodii nos, & Remp. quàm valde desperauerint, ex literis, quas publicè misi, cognosces. Et quidem multò parcius scripsi, quàm re vera furere eos inueni. quòd verò aliquid de his scripsi, mirari noli: mira est eorum amentia. Nec me meæ vllæ priuatim iniuriæ mouerunt vnquam: malus animus eorum in nostram salutem, cupiditas partium aliarum, perseuerantia in contemptione optimi cuiusque, ferenda mihi non fuit. Nec tamen omnes perditos esse puto. sed iidem illi, qui tum fugientem patrem meum, qui L. Lentulum, qui Pompeium, qui ceteros viros clarissimos non receperunt: iidem tanquam aliquo fato & nunc aut magistratum gerunt, aut eos, qui sunt in magistratu, in sua habent potestate. Itaque eadem superbia in prauitate vtuntur. quorum improbitatem aliquando rerundi, & non pati impunitate augeri, non solum vtile est Reip. nostræ, sed etiam necessarium. De nostra dignitate velim tibi vt semper curæ sit, & quocumque tempore occasionem habueris, & in Senatu, & in cæteris rebus laudi nostræ suffragere. Quando Consulibus decreta est Asia, & permissum est iis, vt, dum ipsi venirent, darent negotium qui Asiam obtineant: rogo te petas ab iis, vt hanc dignitatem potissimum nobis tribuant, & mihi dent negotium vt Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter veniat. nam quòd huc properent in magistratu venire, aut exercitum mittere, causam non habent: Dolabella enim in Syria est: & vt tu diuina tua mente prospexisti & prædicasti, dum isti venient, Cassius eum opprimit. exclusus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando malè acceptus, nulla alia confusus vrbe, Laodiceam, quæ est in Syria ad mare, se contulit. ibi spero celeriter eum pœnas daturum: nam neque quò refugiat habet, neque diutius ibi poterit tantum exercitum Cassii sustinere. Spero etiam confectum esse iam, & oppressum. Quare non puto Panfæ & Hircium in consulatu properaturos in prouincias exire, sed Romæ acturos Consulatum. Itaque si ab his petieris vt interea nobis procurationem Asiæ dent, spero te posse impetrare. Præterea mihi promiserunt Panfæ & Hircius coram, & absentibus mihi scripserunt, Verriusque nostro Panfæ affirmavit, se daturum operam, ne in suo Consulatu mihi succedatur. Ego porro non mediisfidius cupiditate prouinciæ produci longius spatium mihi volo. nam mihi fuit

ista prouincia plena laboris, periculi, detrimeti. quæ ego ne frustra subierim, neue prius, quàm reliquias meæ diligentia consequar, decedere cogar, valde laboro: nam si potuissem, quam exegeram, pecuniam vniuersam mittere, postularem vt mihi succederetur. Nunc quod Cassio dedi, quod Trebonii morte amisimus, quod etiam crudelitate Dolabellæ, aut perfidia eorum qui mihi fidem, Reique pub. non præstiterunt, id consequi & reficere volo. quod aliter non potest fieri, nisi spatium habuero. id vt per te consequar, velim, vt solet, tibi curæ sit. Ego me de Rep. ita puto esse meritum, vt non prouinciæ istius beneficium expectare debeam, sed tantum, quantum Cassius & Bruti, non solum illius facti, periculique societate, sed etiam huius temporis studio & virtute. primus enim ego leges Antonianas fregi: primus equitatum Dolabellæ ad Remp. traduxi, Cassioque tradidi: primus delectus habui pro salute omnium contra cõiurationem sceleratissimam: solus Cassio & Reip. Syriam exercitumque, qui ibi erant, coniunxi. Nam nisi ego tantam pecuniam, tantaque præsidia, & tam celeriter Cassio dedissem, ne ausus quidem esset ire in Syriam, & nunc non minora pericula Reip. à Dolabella instaret, quàm ab Antonio. Atque hæc omnia is feci, qui & sodalis & familiarissimus Dolabellæ eram, coniunctissimus sanguine Antoniis: prouinciam quoque illorum beneficio habebam: sed *παρὰ τὴν ἐπιθυμίαν μὲν φιλοῦν*, omnibus meis bellum primus indixi. Hæc etsi adhuc non magnopere mihi tulisse fructum animaduerto: tamen non despero, nec defatigabor permanere non solum in studio libertatis, sed etiam in labore & periculis. Attamen si etiam aliqua gloria iusta & merita prouocabimur, Senatus & optimi cuiusque officiis, maiore cum autoritate apud cæteros erimus, & eò plus prodesse Reip. poterimus. Filiū tuum, ad Brutum cum veni, videre non potui, ideo quòd iam in hyberna cum equitibus erat profectus. sed mediisfidius ea esse cum opinione, & tua & ipsius, & in primis mea causa gaudeo. fratris enim loco mihi est, qui ex te natus, teque dignus est. Vale. Data IIII. Calend. Iun. Pergæ.

P. L E N T V L V S P. F. P R O Q V A E S. P R O P R A E T. S. D.

C O S S. P R A E T T. T R I B B. P L. S E N A T V I,

P O P V L O P L E B I Q V E R.

S I V A L E T I S, liberique vestri valent, bene est: ego quoque valeo. Scelere Dolabellæ oppressa Asia, in proximam prouinciam Macedoniam, præsidiaque Reip. quæ M. Brutus vir clarissimus tenebat, me contuli, & id egi, vt, per quos celerrimè posset, Asia prouincia, vectigaliaque in vestram potestatem redigerentur. quòd cum pertinuisset Dolabella, & vastata prouincia, correptis vectigalibus, præcipue ciuibus Romanis omnibus crudelissimè denudatis ac diuenditis, celerius Asia excessisset, quàm eò præsidium adduci potuisset: diutius morari aut expectare præsidium non necesse habui: & quamprimum ad meum officium reuertendum mihi esse existimaui, vt & reliqua vectigalia exigerem, & quam deposui, pecuniam colligerem: quicquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quamprimum, & vos de omni re facerem certiores. interim cum per insulas in Asiam nauigati mihi nuntiatum esset, classem Dolabellæ in Lycia esse, Rhodiosque nauibus complureis instructas & paratas in aqua habere: cum iis nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiscus Proques. homo mihi cum familiaritate, tum etiam sensibus in Rep. cõiunctissimus, Rhodum reuerti, confusus autoritate vestra, Senatūque consulto, quo hostem Dolabellam iudicatis, foedere quoque, quòd cum his M. Marcello, Ser. Sulpitio c o s s. renouatum erat, quo iurauerant Rhodii, eosdè hosteis se habituros, quos Senatus, populūque Ro. quæ res nos vehementer fefellit: tantum enim abfuit, vt illorum præsidio nostram firmaremus classem, vt etiam à Rhodiis vrbe, portu, statione, quæ extra urbem est, com meatu, aqua denique prohiberentur nostri milites, nos vix ipsi singulis cum nauigiolis reciperemur: quam indignitatē, diminutionemque maiestatis non solum iuris nostri, sed etiam imperii, populūque Ro. idcirco tulimus, quòd interceptis literis cognoramus,

Dolabellam, si desperasset de Syria, Aegyptoque, quod necesse erat fieri, in naueis cum omnibus suis latronibus, atque omni pecunia conscendere esse paratum, Italiãque petere: iccirco etiam naueis onerarias, quarum minor nulla erat duum millium amphorarum, contractas in Lycia à classe eius obsideri. Huius rei timore p. c. percitus, iniurias perpeti, & cum contumelia etiam nostra omnia prius experiri malui. Itaque ad illorum voluntatem introductus in urbem, & in Senatum eorum, quã diligentissimè potui, causam Reip. egi: periculumque omne, quod instaret, si ille latro cum omnibus suis naueis conscendisset, exposui. Rhodios autem tanta in prauitate animaduerti, vt omnibus firmiores putarent, quã bonos: vt hanc concordiam, & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem propense non crederent esse factam: vt patientiam Senatus, & optimi cuiusque manere etiam nunc consideret, nec potuisse audere quenquam Dolabellam hostem iudicare: vt denique omnia, quã improbi fingebant, magis vera existimarent, quã quã verè facta erant, & à nobis docebantur. quã mente etiam ante nostrum aduentum, post Trebonii indignissimam cãdem, cãterãque tot, tamque nefaria facinora, binã profectã erant ad Dolabellam legationes eorũ, & quidem nouo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus iis, qui tum magistratus gerebant. Hãc siue timore, vt dicunt, de agris, quos in continenti habent, siue furore, siue potentia paucorum, qui & antea pari contumelia viros clarissimos affecerant: & nunc maximos magistratus gerentes: nullo exemplo, neque vestra ex parte, neque nostro presentium, neque imminente Italiã, vrbique nostrã periculo, si ille parricida cum suis latronibus, nauibus, ex Asia, Syriãque expulsus, Italiã petiisset, mederi, cum facillè possent, voluerunt. Nonnullis etiam ipsi magistratus veniebant in suspicionem, detinuisse nos, & demorati esse, dum classis Dolabellã certior fieret de aduentu nostro. quã suspicionem consecuta res aliquot auxerunt, maximè quò subito ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius legati Dolabellã à classe discesserunt, nauique longa profugerunt, onerariis relictis, in quibus colligendis non minimum temporis, laborisque consumperunt. Itaque cum à Rhodo cum iis, quas habueramus, nauibus in Lyciam venissemus, naueis onerarias recepimus, dominisque restitimus: iidemque, quò maximè verebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiã venire, timere desimus. classẽ fugientẽ persecuti sumus vsque Sydam, quã extrema regio est prouinciã meã. ibi cognoui partem nauium Dolabellã diffugisse, reliquas Syriã, Cyprumque petiisse. Quibus disiectis, cum scirem C. Cassii singularis ciuis, & ducis classẽ maximã fore præsto in Syria, ad meum officium reuerti: dabõque operam, vt meum studium & diligentiam vobis p. c. & Reip. præstem, pecuniãque quã maximã potero, & quã celerrimè, cogam, omnibusque cum rationibus ad vos mittã. Si percurrero prouinciã, & cognouero qui nobis & Reip. fidem præstiterunt in conseruanda pecunia à me deposita, quique scelere vltro deferentes pecuniam publicam hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt, faciam vos certiores. De quibus si vobis videbitur, si vt meriti sunt, grauiter constitueritis, nosque vestra autoritate firmaueritis: facilius & reliqua exigere vectigalia, & exacta seruare poterimus. Interea quò comodius vectigalia tueri, prouinciãque ab iniuriã defendere possim, præsidium necessarium voluntariumque comparauì. His literis scriptis, milites circiter xxx, quos Dolabella ex Asia conscripserat, è Syria fugientes in Pamphiliã venerunt. hi nuntiauerunt Dolabellam Antiochiam, quã in Syria est, venisse, non receptum: conatum esse aliquoties vi introire, repulsum semper esse cum magno suo detrimento. Itaque centum circiter amissis, agrisque compluribus relictis, noctu Antiochia profugisse Laodiceam versus: ea nocte omnes ferè Asiaticos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Antiochiam rediisse, & se iis tradidisse, qui à Cassio relictis, vrbì illi præerant: cãteros per Amanum in Ciliciã descendisse, quo ex numero se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copiis nuntiatum esse quatrìdui iter à Laodicea

abfuisse tum, cum Dolabella eò tenderet. Quamobrem opinione celerius confido sceleratissimum latronem pœnas daturum. IIII. Non. Iun. Pergã.

C. TREBONIUS M. CICERONI S.

SI VALES, bene est: ego quidem valeo. Athenas veni ad xi. Calend. Iun. atque ibi, quò maximè optabam, vidi filium tuum, deditum optimis studiis, summaque modestiã fama. Quã ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes etiam me tacente. non enim nescis quanti te faciam, & quã pro nostro veterimo, verissimoque amore, omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tanto bono gaudeam. Noli putare mihi Cicero, me hoc auribus tuis dare. nihil adolescẽte tuo, atque adeò nostro (nihil enim mihi à te potest esse seiunctum) aut amabilius omnibus iis qui Athenis sunt, est, aut studiosius earum artium, quas tu maximè amas, hoc est optimarum. Itaque tibi, quò verè facere possum, libenter quoque gratulor: nec minus etiam nobis, quò eum, quem necesse erat diligere, qualiscunque esset, talem habemus, vt libet quoque diligamus. Qui cum mihi in sermone iniecisset se velle Asiã visere, non modò inuitatus, sed etiã rogatus est à me, vt id potissimum nobis obtinentibus prouinciã faceret. cui nos & charitate & amore tuum officium præstaturus non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curã, vt Cratippus vnã cum eo sit, ne putes in Asia feriatum illum ab iis studiis, in quã tua cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum, vt video, & ingressum pleno gradu, cohortari non intermitteremus, quò in dies longius discẽdo, exercendoque se, procedat. Vos quid ageretis in Repub. cum has literas dabam, non sciebam. audiebam quãdam turbulenta, quã scilicet cupio esse falsa, vt aliquando otiosa libertate fruamur: quò vel minimè adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in nauigatione nostra pusillũ laxamenti, concinnaui tibi munusculum ex instituto meo: & dictum, cum magno nostro honore à te dictum, conclusi, & tibi infra subscripsi. In quibus versiculis si tibi quibusdam verbis *διδυρρημονέτης* videbor: turpitudine personã eius, in quam liberius inuehimur, nos vindicabit. Ignosces etiam iracundiã nostrã, quã iusta est in eiusmodi & homines & ciueis. Deinde quã magis hoc Luculio licuerit assumere libertatis, quã nobis? cum, etiam si odio pari fuerit in eos, quos læsit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret. Tu, sicut mihi pollicitus es, adiunges me quamprimum ad tuos sermones. Nanque illud non dubito, quin, siquid de interitu Cæsaris scribas, non patiaris me minimam partem & rei & amoris tui ferre. Vale, & matrem, meosque tibi commendatos habe. D. VIII. Cal. Iun. Athenis.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO COLLEGAE S.

GRATA mihi vehementer est memoria nostri tua, quã significasti literis: quã vt conserues (non quò de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi) rogo. Ex Syria nobis tumultuosiora quãdam nũtiata sunt: quã, quia tibi sunt propiora, quã nobis, tua me causa magis mouent, quã mea. Romã summum otium est, sed ita, vt malis salubre aliquod & honestum negotium: quò spero fore, quia video id curã esse Cæsari. Me scito, dum tu absis, quãsi occasionem quandã & licentiã nactus, scribere audacius, & cãtera quidem fortasse, quã etiam tu concederes: sed proximè scripsi de optimo genere dicendi: in quo sæpe suspicatus sum te à iudicio nostro, sic scilicet, vt doctum hominem à non indocto, paululum dissidere. Huic tu libro maximè velim ex animo, si minus, gratiã causa suffragere. dicam tuis, vt eum, si velint, describant, ad teque mittant: puto enim, etiam si rem minus probabis, tamen in ista solitudine, quicquid à me profectum sit, iucundum tibi fore. Quò mihi existimationem tuã, dignitatẽque commendas, facis tu quidem omnium more: sed velim sic existimes, me, cum amori, quem inter nos mutuũ esse intelligam, plurimum tribuere, tum de summo ingenio, & de optimis tuis studiis, & de spe amplissimã dignitatis ita iudicare, vt neminem tibi antepoam, comparem paucos. Vale.

CICERO CORNIFICIO COLLEGAE S. D.

QVOD extremū fuit in ea epistola, quam à te proximè accepi, ad id primū respon-
debo: animaduerti enim hoc vos magnos oratores facere nonnunquam. Epistolas re-
quiris meas. ego autem nunquam, cum mihi denuntiatum esset à tuis ire aliquem, non
dedi. Quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil cōmissurum esse temerè, nec
antè, quàm scisses, quò iste nescio qui Cæcilius Bassus erumperet, quicquam certi cōsti-
tutum: id ego & speraram prudētia tua fretus, & vt confiderē, fecerunt tuæ grauissima
literæ. Idque, vt facias quam sapissimè, vt & quid tu agas, & quid agatur, scire possim, &
etiam quid acturus sis, valde te rogo. Etsi periniquo patiebar animo te à me digredita-
men eo tempore me consolabar, quòd & in summum otium te ire arbitrabar, & ab im-
pendentibus magnis negotiis discedere. Vtrunque cōtra accidit: istic enim bellum est
exortum, hīc pax consecuta: sed eiusmodi pax, in qua, si adesses, multa te non delecta-
rent: ea tamen, quæ ne ipsum Cæsarem quidē delectent. BELLORVM enim ciuiliū
ii semper exitus sunt, vt non ea solum fiant, quæ velit victor, sed etiam vt iis mos geren-
dus sit, quibus adiutoribus parta sit victoria. Equidem sic iam obdurui, vt ludis Cæsaris
nostri æquissimo animo viderem T. Plancum, audirem Laberii & Publii poemata. Ni-
hil mihi tam deesse scito, quàm quicum hæc familiariter doctèque rideam. Is tu eris, si
quam primū veneris, quod vt facias, non mea solum, sed etiā tua interesse arbitror. Vale.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. D.

LIBENTISSIME legi tuas literas: in quibus iucundissimum mihi fuit, quòd
cognoui meastibi redditas esse. non enim dubitabam quin eas libenter lecturus esses:
verebar vt redderentur. Bellum, quod est in Syria, Syriamque prouinciam tibi tri-
butam esse à Cæsare, ex tuis literis cognoui. eandem rem tibi volo bene & foeliciter
euenire, quod ita fore confido, fretus & industria & prudentia tua. Sed de Parthici bel-
li suspicione quod scribis, sanè me commouit. quantum copiarum haberes, cum ipse
coniectura consequi poteram, tum ex tuis literis cognoui. Itaque opto ne se illa gens
moueat hoc tempore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. Quòd si
pares copias ad configendum non habebis, non te fugiet vti consilio M. Bibuli, qui se
oppido munitissimo & copiosissimo tandiu tenuit, quandiu in prouincia Parthi fue-
runt. Sed hæc melius ex re & ex tempore constitues. Mihi quidem vsque curæ erit quid
agas, dum, quid egeris, sciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin dederim.
à te, vt idē facias, peto: in primisque vt ita ad tuos scribas, vt me tuum sentiāt esse. Vale.

M. T. CICERO CORNIFICIO COLLEGAE S.

GRATAE mihi tuæ literæ, nisi quòd Sinuessanum diuerforiolum contempsisti.
Quam quidem contumeliam villa pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano & Pom-
peiano reddideris *πρότιαι καὶ πρότιων*. Sic igitur facies, meque amabis, & scripto aliquo
laceffes: ego enim respondere facilius possum, quàm prouocare. Quòd si, vt est, cessa-
bis, laceffam, ne tua ignauia etiam inertiam afferat. Plura otiosus. Hæc, cum essem in
Senatu, exarauī. Vale.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. D.

CAIVS Anitius, familiaris meus, vir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum
causa legatus est in Africam legatione libera. Eum velim rebus omnibus adiuues, ope-
ramque des vt quam commodissimè sua negotia cōficiat. in primisque, quod ei charis-
simum est, dignitatem eius tibi commendo: idque à te peto, quod ipse in prouincia fa-
cere sum solitus non rogatus, vt omnibus Senatoribus lictores darem: quod idem ac-
ceperam, & cognoueram à summis viris factitatum. Hoc igitur mi Cornifici facies: cæ-
terisque rebus omnibus eius dignitati, reique, si me amas, consules. id erit mihi gratissi-
mum. Da operam vt valeas.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

NO s hīc cum homine gladiatore omnium nequissimo collega nostro Antonio

bellum gerimus, sed non pari conditione, contra arma verbis. At etiam de te concio-
natur, nec impunè: nam sentiet quos laceffierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror
perscribi ab aliis, à me futura debes cognoscere: quorū quidem non est difficilis con-
iectura. Oppressa omnia sunt: nec habent ducem boni: nostrique *τυραννοκρατοί* longè
gentium absunt. Panfa & sentit bene, & loquitur fortiter. Hircius noster tardius conua-
lescit. Quid futurum sit, planè nescio, spes tamen vna est, aliquando populum Rom.
48 maiorum similem fore. ego certè Reipub. non deero: & quicquid acciderit, à quo mea
culpa absit, animo forti feram. Illud profectò, quoad potero, tuam famam & dignita-
tem tuebor. Ad x i i i. Calend. Ian. Senatus frequens mihi est assensus cum de cæteris
rebus magnis & necessariis, tum de prouinciis ab iis qui obtinerent, retinendis, neque
cuiquam tradendis, nisi qui ex s. c. successisset. hoc ego cum Reipub. causa censui, tum
mehercule in primis retinendæ dignitatis tuæ. Quamobrem te amoris nostri causa ro-
go, Reipub. causa horror, vt necui quicquam iuris in tua prouincia esse patiare: atque vt
omnia referas ad dignitatem, qua nihil potest esse præstātius. Verè tecum agam, vt ne-
cessitudo nostra postulat: in Sempronio, si meis literis obtemperasses, maximam ab o-
mnibus laudem adeptus esses. sed illud & præterit, & leuius est. Hæc magna res est: fac
vt prouinciam retineas in potestate Reipub. Plura scripsissem, nisi tui festinarent. Ita-
49 que Cherippo nostro me velim excuses. Vale.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. D.

OMNEM conditionem imperii tui, statūque prouinciæ mihi demonstrauit Stra-
torius. O multa intolerabilia locis omnibus. Sed quòd tua maior dignitas, eò quæ tibi ac-
ciderunt minus ferenda. neque enim quæ tu propter magnitudinē & animi & ingenii
moderatè fers, à te non vlcienda sunt, etiam si non sint dolenda. Sed hæc posteriis.
Rerum vrbana acta tibi mitti certò scio. quod ni ita putarem, ipse perscriberem, in
primisque Cæsaris Octauiani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen
videtur, vt in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem & boni viri &
credunt factum & probant. Quid quæris? magna spes est in eo. nihil est quod non exi-
50 stimetur laudis & gloriæ causa facturus. Antonius autē noster familiaris, tanto se odio
esse intelligit, vt cum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non au-
deat. Ad v i i. Id. Oct. Brundisium venerat, profectus obuiam legionibus Macedoni-
cis quatuor: quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad Urbem adducere, & in cer-
uicibus nostris collocare. Habes formam Reipub. si in castris potest esse Respub. in qua
tuam vicem sæpe doleo, quòd nullam partem per atatem sanæ & saluæ Reipub. gusta-
re potuisti. Atque antehac quidem sperare saltem licebat, nunc etiam illud ereptum
est. quæ enim spes est, cum in concione dicere ausus sit Antonius, Canutium apud eos
locum sibi quærere, quibus se saluo locus in ciuitate esse non posset? Equidem & hæc, &
omnia quæ homini accidere possunt, sic fero, vt magnam habeam philosophiæ gra-
tiam, quæ me non modò à solitudine abducit, sed etiam contra omneis fortunæ im-
51 petus armat. tibi que idem censeo faciendum, nec, à quo culpa absit, quicquam in ma-
lis numerandum. Sed hæc tu melius. Stratorium nostrum cum semper probassem,
tum maximè in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudentiamque cogno-
ui. Da operam vt valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

EGO nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modò laudandi tui, sed ne
ornandi quidem. Sed mea studia erga te & officia malo tibi ex tuorum literis, quàm ex
meis esse nota. Te tamen hortor, vt omni cura in Remp. incumbas. hoc est animi, hoc
est ingenii tui, hoc eius spei, quam habere debes amplificandæ dignitatis tuæ. Sed hac de
re alias ad te pluribus. cum enim hæc scribebam, in expectatione erant omnia. nondum
52 legati redierant, quos Senatus non ad pacem deprecandā, sed ad bellum denūtiandum
miserat, nisi legatorum nuntio paruisset. Ego tamen vt primū occasio data est, meo
K.ii.

pristino more Remp. defendi: me principem Senatui, populoque Ro. professus sum: nec postea, quam suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendæ salutis, libertatisque communis. Sed hæc quoque te ex aliis malo. T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, vt maiore non possim: cui cum propter omnes virtutes, tum etiam propter studia cõmunia sum amicissimus. Is procurat rationes, negotiaque Dionysii nostri, quem & tu multum amas, & ego omnium plurimum. Ea tibi ego non debeo commendare, sed commendo tamen. Facias igitur vt ex Pinarii gratissimi hominis literis tuis & erga illũ & erga Dionysium studiũ perspiciamus. Vale.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

LIBERALIBVS literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero vicefimo die, vt dicebat, reddidit. Eo die non fuit Senatus, neque postero. Quinquatribus frequenti Senatu causam tuam egi non inuita Minerua. Etenim eo ipso die Senatus decreuit, vt Minerua nostra, custos Urbis, quam turbo deiecerat, restitueretur. Pansa tuas literas recitauit. magna Senatus approbatio consecuta est cum summo gaudio & offensione Minotauri, id est Caluissii & Tauri. Factum de te s. c. honorificum. Postulabatur, vt etiam illi notarentur: sed Pansa clementior. Ego mi Cornifici quo die primũ in spem libertatis ingressus sum, & cunctantibus cæteris ad xiii. Cal. Ian. fundamenta Reip. ieci: eo ipso die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuæ. mihi enim est assensus Senatus de obtinendis prouinciis. Nec verò postea destiti labefactare eum qui summa cum tua iniuria, contumeliaque Reip. prouinciam absens obtinebat. Itaque crebras, vel potius quotidianas compellationes meas non tulit, sed in Urbem recepit inuitus: neque solum spe, sed certa re iam, & possessione deturbatus est. Meo iustissimo, honestissimoque conuitio te tuam dignitatem summa tua virtute tenuisse, prouinciæque honoribus amplissimis affectum, vehementer gaudeo. Quod te mihi de Sempronio purgas, accipio excusationem: fuit enim illud quoddam Græcum tempus seruitutis. Ego tuorum consiliorum author, dignitatisque fautor, iratus temporibus, in Græciam desperata libertate rapiebar, cum me Etesia, quasi boni ciues, relinquẽtem Remp. prosequi noluerunt: austerque aduersus maximo flatu me ad tribuleis tuos Rhegium retulit: atque inde ventis, remisque in patriam omni festinatione properaui: postridieque in summa reliquorum seruitute liber vnus fui. Sic sum in Antonium inuectus, vt ille non ferret, omnemque suum vinolentum furorẽ in me vnum effunderet, meque cum elicere vellet ad cædis causam, tum tentaret insidiis: quem ego ructantem & nauseantẽ conieci in Cæsaris Octauiani plagas. puer enim egregius præsidium sibi primũ, & nobis: deinde summæ Reip. cõparauit: qui nisi fuisset, Antonii reditus à Brundisio pestis patriæ fuisset. Quæ deinceps acta sint, scire te arbitror. sed redeamus ad illud vnde diuertimus. Accipio excusationẽ tuam de Sempronio: neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat, vt ait Terentius. Quamobrem mi Quinte, conscende nobiscum, & quidẽ ad puppim. vna nauis est iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam vt rectam teneamus, vtinam prospero cursu: sed quicumque venti erunt, ars nostra certè non aberit. quid enim præstare aliud virtus potest? Tu fac vt animo magno sis & excelso, cogitẽsque omnem dignitatem tuam cum Rep. cõiunctam esse debere. P. Luceium mihi meum cõmendas, quem quibuscunque rebus potero, diligenter tuebor. Hircium quidẽ & Pansam collegas nostros, homines in Consulatu Reip. salutareis, alieno sanè tẽpore amissimus, Rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata: quam nos, si licebit, more nostro tuebimur: quãquam admodũ sumus iam defatigati. Sed NVLLA lassitudo impedire officium & fidẽ debet. Verũm hæc hæctenus. ab aliis te de me, quam à me ipso, malo cognoscere. De te audiebamur ea, quæ maximè vellemus. De Cn. Minutio, quem tu quibusdam literis ad calum laudibus extulisti, rumores duriores erant. id quale sit, omninoque quid istic agatur, facias me velim certiolem. Vale.

M. T. CICERO CORNIFICIO S.

Q. TVRIVS, qui in Africa negotiatus est, vir bonus & honestus, hæredes fecit similes sui Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, Cn. Anneium, Q. Cõfidium Gallum, L. Seruilium Posthumum, C. Rubellinum. Ex eorum oratione intellexi, gratiarũ actione eos magis egere, quam commendatione. tanta enim liberalitate se tua vfos prædicabant, vt iis plus à te tributum intelligerem, quam ego auderem te rogare. Audebo tamen: scio enim quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare à te peto, vt ad eam liberalitatẽ, qua sine meis literis vsus es, quam maximus his literis cumulus accedat. Caput autem est meæ cõmendationis, ne patiare Erotem Turium, Q. Turii libertum, vt adhuc fecit, hæreditatem Turianam auertere: cæterisque omnibus rebus habeas eos à me commendatissimos. Magnam ex eorum splendore & obseruantia capies voluptatem. Quod vt velis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

SEX. Aufidius & obseruantia, qua me colit, accedit ad proximos: & splendore, equiti Rom. nemini cedit. Est autem ita temperatis, moderatisque moribus, vt summa seueritas summa cũ humanitate iungatur. Cuius tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo, vt maiore studio, magisue ex animo cõmendare non possim. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, vt is intelligat meas apud te literas maximum pondus habuisse. Hoc te vehementer mi Cornifici rogo. Vale.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

ASSENTIOR tibi eos, quos scribis Lilybæo minari, istic pœnas dare debuisse: sed metuisti, vt ais, ne nimis liber in vliscendo viderere. Metuisti igitur ne grauis ciuis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus viderere. Quod societatem Reipub. conseruandæ tibi mecũ à patre acceptam renouas, gratum est: quæ societas inter nos semper mi Cornifici manebit. Gratum etiam illud, quod mihi tuo nomine gratias agendas non putas: nec enim id inter nos facere debemus. Senatus sapius pro dignitate tua appellaretur, si absentibus Consulibus vnquam, nisi ad rem nouam, cogeretur. Itaque nec de HS XX, nec de HS DC quicquam agi nunc per Senatum potest. Tibi autem ex s. c. imperandum, mutuũque sumendum censeo. In Repub. quid agatur, credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. Ego sum spe bona: consilio, cura, labore non desum: omnibus inimicis Reipub. esse me acerrimum hostem præ me fero. Res neque nunc difficili loco mihi videtur esse: & fuisset facillimo, si culpa à quibusdam abfuisset. Vale.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

NON modò te, cui omnia nostra notissima sunt: sed neminem in populo Rom. arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia est. Etenim magno theatro spectata est tum, cum est ab A. Gabinio c. o. s. relegatus, quod liberè & fortiter salutem meam defendisset. Nec ex eo amor inter nos natus est: sed quod erat vetus & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitauit. Ad hæc officia, vel merita potius iucundissima consuetudo accedit, vt nullo prorsus plus homine delecter. Non puto te iam expectare quibus eum tibi verbis commendem: causam enim tanti amoris intelligis: quæ verba desideret, iis me omnibus vsũ putato. Tantũ velim existimes, si negotia Lamia, procuratores, liberos, familiam, quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quam si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. Nec dubito quin sine mea cõmendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamia causa studiosè omnia facturussis. quanquam erat nobis dictum, te existimare alicui s. c. quod contra dignitatem tuam fieret, scribẽdo Lamiam affuisse: qui omnino Consulibus illis nunquam affuit scribendo. deinde omnia tum falsa s. c. deferebantur. nisi fortè etiam illi Semproniano s. c. me censeres affuisse, qui ne Romæ quidem tum fui, vt de eo ad te scripsi re recenti. Sed hæc hæctenus. Te

mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiae negotia mea putes esse: curaque ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut valeas.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

ITANE praeter litigatores nemo ad te meas literas? multae istae quidem. tu enim perfecisti, ut nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret. Sed quis unquam tuorum mihi dixit esse cui darem, quin dederim? aut quid mihi iucundius, quam, cum coram tecum loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? Illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. non enim te epistolis, sed voluminibus lacefferem, quibus quidem me a te prouocari oporteret. quanuis enim occupatus sis, otii tamen plus habes: aut, si ne tu quidem vacas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, & a me literas crebriores, quam tu mihi raras mittas, flagitare. nam cum antea distinebar maximis occupationibus, propterea quod omnibus curis Rempublicae mihi tuendam putabam, tum hoc tempore multo distineor vehementius. Ut enim grauius aegrotant ii, qui cum leuati morbo viderentur, in eum de integro inciderunt: sic vehementius nos laboramus, qui, profligato bello, ac penè sublato, renouatum bellum gerere conamur. Sed haec haec tenus. Tu tibi mi Cornifici, fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te vinci possim aut officiis aut amore. Non dubitabam equidem: veruntamen multo mihi notio rem amorem tuum effecit Cherippus. O hominem semper illum quidem mihi aptum, nunc verò etiam suauem. vultus mehercule tuos mihi expressit omnes: non solum animum ac verba protulit. Itaque noli vereri, ne tibi succensuerim, quod eodem exemplo ad me, quo ad ceteros. Requisiui equidem proprias ad me unum a te literas, sed neque vehementer & amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere & fecisse dicis, nihil sanè possum tibi opitulari, propterea quod & orbis Senatus Consulibus amissis, & incredibiles angustiae pecuniae publicae: quae conquiruntur vndique, ut optimè meritis militibus promissa soluantur, quod quidem fieri sine tributo posse non arbitror. De Accio Dionysio nihil puto esse, quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Luceio nihil tibi concedo, quò studiosior eius sis, quam ego sum: est enim nobis necessarius. sed a magistris cum contenderem de proferendo die, probauerunt mihi sese, quo minus id facerem, & commissio & iureiurando impediri. Quare veniendum arbitror Luceio, quanquam si meis literis obtemperauit, cum tu haec leges, illum Romae esse oportebit. Ceteris de rebus, maximèque de pecunia, cum Panfae mortem ignorares, scripsisti quae per nos ab eo consequi te posse arbitrare. quae te non fefellerunt, si viueret: nam te diligebat. post mortem autem eius quid fieri posset, non videbamus. De Venuleio, Latino, Horatio valde laudo. illud non nimium probo, quod scribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse. honore enim digni cum ignominia dignis non erant comparandi: eosque ex s. c. si non decedunt, cogendos ut decedant, existimo. Haec ferè ad eas literas, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo, velim tibi persuadeas, non esse mihi meam dignitatem tua chariorem. Vale.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD
C. MEMMIUM, ET ALIOS, LIBER XIII.

M. T. CICERO S. D. C. MEMMIO.



TSI non satis mihi constiterat, cum aliquane animi mei molestia, an potius libenter te Athenis visurus essem, quod iniuria, quam accepisti, dolore me afficeret: sapientia tua, qua fers iniuriam, laetitia: tamen vidisse te mallem. Nam quod est molestiae, non sanè multo leuius est, cum te non video: quod esse potuit voluptatis: certè si vidissem te, plus fuisset. Itaque non dubitabo dare operam ut te videam, cum id satis commodè facere poterò. Interea quod per literas & agi tecum, & (ut arbitror) confici potest, agam. Nunc a te illud primum rogabo, nequid inuitus mea causa facias: sed id quod mea intelliges multum, tua nullam in partem interesse, ita mihi des, si tibi, ut id libenter facias, antè persuaseris. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio. Sed & initio Romae, cum te quoque & tuos omnibus obseruabat, me coluit in primis: & nuper, cum ea quae voluit, de suis commodis & praemiis consecutus est, me habuit suorum defensorum & amicorum ferè principem: & iam a Phaedro, qui nobis cum pueri essemus, antequam Philonem cognouimus, valde ut philosophus, postea tamen ut vir bonus & suauis & officiosus probabatur, traditus mihi commendatusque est. Is igitur Patro, cum ad me Romam literas misisset, uti te sibi placarem, peteremque ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes: nihil scripsi ad te ob eam rem, quod aedificationis tuae consilium mea commendatione nolebam impediri. Idem, ut veni Athenas, cum idem ut ad te scriberem rogasset: ob eam causam impetrauit, quod te abiicisse illam aedificationem constabat inter omnes amicos tuos. Quod si ita est, & si iam planè tua nihil interest: velim si qua offensus iuncta facta est animi tui peruersitate aliquorum, (noui enim gentem illam) des te ad lenitatem, vel propter tuam summam humanitatem, vel etiam honoris mei causa. Equidem siquid ipse sentiam, quaeris: nec cur ille tantopere contendat, video, nec cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quam illi laborare sine causa. quanquam Patronis & orationem & causam tibi cognitam esse certò scio. honorem, officium, testamentorum ius, Epicuri auctoritatem, Phaedri obtestationem, sedem, domicilium, vestigia summorum hominum sibi tuenda esse dicit. Totam hominis vitam, rationemque, quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc eius contentionem volumus reprehendere. Sed mehercule quando illi, ceterisque, quos illa delectat, non valde inimici sumus: nescio an ignoscendum sit huic, si tantopere laborat. in quo etiam si peccat, magis ineptiis, quam improbitate peccat. Sed ne plura (dicendum enim aliquando est) Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem. nihil est illo mihi nec charius, nec iucundius. Is, non quò sit ex istis (est enim omni liberali doctrina politissimus) sed valde diligit Patronem, valde Phaedrum amauit: sic a me hoc contendit, homo minimè ambitiosus, minimè in rogando molestus, ut nihil unquam magis. nec dubitat quin ego a te nutu hoc consequi possim, ita etiam si aedificaturus esses. Nunc verò si audierit te aedificationem deposuisse, neque tamen me a te impetrasse: non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. Quamobrem peto a te ut scribas ad tuos, posse tua voluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi vocant, tolli. Sed redeo ad prima. prius velim tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias, quam ut facias. Sic tamen habeto, si feceris quod rogo, fore mihi gratissimum. Vale.

M. T. CICERO S. D. C. MEMMIO.

CAIO Auiano Euandro, qui habitat in tuo sacrario, & ipso multum utor, & patrono eius M. A. Emilio familiarissimè. Peto igitur a te maiorem in modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes. nam propter opera instituta multa multorum.

fubitum est ei remigrare Calend. Quint. Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem. neque tamen dubito, quin, si tua nihil aut non multum interfit, eo sis animo, quo ego essem, siquid tu me rogares. mihi certe gratissimum feceris. Vale.

M. T. CICERO S. D. C. MEMMIUS.

AVLVM Fufium vnum ex meis intimis obseruantissimum, studiosissimumque nostri, eruditum hominem, & summa humanitate, tuaque amicitia dignissimum velim ita tractes, ut mihi coram recepisti. tam mihi gratum id erit, quam quod gratissimum. Ipsum praeterea summo officio & summa obseruatia tibi in perpetuum deuinxeris. Vale.

M. T. CICERO Q. VALERIO Q. F. ORCAE

LEGATO PROPRAET. S. D.

CVM municipibus Volaterranis mihi summa necessitudo est. magno enim meo beneficio affecti, cumulatissime mihi gratiam retulerunt: nam nec in honoribus meis, nec in laboribus vnquam defuerunt. Cum quibus si mihi nulla causa intercederet, tamen quod te vehementissime diligo, quodque me a te plurimi fieri sentio, & monerem te & hortarer, ut eorum fortunis consuleres, praesertim cum prope praecipuam causam haberent ad ius obtinendum: primum quod Syllani temporis acerbitate, deorum immortalium benignitate subterfugerunt: deinde quod summo studio populi Rom. a me in Consulatu meo defensi sunt. cum enim Tribuni pleb. legem iniquissimam de eorum agris promulgassent, facile Senatui, populoque Rom. persuasi, ut eos ciueis, quibus fortuna pepercisset, saluos esse vellent. Hanc actionem meam C. Caesar primo suo Consulatu in lege agraria comprobavit, agrumque Volaterranum, & oppidum omni periculo in perpetuum liberauit: ut mihi dubium non sit, quin is qui nouas necessitudines adiungat, vetera sua beneficia conseruari velit. Quamobrem est tuae prudentiae, aut sequi eius auctoritatem, cuius sectam atque imperium summa cum tua dignitate secutus es: aut certe illi integram omnem causam referuare. Illud verò dubitare non debes, quin tam graue, tam firmum, tam honestum municipium tibi tuo summo beneficio in perpetuum obligare velis. Sed haec quae scripta sunt supra, eò spectant, ut te hortet & suadeam. Reliqua sunt quae pertinent ad rogandum: ut non solum tua causa tibi consilium me dare putes, sed etiam, quod mihi opus sit, me a te petere & rogare. Gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros incolumisque esse volueris. Eorum ego domicilia, sedes, rem, fortunas, quae & a diis immortalibus, & a praestantissimis in nostra Rep. ciuibus summo Senatus, populoque Rom. studio conseruatae sunt, tuae fidei, iustitiae, bonitatis commendo. Si pro meis pristinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consueui tueri meos: nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodesse possem, praetermitterem. sed quando apud te nihilo minus hoc tempore valere me confido, quam valuerim semper apud omnes: pro nostra summa necessitudine, parique inter nos & mutua beneuolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut existimet eum quasi diuino consilio isti negotio praepositum esse, apud quem vnum nos eorum perpetui defensores plurimum valere possemus. Vale.

M. T. CICERO Q. VALERIO Q. F. ORCAE

LEGATO PROPRAET. S. P. D.

NON moleste fero eam necessitudinem, quae mihi tecum est, notam esse quamplurimis, neque tamen ob eam causam, quod tu optime existimare potes, te impedio quo minus susceptum negotium pro tua fide & diligentia ex voluntate Caesaris, qui tibi rem magnam difficilemque commisit, gerere possis. Nam cum multi a me petant multa, quod de tua erga me voluntate non dubitent: non committo ut ambitione mea conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte aetate familiarissimum sum vsus: eius & Syllani temporis iniustissima calamitate dolui: & cum iis qui similem iniuriam acceperant, amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur,

adiutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano possessionem, cum in eam tanquam è naufragio reliquias contulisset. Hoc autem tempore eum Caesar in Senatum legit: quem ordinem ille, ista possessione amissa, tueri vix potest. Grauissimum autem est, cum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna: minimèque conuenit ex eo agro, qui Caesaris iussu diuidatur, eum moueri, qui Caesaris beneficio Senator sit. Sed mihi minus libet multa de aequitate rei scribere, ne causa potius apud te valuisse videar, quam gratia. Quamobrem te maiorem in modum rogo, ut C. Curtii rem meam putes esse: quicquid mea causa faceres, ut id C. Curtii causa cum feceris, meum existimes. quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato. Hoc te vehementer etià atque etià rogo. Vale.

M. CICERO Q. VALERIO Q. F. ORCAE PROCOS. S.

SI VALES, bene est: ego quidem valeo. Credo te memoria tenere me, & coram P. Cuspio tecum locutum esse, cum te prosequeretur paludatum: & idem postea plurimis verbis tecum egisse, ut quoscunque tibi eius necessarios commendarem, haberes eos in numero meorum necessariorum. Id tu pro tua summa erga me beneuolentia, perpetuaeque obseruantia mihi liberalissime atque humanissime recepisti. Cuspius homo in omneis suos officiosissimus, mirifice quosdam homines ex ista prouincia tuetur & diligit, propterea quod fuit in Africa bis, cum maximis societatis negotiis praeset. itaque hoc eius officium quod adhibet erga illos, ego mea facultate & gratia soleo, quantum possum, adiuuare. Quare Cuspianorum omnium commendationis causam hac tibi epistola exponendam putavi. Reliquis epistolis tantum faciant, ut notam apponam eam quae mihi tecum conuenit, & simul significem de numero esse Cuspiani amicorum. Sed hanc commendationem, quam his literis consignare volui, scito esse omnium grauissimam. nam P. Cuspius singulari studio contendit a me, ut tibi quam diligentissime L. Iulium commendem. Eius ego studio vix videor mihi satisfacere posse, si utar verbis iis, quibus, cum diligentissime quid agimus, uti solemus. Noua quaedam postulat: & putat me eius generis artificium quoddam tenere. ei ego pollicitus sum me ex intima nostra arte deprompturum mirificum genus commendationis. Id quando assequi non possum, tu re velim efficias, ut ille genere mearum literarum incredibili quodam perfectum arbitretur. Id facies, si omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate & potestate tua proficisci poterit, non modò re, sed etiam verbis, vultu denique expresseris. Quae quantum in prouincia valeant, vellem expertus esses. Sed tamen suspicor ipsum hominem, quem tibi commendo, perdignum esse tua amicitia: non solum quia mihi Cuspius dicit, credo (tametsi id satis esse debebat) sed quia noui eius iudicium in hominibus & amicis deligendis. Harum literarum vis quanta fuerit, propediem iudicabo, tibi que, ut confido, gratias agam. ego quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitror, omnia studiose, diligentèrque curabo. Cura ut valeas.

P. Cornelius, qui tibi has literas reddidit, est mihi a P. Cuspio commendatus. cuius causa quantopere cuperem, deberemque, profecto ex me facile cognouisti. Vehementer te rogo ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius quammaximas, quamprimum, quam saepissime gratias agat. Vale.

M. T. CICERO C. CLVVIO S. P. D.

CVM in Galliam proficiscens, pro nostra necessitudine, tuaque summa in me obseruantia ad me domum venisses, locutus sum tecum de agro veftigali municipii Atellani, qui esset in Gallia: quantoque opere eius municipii causa laborarem, tibi ostendi. Post tuam autem profectioem, cum & maxima res municipii honestissimi, mihi que coniunctissimi, & summum meum officium ageretur, pro tuo animo in me singulari existimaui me oportere ad te accuratius scribere: etsi non sum nescius, & quae temporum ratio, & quae tua potestas sit: tibi que negotium datum esse a C. Caesare, non iudicium, praclare intelligo. Quare a te tantum peto, quantum & te facere posse, & libenter mea causa facturum esse arbitror: & primum velim existimes, quod res est, municipii fortunas

omneis in isto vectigali consistere : his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. Hoc etsi commune videtur esse cum multis: tamē, mihi crede, singulareis huic municipio calamitates accidisse: quas iccirco non commemoro, ne de miseris meorum necessariorum conquerens, homines, quos nolo, videar offendere. Itaque nisi magnam spem haberem, C. Cæsari nos causam municipii probaturos, non erat causa cur à te hoc tempore aliquid contenderem, sed quia confido, mihi que persuasi illum & dignitatis municipii, & æquitatis, & voluntatis etiam erga se habiturum esse rationem : ideo à te non dubitavi contendere, ut hanc causam illi integram conseruares. Quod etsi nihilo minus à te peterem, si nihil audivissem te tale fecisse: tamen maiorem spem impetrandi nactus sum, posteaquam mihi dictum est hoc idem à te Rhegienses impetrauisse. Qui etsi te aliqua necessitudine attingunt: tamen tuus amor in me sperare me cogit, te, quod tuis necessariis tribueris, idē esse tributurum meis: præsertim cum ego pro his vnis petam, habeam autem, qui simili causa laborent, complureis necessarios. Hoc me non sine causa facere, neque aliqua leui ambitione commotum à te contendere, etsi te existimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas velim, me huic municipio debere plurimum : nullum vnquam fuisse 16 tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non huius municipii studiū in me extiterit singulare. Quapropter à te etiam atque etiā pro nostra summa coniunctione, proque tua in me perpetua & maxima beneuolētia maiore in modum peto atque contendo, ut cum fortunas agi eius municipii intelligas, quod sit mihi necessitudine, officii, beneuolentia coniunctissimum, id mihi des. Quod erit huiusmodi, ut si à Cæsare, quod speramus, impetrauerimus, tuo beneficio nos id consecutos esse iudicemus: sin minus, pro eo tamen id habeamus, quādo à te data sit opera ut impetremus. Hoc cum mihi gratissimum feceris : tum viros optimos, homines honestissimos, eodemque gratissimos, & tua necessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum tibi tuisque deuinxeris. Vale.

M. T. CICERO M. RUTILIO S. P. D.

C V M & mihi conscius essem quanti te facerē, & tuam erga me beneuolentiam expertus essem: non dubitavi à te petere quod mihi petendum esset. P. Sestii quanti faciam, ipse optime scio: quanti autē facere debeā, & tu, & omnes homines sciunt. Is cum ex aliis te mei studiosissimū esse cognosceret, petiuit à me, ut ad te quā accuratissime scriberē de re C. Albini Senatoris: cuius ex filia natus est L. Sestius optimus adolescēs, filius P. Sestii. Hoc iccirco scripsi, ut intelligeres non solum me pro P. Sestio laborare debere, sed Sestii etiam pro Albino. Res autē hæc est: A M. Laberio C. Albinus prædia in æstimationē accepit: quæ prædia Laberius emerat à Cæsare de bonis Plotianis. Ea si dicā non esse è Rep. diuidi, docere te videar, non rogare. Sed tamen cum Cæsar Syllanas veditiones & assignationes ratas esse velit, quo firmiores existimātur suæ: si ea prædia diuidētur, quæ ipse Cæsar vendidit, quæ tandē in eius venditionibus esse poterit aucto- 18 ritas? Sed hoc quale sit, tu pro tua prudentia considerabis. Ego te planē rogo, atque ita, ut maiore studio, iustiore de causa, magis ex animo rogare nihil possim, ut Albino parcas, prædia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris nō modò lætitia, sed etiā quodāmodo gloria, si P. Sestius homini maximē necessario per me satisfecerit, cum ego illi plurimū debeam. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Maius mihi dare beneficium nullum potes. id mihi intelliges esse gratissimum. Vale.

M. T. CICERO CRASSIPEDI S. P. D.

Q V A N Q V A M tibi præfens commendavi, ut potui diligentissime, socios Bithyniæ, teque cum mea cōmendatione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati, quibuscunque rebus posses commodare: tamen cum ii, quorum res agitur, magni sua 19 interesse arbitrarentur, me etiā per literas declarare tibi, qua essem erga ipsos volūrate, nō dubitavi hæc ad te scribere. volo enim te existimare, me cum vniuerso ordini publi-

canorū multum semper libentissime tribuerim, idque pro magnis eius ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicū esse huic Bithynicæ societati: quæ societas ordine ipso, hominū genere pars est maxima ciuitatis: constat enim ex cæteris societatibus: & casu permulti sunt in ea societate valde mihi familiares, in primisque is, cuius præcipuum officium agitur hoc tēpore, P. Rupilius P. F. Men. qui est magister in ea societate. Quæ cum ita sint, maiorem in modum à te peto, Cn. Pupium, qui est in operis eius societatis, omnibus tuis officiis atque omni liberalitate tueare: curēsque ut eius operæ (quod tibi facile factū est) quam gratissimæ sint sociis: remque & vtilitatem sociorum (cuius rei quātam potestatem Quæstor habeat, non sum ignarus) per te quammaximē defensam & auctam velis. Id cum mihi gratissimum feceris, tum illud tibi expertus promitto & spondeo, te socios Bithyniæ, si iis commodaris, memores esse, & gratos cogniturum. Vale.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D.

C V M ad te tuus Quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere eum non putabam: satis enim cōmendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum : qui, ut te non fugit, hanc Quæsturæ coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse. Sed cum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accuratē scriptas literas maximum apud te pondus habituras, à meque contēderet, ut quam diligentissime scriberem: mai- 21 lui facere quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. Ut igitur debere me facere hoc intelligas, cum primū M. Terentius in forum venit, ad amicitiam se meam contulit. Deinde ut se corroborauit, duæ causæ accesserunt, quæ meam in illum beneuolentiam auerent: vna, quod versabatur in hoc studio nostro, quo etiam nunc maximē delectamur, & cum ingenio, ut nosti, nec sine industria. deinde quod maturē se contulit in societates publicanorum: quod quidem nollem: maximis enim damnis affectus est. sed tamen causa cōmunis ordinis mihi cōmendatissimi fecit amicitiam nostram firmiorē. Deinde versatus in vtriusque subselliis optima & fide & fama iam ante hanc cōmutationem Reip. petitioni sese dedit, honorēque honestissimū existimauit fructum laboris sui. His autem tēporibus à me Brundusio cum literis & mandatis profectus est ad Cæsarem. Qua in re & amorem eius in suscipiendo negotio perspexi, & fi- 22 dem in conficiendo ac renuntiando. Videor mihi, cum separatim de probitate eius & moribus dicturus fuisset, si prius causam cur eum tantopere diligerem, tibi exposuissem: in ipsa causa exponenda satis etiam de probitate dixisse, sed tamen separatim promitto, in meque recipio, fore eum tibi & voluptati & vsui : nam & modestū hominem cognosces, & prudētem, & à cupiditate omni remotissimum : præterea magni laboris, summæque industriæ. Neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipsi, cum bene cognoueris, iudicanda sunt: sed tamen in omnibus nouis cōiunctionibus interest, qualis primus aditus sit, & qua cōmendatione quasi amicitia fores aperiantur. Quod ego his literis efficere volui: etsi id ipsa per se necessitudo Quæsturæ effecisse debet : sed tamen ni- 23 hilo infirmius illud hoc addito. Cura igitur, si me tanti facis, quanti & Varro existimat, & ipse sentio, ut quamprimum intelligam hanc meam cōmendationem tantū illi utilitatis attulisse, quantum & ipse sperarit, nec ego dubitarim. Vale.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D.

Q V I A semper animaduerti studiose te operam dare, ut nequid meorum tibi esset ignotū, propterea non dubito quin scias non solum cuius municipii sim, sed etiā quā diligenter soleam meos municipes Arpinateis tueri. Quorum quidem omnia cōmoda, omnesque facultates, quibus & sacra conficere, & facta te cta ædium sacrarum, locorumque communium tueri possint, consistunt in iis vectigalibus quæ habent in provincia Gallia. Ad ea visenda, pecuniæque, quæ à colonis debentur, exigendas, totamque rem & cognoscendam & administrandam legatos equites Romanos misimus Q. 24 Fuffidium Q. F. M. Faucium M. F. Q. Mamercum Q. F. Peto à te maiorem in modum

pro nostra necessitudine, ut ea res tibi cura fit: operamque des ut per te quam commo-
dissime negotium municipii administraretur, quamprimumque conficiatur: ipsosque,
quorum nomina scripsi, ut quam honorificentissime pro tua natura, & quam liberalissi-
me tractes. Bonos viros ad tuam necessitudinem adiunxeris, municipiumque gratissi-
mum beneficio tuo deuinxeris: mihi verò etiam eò gratius feceris, quòd cum semper
tueri municipes meos confueui, tum hic annus præcipue ad meam curam officiumque
pertinet. Nam constituendi municipii causa hoc anno A Edilem filium meum fieri vo-
lui, & fratris filium, & M. Cæsium, hominem mihi maximè necessarium: (is enim ma-
gistratus in nostro municipio, nec alius vllus creari solet) quos cohonestaris, in primis
que me, si Resp. municipii, tuo studio & diligentia bene administrata erit. Quod ut fa-
cias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO BRUTO S. D.

ALIA epistola communiter comendauit tibi legatos Arpinatum, ut potui diligentis-
sime. Hac separatim Q. Fuffidium, quocum mihi omnes necessitudines sunt, diligen-
tius commendo: non ut aliquid de illa comendatione deminuum, sed ut hanc addam.
nam & priuignus est M. Cassii, mei maximè & familiaris & necessarii: & fuit in Cilicia
mecum Tribunus mil. quo in munere ita se tractauit, ut accepisse ab eo beneficium vi-
derer, non dedisse. Est præterea (quod apud te valet plurimum) à nostris studiis non ab-
horrens. Quare velim eum quam liberalissime complectare: operamque des, ut in ea le-
gatione, quam suscepit contra suum comòdum, secutus auctoritatè meam, quam maxi-
mè eius excellat industria. Vult enim, id quod optimo cuique natura tributum est, qua-
maximam laudè cum à nobis, qui eum impulimus, tum à municipio consequi. Quod ei
continget, si hac mea comendatione tuum erga se studium erit consecutus. Vale.

M. T. CICERO BRUTO S. D.

LVCIVS Castronius Pætus longè princeps municipii Lucensis, est honestus,
grauis, plenus officii, bonus planè vir: & cum virtutibus, tum etiam fortuna, siquid hoc
ad rem pertinet, ornatus: meus autem est familiarissimus, sic prorsus, ut nostri ordinis
obseruet neminem diligentius. Quare & ut meum amicum, & ut tua dignum amici-
tia tibi commendo. cui quibuscunque rebus commodaueris, tibi profectò iucundum,
mihi certè erit gratum. Vale.

M. T. CICERO BRUTO S. D.

LVCIO Titione Strabone, equite Romano in primis honesto & ornato, familiarissi-
mè vtor. Omnia mihi cum eo intercedunt iura summæ necessitudinis. Huic in tua pro-
uincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res à Volcatio, qui Romæ ius dicit, reiecta in
Galliam est. Peto à te hoc diligentius, quam si mea res esset, quòd est honestius de ami-
corum pecunia laborare, quam de sua, ut negotium conficiendum cures, ipse suscipias,
transigas: operamque des, quod tibi æquum & rectum videbitur, ut quam comòdissima
conditione libertus Strabonis, qui eius rei causa missus est, negotium conficiat, ad numòs-
que perueniat. Id & mihi gratissimum erit: & tu ipse L. Titionem cognosces amicitia
tua dignissimum. quod ut tibi cura fit, ut omnia solent esse quæ me velle scis, te vehe-
menter etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO C. CAESARI IMP. S.

PRAECILIVM tibi commendo vnicè, tui necessarii, mei familiarissimi, viri optimi
filium. quem cum adolescentem ipsum propter eius modestiam, humanitatem, animū
& amorem erga me singularem mirificè diligo: tum patrem eius, re doctus, intellexi &
didici mihi fuisse semper amicissimum. En hic ille est, de illis maximè, qui irridere at-
que obiurgare me soliti sunt, quòd me non tecum, præsertim cum abs te honorificen-
tissime inuitarer, coniungerem. ἀλλ' ἐμὸν οὐ ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἐπειθεν. audiebam enim
nostros proceres clamitantes, οὐχ ἕμις εἶσ', ἵνα τίς σε καὶ ἀμνηστῶν δὲ εἴπη, ὡς νεφέλην ἐκάλουσαν
μέλανα. Sed tamen idem me consolatur: & iam hominem perustum, etiamnum gloria

volunt incendere, atque ita loquuntur, μή μὲν ἀσπυδαί γε καὶ ἀκλεῖως ἀπολόμην, Ἀλλὰ μέγα
πέζας τὴ καὶ εἶσο, μέγιστοι πύθεσθαι. Sed me minus iam mouet, ut vides: itaque ab Homeri ma-
gniloquentia confero me ad vera præcepta Εὐριπίδου, Μισῶ Ἐφισθὴν, ὅστις οὐχ ἀπὸς Ἐφός.
Quem verum senex Præcilius laudat egregiè: & ait posse eundè & ἀμεῖω ἄσπυδαί, καὶ ὀπίσσω
videre, & tamen nihilominus αἰὲν ἀσπυδαί, καὶ ὑπείροχον ἐμμεναι δὴ ὄντων. Sed ut redeam ad id,
vnde cœpi, vehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tua,
quæ est singularis, comprehenderis: & ad id, quod ipforum Præciliorum causa te velle
arbitror, addideris cumulum commendationis meæ. Genere nouo sum literarum ad
te vsus, ut intelligeres non vulgarem esse commendationem. Vale.

M. T. CICERO C. CAESARI IMP. S. D.

PVBLIVM Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum: & ex eo cum
ab ineunte eius ætate bene sperauissem, tum optimè existimare cœpi ex iis iudiciis, quæ
de eo feceram, cognitiss. Eius libertum Apollonium iam tum equidè, cum ille viueret, &
magni faciebam & probabam: erat enim & studiosus Crassi, & ad eius optima studia ve-
hementer aptus: itaque ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi, eò mihi
etiam dignior visus est, quem in fidè atque amicitiam meam reciperem, quòd eos à se
obseruandos & colendos putabat, quos ille dilexisset, & quibus charus fuisset. itaque &
ad me in Ciliciam venit: multisque in rebus mihi magno vsui fuit & fides eius, & pru-
dentia: & ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum studio & fidelitate consequi po-
tuit, non defuit. quod cum speraret te quoque ita existimare, in Hispaniam ad te maxi-
mè ille quidè suo consilio, sed etiam me auctore est profectus. Cui ego commendatio-
nem non sum pollicitus: non quin eam valituram apud te arbitrarer: sed neque mihi
egere comendatione videbatur, qui & in bello tecum fuisset, & propter memoriam Crassi
de tuis vnus esset: & si vti comendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id conse-
qui posse. Testimoniū meum de eo iudicii, quod & ipse magni æstimabat, & ego apud
te valere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognoui, & studiis
optimis deditum, idque à puero. nam domi meæ cum Diodoto Stoico, homine meo
iudicio eruditissimo, multum à puero fuit. Nunc autem incensus studio rerum tuarum,
eas literis Græcis mandare cupiebat. posse arbitror: valet ingenio: habet vsus: iam pri-
dem in eo genere studii, literarumque versatur: satisfacere immortalitati laudum tua-
rum mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimoniū: sed tu hoc facilius multo pro
tua singulari prudentia iudicabis, & tamen quod negaueram, comendo tibi eum. Quic-
quid ei commodaueris, erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. D.

M. CVRIVS, qui Patris negotiatur, multis & magnis de causis à me diligitur. nam
& amicitia peruetus mihi cum eo est, ut primum in forū venit, instituta: & Patris cum
aliquoties antea, tum proximè hoc miserrimo bello domus eius tota mihi patuit. Qua
si opus fuisset, tam essem vsus, quam mea. Maximum autem mihi vinculum cum eo
est, quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis, quòd est Attici nostri familiarissimus, eum-
que vnū præter ceteros obseruat ac diligit. Quem si tu iam fortè cognouisti, puto me
hoc, quod facio, facere serius. ea enim est humanitate & obseruantia, ut eum tibi iam
ipsum per se commendatum putem. Quod tamen si ita est, magnopere à te quaeso, ut
ad eam voluntatem, siquam in illum ante has meas literas contulisti, quam maximus
postea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam suam mi-
nus se tibi obtulit, aut eum nondum satis habes cognitum, aut quæ causa est cur ma-
ioris commendationis indigeat: sic tibi eum comendo, ut neque maiore studio quen-
quam, neque iustioribus de causis commendare possim. Faciamque id quod debent
facere ii, qui religiosè & sine ambitione commendant. spondebo enim tibi, vel potius
spondeo, in meque recipio, eos esse M. Curii mores, eamque tum probitatè, tum etiam
humanitatè, ut cum & amicitia tua, & tam accurata commedatione, si tibi fit cognitus,

dignum sis existimaturus. Mihi certè gratissimum feceris, si intellexero has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S.

NON concedam ut Attico nostro, quem elatum lætitia vidi, iucundiores tuæ suavissimè ad eum & humanissimè scriptæ literæ fuerint, quàm mihi. Nam etsi utriusque nostrum propè æquè grata erant, tamen ego admirabar magis, te, quasi rogatus, aut certè admonitus liberaliter Attico respondisses (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) vtrò ad eum scripsisse, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per literas detulisse. De quo non modò rogare te, ut eò studiosius mea quoque causa facias, non debeo, (nihil enim cumulatus fieri potest, quàm polliceris) sed ne gratias quidem agere, quòd tu & ipsius causa, & tua sponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id quod fecisti, esse gratissimum: tale enim tuum iudicium de homine eo, quem ego vnicè diligo, non potest mihi non summè esse iucundum. Quod cum ita sit, esse gratum necesse est. sed tamen quando mihi pro coniunctione nostra vel peccare apud te in scribendo licet: vtrunque eorum, quæ negavi mihi faciendum esse, faciam. Nam & ad id quod Attici causa te ostendisti esse facturum, tantum velim addas, quantum ex nostro amore accessionis fieri potest: & quod modò verebar, tibi gratias agere, nunc planè ago: teque ita existimare volo, quibuscumque officiis in Epiroticis, reliquisque rebus Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. P. D.

CUM Lyfone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus, quam ego necessitudinem sanctè colendam puto: sed ea causa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cum hospite, & ea cum officiis eius multis, tum etiam consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra coniunctius. Is cum Romæ annum propè ita fuisset, ut mecum viueret: etsi eramus in magna spe, te meis literis, commendationeque diligentissimè facturum id quod fecisti, ut eius rem & fortunas absentis tuerere: tamè quòd in vnius potestate erant omnia, & quòd Lyfo fuerat in nostra causa, nostrisque præfidiis, quotidie aliquid timebamus. effectum tamen est & ipsius splendore, & nostro, reliquorumque hospitem studio, ut omnia quæ vellemus, à Cæsare impetrarentur. quod intelliges ex iis literis, quas Cæsar ad te dedit. Nunc non modò non remittimus tibi aliquid ex nostra commendatione, quasi adepti iam omnia: sed eò vehementius à te contendimus, ut Lysonem in fidem necessitudinemque tuam recipias. Cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, verentes nequid accideret eiusmodi, ut ne tu quidem mederi posses. Explorata verò eius incolumitate, omnia à te studia summa cura peto. Quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendo: in his adolescentem filiū eius, quem C. Memmius Gemellus cliens meus, cum in calamitate exilii sui Patrensis civis factus esset, Patrensi legibus adoptavit, ut eius ipsius hæreditatis ius, causamque tueare. Caput illud est, ut Lysonem, quem ego virum optimum, gratissimumque cognoui, recipias in necessitudinem tuam. quod si feceris, non dubito quin in eo diligendo, cæterisque postea commendando, idem quod ego, sis iudicii & voluntatis habiturus. Quod cum fieri vehementer studeo: tum etiam illud vereor, ne, si minus cumulatè videberis fecisse aliquid eius causa, me ille negligenter scripsisse de se putet, non te oblitum mei. quanti enim me faceres, cum ex sermonibus quotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potuit cognoscere. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. P. D.

ASCLAPONE Patrensi medico vtrò valde familiariter: eiusque tum consuetudo mihi iucunda fuit, tum etiam ars, quam sum expertus in valetudine meorum: in qua mihi tum ipsa scientia, tum etiam fidelitate, benevolentiaque satiffecit. Hunc igitur tibi commendo, & à te peto, ut des operam ut intelligat diligenter me scripsisse de se, meamque commendationem vsui magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementer gratum. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. P. D.

MARCVS AEmilius Auianus ab ineunte adolescentia me obseruavit, semperque dilexit, vir cum bonus, tum perhumanus, & in omni genere officii diligendus: quem si arbitrarer esse Sycione, & nisi audirè ibi eum etiam nunc, vbi ego reliqui, Cibræ comorari, nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere: perficeret enim ipse profectò suis moribus, suaque humanitate, ut sine cuiusquam commendatione diligeretur abs te non minus, quàm & à me, & à cæteris suis familiaribus. Sed cum illum abesse putem, commendo tibi maiore in modum domū eius, quæ est Sycione, remque familiarem, maximè C. Auianum Ammonium libertū eius: quem quidè tibi etiam suo nomine commendo. Nam cum propterea mihi est probatus, quòd est in patronū suum officio & fide singulari, tum etiam quòd in me ipsum magna officia contulit, mihi que molestissimis temporibus ita fideliter beneuolèque præsto fuit, ut si à me manumissus esset. Itaque peto à te, ut eum Ammonium & in patroni eius negotio sic tueare, ut eius procuratorem, quem tibi commendo: & ipsum suo nomine diligas, habeasque in numero tuorum. Hominem pudentè & officiosum cognosces, & dignum qui à te diligatur. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. P. D.

TITVM Manlium, qui negotiatur Thespiis, vehementer diligo. nam & semper me coluit, diligentissimèque obseruavit: & à studiis nostris non abhorret. Accedit eò, quòd Varro Murena magnopere eius causa vult omnia. qui ita existimavit, etsi suis literis, quibus tibi Manlium commendabat, valde consideret: tamen mea commendatione aliquid accessionis fore. Me quidè cum Manlii familiaritas, tum Varronis studium commouit, ut ad te quæ accuratissimè scriberè. Gratissimū igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quatum cui tribuisti plurimū, id est si T. Manlium quammaximè, quibuscumque rebus honestè, ac pro tua dignitate poteris, iuueris atque ornaueris. Ex ipsius præterea gratissimis & humanissimis moribus confirmo tibi eū te, quem soles, fructum à bonorum virorum officiis expectare, esse capturum. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. D. P.

LVCIO Cossinio, amico & tribuli meo, valde familiariter vtrò, nam & inter nosmet ipsos vetus vsus intercedit: & Atticus noster maiore etiam mihi cum Cossinio consuetudinem fecit. itaque tota Cossinii domus me diligit, in primisque libertus eius L. Cossinius Anchialus, homo & patrono, & patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut si meus libertus esset, eodemque apud me loco esset, quo & est apud patronū suum, maiore studio commendare non possem. Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis: atque eū, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, iuueris. Id & mihi vehementer gratū erit, & tibi postea iucundū. hominè enim summa probitate, humanitate, obseruatiæque cognosces. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. D. P.

CUM antea capiebam ex officio meo voluptatem, quòd memineram, quàm tibi diligenter Lysonem hospitem & familiarem meum commendassem: tum verò posteaquam ex literis eius cognoui, tibi eum falsò suspectum fuisse, vehementissimè lætatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adiuuamento fuisse, quòd ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. De quo etsi pro tua facilitate & humanitate purgatum se tibi scribit esse: tamen primum, ut debeo, tibi maximas gratias ago, cum tantum literæ meæ potuerunt, ut his lectis omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lyfone, deponeres: deinde credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lyfone magis, quàm pro omnibus scribere, hominè esse neminem, qui vnquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. Lyfo verò cum mecum propè quotidie esset, vnaque viueret, non solum quia me libenter audire arbitrabatur, sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua & facta & dicta laudabat. Quapropter etsi à te ita tractatur,

vt iam non desideret commendationem meam, vn̄sque se literis meis omnia consecutum putet: tamen à te peto maiorem in modum, vt eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te qualis vir esset, vt superioribus literis feceram, nisi eum iam per se ipsum tibi satis esse notum arbitrarer. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. P. D.

HAGESARETVS Larissæus magnis meis beneficiis ornatus, in Consulatu meo memor & gratus fuit, meque postea diligentissimè coluit. eum tibi magnopere commendo, vt & hospitem, & familiarè meum, & gratum hominè, & virum bonum, & principè ciuitatis suæ, & tua necessitudine dignissimum. pergratum mihi feceris, si dederis operam, vt is intelligat hanc meam cõmendationem magnū apud te p̄odus habuisse. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. P. D.

LVCIVS Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus est, quod mihi Quæstor fuit. sed hanc causam, quam ego, vt à maioribus accepi, semper grauè duxi, fecit virtute & humanitate sua iustior. Itaque eo sic vtor, vt nec familiarius vllò, nec libentius. Is quanquam confidere videbatur, & sua causa, quæ honestè posses, te libenter esse facturū: magnum tamè esse sperauit apud te meas quoque literas pondus habituras. id cum ipse ita iudicabat, tum pro familiari cõsuetudine sæpe ex me audierat, quàm suavis esset inter nos, & quanta coniunctio. Peto igitur à te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario & tam familiari, vt eius negotia, quæ sunt in Achaia, ex eo quod hæres est M. Mindio fratri suo, qui Elide negotiatus est, explices & expedias tum iure & potestate, quam habes, tum etiam autoritate & cõsilio tuo. Sic enim præscripsimus iis, quibus ea negotia mandauimus, vt omnibus in rebus, quæ in aliquam controuersiam vocarètur, te arbitro, & quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore vterentur. Id vt honoris mei causa suscipias, vehementer te etiam atque etiã rogo. Illud præterea, si nō alienum à tua dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum, si qui difficiliore erunt, vt rem sine controuersia confici nolint, si eos, quando cum fenatore res est, Romam reieceris. quod quò minore dubitatione facere possis, literas ad te à M. Lepido Cos. non quæ te aliquid iuberent, (neque enim id tuæ dignitatis esse arbitrabamur) sed quodammodo quasi commendatitias sumpsimus. Scriberem quàm id beneficium bene apud Mescinium positurus esses, nisi & te scire considerem, & mihi peterem. sic enim velim existimes, non minus me de illius re laborare, quàm ipsum de sua. Sed cum illum studeo quàm facillimè ad suū peruenire: tum illud laboro, vt non minimum hac mea commendatione se consecutum arbitretur. Vale.

M. T. CICERO SER. SVLPITIO S. P. D.

LICET eodem exemplo sapius tibi huius generis literas mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter obserues: quod feci in aliis, & faciam, vt video, sapius: sed tamen non parcam operæ, & vt vos in vestris formulis, sic ego in epistolis de eadè re alio modo. C. Auianus igitur Ammonius incredibileis mihi gratias per literas egit & suo, & AEmilii Auiani patroni sui nomine, nec liberalius, nec honorificentius potuisse tractari, nec se præsentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. Id mihi cum iucundum est eorum causa, quos ego tibi summa necessitudine & summa coniunctione adductus commendaueram, quod M. AEmilius vnus est ex meis familiarissimis atque intimis maximè necessarius, homo & magnis meis beneficiis deuinctus, & propè omnium, qui mihi aliquid debere videntur, gratissimus: tum multò iucundius, te esse in me tali voluntate, vt plus prois amicis meis, quàm ego præsens fortasse prodessem: credo, quod magis ego dubitarem quid illorum causa facerem, quàm tu quid mea. sed hoc non dubito quin existimes mihi esse gratum. Illud te rogo, vt illos quoque gratos homines esse putes. quod ita esse tibi promitto atque confirmo. Quare velim, quicquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, vt te obtinente Achaiam conficiant. Ego cum tuo Seruio iucundissimè coniunctissimèque viuo,

magnamque cum ex ingenio eius, singularique studio, tum ex virtute & probitate voluptatem capio. Vale.

M. T. SER. SVLPITIO S. P. D.

ETSI libenter petere à te solco, siquid opus est meorum cuiquam: tamen multò libentius gratias tibi ago, cum fecisti aliquid commendatione mea, quod semper facis. incredibile est enim quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter à me tibi commendati. Quæ mihi omnia grata, sed de L. Mescinio gratissimum. sic enim est mecum locutus, te, vt meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia, multò verò plura & maiora fecisse. id igitur (puto enim etiã atq; etiam mihi dicendum esse) velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. Quod quidem hoc vehementius lætor, quod ex ipso Mescinio te video magnam capturum voluptatem. est enim in eo cum virtus, & probitas, & summum officium, summæque obseruantia, tum studia illa nostra, quibus antea delectabamur, nunc etiam viuimus. Quod reliquum est, velim augeas tua in eū beneficia, omnibus rebus quæ te erunt dignæ: sed duo, quæ te nominatim rogo: primum, vt siquid satisfandum erit, amplius eo nomine non peti, cures vt satisfidetur fide mea: deinde cum ferè consistat hæreditas in iis rebus, quas auertit Oppia, quæ vxor Mindii fuit, adiuues: in eâque rationem quemadmodum ea mulier Romam perducatur. quod si putarit illa fore, vt opinio nostra est, negotium conficiemus. hoc vt assequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. Illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo, in meque recipio, te ea, quæ fecisti Mescinii causa, quæque feceris, ita bene collocaturum, vt ipse iudices homini te gratissimo, iucundissimo benignè fecisse. volo enim ad id, quod mea causa fecisti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipsi sua, maiorumque suorum autoritate satis commendati sint fidei & iustitiæ tuæ: & ego, qui te optimè nouissem, non dubitavi quin tibi notissima & iura & merita populorum essent. Itaque cum à me peteret Philippus Lacedæmonius, vt tibi ciuitatem commendarem: etsi memineram me ei ciuitati omnia debere, tamen respondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere.

Itaque sic velim existimes, me omneis Achaia ciuitates arbitrari pro horum temporum perturbatione foelicis, quod tu his præsis: eūdè me ita iudicare, te, quod vnus optimè nosset non nostra solum, sed etiam Græciæ monumenta omnia, tua sponte amicis Lacedæmoniis & esse & fore. Quare tantum à te peto, vt cum ea facies Lacedæmoniorum causa, quæ tua fides, amplitudo, iustitia postulat, his, si tibi videbitur, significes te non molestè ferre, quod intelligas ea quæ facias, mihi quoque grata esse. pertinet enim ad officium meum, eos existimare curæ mihi suas res esse. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO L. PLANCO S. P. D.

NON dubito quin scias, in iis necessariis, qui tibi à patre relictis sunt, me tibi esse vel coniunctissimum, non his modò causis quæ speciem habent magnæ coniunctionis, sed iis etiã quæ familiaritate & consuetudine tenentur, quam scis mihi iucundissimam cum patre tuo, & summam fuisse. Ab his initiis noster in te amor profectus auxit paternam necessitudinem, & eò magis, quod intellexi, vt primum per ætatem iudicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me à te in primis cœptum esse obseruari, coli, diligi. Accedebat non mediocre vinculum cum studiorum, quod ipsum est per se graue: tum eorum studiorum, earumque artium, quæ per se ipsæ eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate deuinciunt. Expectare te arbitror hæc tam longè repetita principia quòspectent. Id primum ergo habeto, non sine magna iustaque causa hanc à me commemorationem esse factam. C. Atteio Capitone vtor familiarissimè. Notæ tibi sunt varietates meorum temporum in omni genere & honorum & laborum meorum: & animus, & opera, & autoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit, & paruit & temporibus & fortunæ meæ. Huius propinquus fuit

T. Antistius: qui cum fortè Quæstor Macedoniã obtineret, neque ei successum esset, Pompeius in eam prouinciam cum exercitu venit: facere Antistius nihil potuit. nam si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quàm ad Capitonem, quem ut parètem diligebat, reueri, præsertim cum sciret, quãti is Cæsarem faceret, sempèrque fecisset: sed oppressus tantum attingit negotii, quantum recusare non potuit. Cum signaretur argentum Apolloniã, non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare eum affuisse, sed non plus duobus, aut tribus mensibus. deinde abfuit à castris: fugit omne negotium, hoc mihi ut testi velim credas: meam enim ille mœstitiã in illo bello videbat: mecum omnia communicabat. Itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quò potuit longissimè à castris, non modò ut non præfesset ulli negotio, sed etiã ut ne interesset quidem. Is post prælium se ad hominem necessarium A. Plancium in Bithyniam contulit. ibi eum Cæsar cum vidisset, nihil asperè, nihil acerbè dixit, Romam iussit venire. Ille in morbum continuò incidit, ex quo non conualuit. æger Corcyram venit: ibi est mortuus. testamento, quod Romæ Paulo & Marcello c o s. fecerat, hæres ex parte dimidia & tertia est Capito. in sextante sunt ii, quorum pars sine vlla cuiusquam querela publica potest esse. ea est ad n s. x x x. Sed de hoc Cæsar viderit. Te mi Plâce pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studiis, & omni cursu nostro totius vitæ simillimo rogo, & à te ita peto, ut maiore cura, maiore studio non possim, ut hanc rem suscipias, meã putes: enitare, cõtendas, efficias, ut mea commendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio hæreditatè propinqui sui C. Capito obtineat. omnia quæ potui in hac summa gratia tua ac potentia à te impetrare, si petiuissem, vtrò te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetrauero. illud fore tibi adiuuementò spero, cuius ipse Cæsar esse optimus iudex potest: semper Cæsare Capito & dilexit & coluit. sed ipse huius rei testis est: noui hominis memoriam. Itaque te nihil doceo: tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. ego, quod in me ipso experiri potui, ad te deferã: in eo quantum sit ponderis, tu videbis. quam partè in Rep. causãque defenderim, per quos homines ordinẽsque steterim, quibusque munitus fuerim, non ignoras. Hoc mihi velim credas, siquid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate, quòd intellexerim scire ipsum Cæsarem me inuitissimũ fecisse: id feci aliorum consilio, hortatu, autoritate: quòd fuerim moderatior, temperatiorque, quàm in ea parte quisquam, id me fecisse maximè autoritate Capitonis. cuius similes si reliquos necessarios habuissem, Reip. fortasse non nihil, mihi certè plurimum profuissem. Hanc rem mi Plâce si effeceris, meam de tua erga me beneuolentia spem confirmaueris, ipsumque Capitonem gratissimum, officiosissimum, optimum virum ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adiunxeris. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

LVCIVS Mālius est Solis: is fuit Catinensis: sed est vnã cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, Decuriõque Neapoli: erat enim adscriptus in id municipium ante ciuitatem focii & Latinis datam. Eius frater Catinæ nuper mortuus est. nullam omnino arbitrabamur de ea hæreditate controuersiam eum habiturum: & est hodie in bonis. Sed quando habet præterea negotia vetera in Sicilia sua, & hãc hæreditatem fraternam, & omnia eius tibi commendo, in primisque ipsum, virum optimum, mihi que familiarissimum, his studiis literarum, doctrinæque præditũ, quibus ego maximè delector. Peto igitur abs te, ut eum, siue adierit, siue non venerit in Sicilia, in meis intimis, maximèque necessariis scias esse: itaque tractes, ut intelligat meam commendationem sibi magno adiuuemento fuisse. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

CAIO Flauio, honesto & ornato equite Romano, vtrò valde familiariter: fuit enim generi mei C. Pisonis pernecessarius, meque diligentissimè obseruat & ipse, & L. Flauius frater eius. Quapropter velim honoris mei causa, quibus rebus honestè, & pro

tua dignitate poteris, quam honorificentissimè & quam liberalissimè C. Flauium tractes. id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. Sed præterea tibi affirmo, neque id ambitione adductus facio, sed tum familiaritate & necessitudine, tum etiã veritate, te ex C. Flauii officio & obseruantia, & præterea splendore, atque inter suos gratia magnam voluptatem esse capturum. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

IN ALESINA ciuitate tam lauta quàm nobili, coniunctissimos habeo & hospitio & familiaritate M. & C. Clodios, Archagatum & Philonem. sed vereor ne quia complures tibi præcipuè commendo, ex æquare videar ambitione quadam commendationes meas: quãquam à te quidem cumulatè fatissit & mihi & meis omnibus. Sed velim sic existimes, hanc familiam, & hos mihi maximè esse coniunctos vetustate, officii, beneuolentia. Quamobrem peto à te maiorem in modum, ut his omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidẽsque patietur, commodos. id si feceris, erit mihi vehementissimè gratum. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

CNEO Otacilio Nasone vtrò familiarissimè, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiaris. nam & humanitate eius, & probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil iam opus est expectare te, quibus eum verbis tibi commẽdem, quo sic vtar, ut scripsi. Habet is in prouincia tua negotia, quæ procurat liberti Hilarius, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negotiãque omnia Nasonis non secus commendo, ac si mea essent. gratissimum mihi feceris, si intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

AVITVM mihi hospitium est cum Lyfone Lysonis filio Lilybatano, valdeque ab eo obseruor: cognouique dignum & patre & auo: est enim nobilissima familia. Quapropter commendo tibi maiorem in modum rem, domũque eius: magnòque opere abs te peto, cures ut is intelligat meam commendationem maximo sibi apud te & adiuuemento & ornamento fuisse. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

CAIVS Auianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & præter hospitium, valde etiam familiaris: quem Cæsar meo beneficio in Nouocomẽseis retulit. Nomẽ autem Auiani consecutus est, quòd homine nullo plus est vsus, quàm Flacco Auiano, meo, quem admodum te scire arbitror, familiarissimo. Quæ ego omnia collegi, ut intelligeres non vulgarem esse commendationẽ hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei cõmodos, habeasque in numero tuorum, perficiasque ut intelligat has literas meas magno sibi vsui fuisse. erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

CVM Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. ei Dolabella rogatu meo ciuitatè à Cæsare impetrauit. qua in re ego interfui. itaque nunc P. Cornelius vocatur. Cũque propter quosdam fordidos homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina ciuitate donatorum incisa essent, reuelli iussisset: eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse quod de Mega vereretur, beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in ciuium Romanorum numero haberes. ceteris que in rebus tibi eum ita commendo, ut maiore studio neminem commendarim. gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat meam commendationem magno sibi ornamento fuisse. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

HIPPAM Philoxeni filium, Calatinum, hospitem & necessarium meum, tibi cõmẽdo maiorem in modum. Eius bona, quemadmodum ad me delata res est, publicè

possidentur alieno nomine cōtra leges Calatinorū. Id si ita est, etiā sine mea cōmendatione ab æquitate tua res ipsa impetrare debet vt ei subuenias. Quoquo modo autē se res habet, peto à te vt honoris mei causa eum expedias, tātūque ei cōmodes & in hære, & in cæteris, quātū tua fides, dignitasq; patietur. id mihi vehemēter gratū erit. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

LVCIVS Brutius eques Romanus, adolescēs omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, meque obseruat diligētissimè. cuius cum patre magna mihi fuit amicitia iam inde à Quæstura mea Siciliēsi. omnino nunc ipse Brutius Romæ mecū est: sed tamen domum eius, & rem familiarē, & procuratores tibi sic cōmendo, vt maiore studio commēdare non possim. gratissimum mihi feceris, si curaris, vt intelligat Brutius, id quod ei recepi, hanc meam cōmendationem sibi magno adiumento fuisse. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. S.

CVM familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia atque officio est tuendus. est igitur in tua potestate, vt ille in me satis sibi præsidii putet esse. Quapropter eum tibi commendo maiorem in modum, & abs te peto, efficias vt is commendationem hanc intelligat sibi magno adiumento fuisse. Erit id mihi vehemēter gratum. Vale.

M. CICERO Q. ANCHARIO Q. F. PROCOS. S. D.

LET C. Aurelios L. F. quibus & ipsis, & patre eorū viro optimo familiarissimè vtor, commendo tibi maiorem in modum, adolescēteis omnibus optimis artibus ornatos, meos pernecessarios, tua amicitia dignissimos. Si vlla mea apud te commendatio valuit, quod scio multas plurimum valuisse, hæc vt valeat, rogo. Quod si eos honorificè, liberalitèrque tractaris, & tibi gratissimos, optimosque adolefcenteis adiunxeris, & mihi gratissimum feceris. Vale.

M. CICERO L. CVLLEOLO S. D.

QVAE fecisti L. Luceii causa, scire te planè volo, te homini gratissimo commodasse: & cum ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt, tum Pompeius, quotiescūque me videt, videt autem sapissimè, gratias tibi agit singulareis. addo etiam illud, quod tibi iucundissimum esse certò scio, me ipsum ex tua erga Luceium benignitate maxima voluptate affici. Quod superest, quanquam mihi non est dubiū, quin cum antea nostra causa, nunc iam etiam tuæ constantia gratia mansurus sis in eadem ista liberalitate: tamen abs te vehemēter etiam atque etiam peto, vt ea, quæ initio ostendisti, deinceps fecisti, etiā ad exitum augeri & cumulari per te velis. id & Luceio & Pōpeio valde gratum fore, teque apud eos præclare positurum confirmo & spondeo. De Rep. deque his negotiis, cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligenter paucis antè diebus, easque literas dederam pueris tuis. Vale.

M. CICERO L. CVLLEOLO PROCOS. S.

LVCIVS Luceius meus familiarissimus, homo omnium gratissimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret, omnia te cumulatissimè & liberalissimè procuratoribus suis pollicitum esse. cum oratio tua tam ei grata fuerit, quam gratam rem ipsam existimas fore, cum, vt spero, quæ pollicitus es, feceris: Omnino ostenderunt Bylliones sese Luceio Pompeii arbitrato satisfacturos. Sed vehemēter opus est nobis & voluntatem & auctoritatem & imperium tuum accedere. quod vt facias, te etiā atque etiam rogo. illudque mihi gratissimum est, quod ita sciunt Luceii procuratores, & ita Luceius ipse ex literis tuis, quas ad eum misisti, intellexit, hominis nullius apud te auctoritatē aut gratiam valere plus, quam meam. Id vt re experiatur, iterū & sapius te rogo. Vale.

M. CICERO Q. GALLIO S. D.

ETSI plurimis rebus spero fore vt perspiciam, quod tamē iam pridē perspicio, me à te amari: tamen nunc ea causa tibi datur, in qua facile declarare possis tuam erga me beneuolentiam. L. Oppius M. F. Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. eū tibi

vnice commendo: eoque magis, quod cum ipsum diligo, tum quod negotia procurat L. Egnatii Rufi: quo ego vno equite Romano familiarissimè vtor, & qui cum consuetudine quotidiana, tum officiis plurimis, maximisque mihi coniunctus est. Oppiū igitur præsentem vt diligas, Egnatii absentis rem vt tueare, æquè à te peto, ac si mea negotia essent. Velim memoriæ tuæ causa des literarum aliquid, quæ tibi in prouincia reddantur, sed ita conscribas, vt tum, cum eas leges, facilè recordari possis huius meæ commendationis diligentiam. hoc te vehemēter etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO Q. GALLIO S. D.

ETSI EX tuis & L. Oppii familiarissimi mei literis cognoui, te memorem commendationis meæ fuisse, idque pro tua summa erga me beneuolentia, proque nostra necessitudine minimè sum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppiū præsentem, & L. Egnatii mei familiarissimi absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasque, vt, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter mihi gratissimum feceris, si curaris vt is intelligat me à te tantum amari, quantum ipse existimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idque vt facias, vehemēter te rogo. Vale.

M. T. CICERO APVLEIO PROQVAES. S. P. D.

LVCIO Egnatio vno equite Romano vel familiarissimè vtor. eius Anchialum seruum, negotiaque, quæ habet in Asia, tibi commendo non minore studio, quam si rem meam commendarem. Sic enim existimes velim, mihi cum eo non modò quotidianam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna, & mutua nostra inter nos esse. Quamobrem etiam atque etiam à te peto, vt cures vt is intelligat me ad te satis diligenter scripsisse: nam de tua erga me voluntate non dubitabat. id vt facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO APVLEIO PROQVAES. S. P. D.

LVCIVS Nostius Zoilus est cohæres meus, hæres autem patroni sui. ea re vtrūque scripsi, vt & mihi cum illo causam amicitia scires esse, & hominem probum existimares, qui patroni iudicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic cōmendo, vt vnum ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris vt intelligat hanc cōmendationem sibi apud te magno adiumento fuisse. Vale.

M. T. CICERO SILIO S. D. P.

QVID ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis: sed tamē, vt scires eum non à me diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. Omnium tuorum officiorum, quæ & multa, & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris Egnatium, vt sentiat & se à me, & me à te amari. Hoc te vehemēter etiam atque etiā rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt. Vt amur igitur vulgari consolatione. quid, si hoc melius: sed hæc coram. Tu fac quod facis, vt me ames, teque amari à me scias. Vale.

M. T. CICERO C. SESTILIO RVFO QVAES. S. D.

OMNEIS tibi commendo Cyprios, sed magis Paphios: quibus tu quæcunque commodaris, erunt mihi gratissima. eoque facio libentius, vt eos tibi commendem, quod & tuæ laudi, cuius ego fautor sum, conducere arbitror, cum primus in eam insulā Quæstor veneris, ea te instituere, quæ sequantur alii. quæ, vt spero, facilius consequere, si & P. Lentuli necessarii tui legem, & ea quæ à me constituta sunt, sequi volueris. quam rem tibi confido magnæ laudi fore. Vale.

CICERO CVRIO PROCOS. S. D.

Q. POMPEIVS Sex. F. multis & veteribus causis necessitudinis mihi coniunctus est. Is cum antea meis commendationibus & rem, & gratiam, & auctoritatē suam tue-ri consueuerit, nunc profectò te prouinciam obtinēte meis literis assequi debet, vt nemini se intelligat commendatiorem vnquam fuisse. Quamobrem à te maiore in modum peto, vt cum omneis meos æquè ac tuos obseruare pro nostra necessitudine debeas, hūc in primis ita in tuā fidē recipias, vt ipse intelligat, nullā rem sibi maiori vsui aut

ornamento, quàm meam commendationem, esse potuisse. Vale.

M. T. CICERO ARISTO PROCOS. S. D.

S V M P S I hoc mihi pro tua in me obseruantia, quam penitus perspexi, quandiu Brundusii fuimus, vt ad te familiariter, & quasi pro meo iure scriberem, si qua res esset de qua valde laborarem. M. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris est, vt nihil possit esse coniunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea: quòdque maximum est, summus inter nos amor & mutuus. Quæ cum ita sint, si vllam in amicitia mea spem habes, si ea quæ in me officia & studia Brundusii contulisti, vis mihi etiam gratiora efficere, quàmquam sunt gratissima: si me à tuis omnibus amari vides, hoc mihi da atque largire, vt M. Curium factum & tectum, vt aiunt, ab omni incommo, detrimento, molestia syncerum, integrumque conserues. Et ipse spondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio maximum te fructum, summamque voluptatem esse capturum. Vale.

M. CICERO P. CAESIO S. D.

D. MESSIENVM, equitem Romanum omnibus rebus ornatum, meumque per familiarem tibi commendo ea commendatione, quæ potest esse diligentissima. Peto à te & pro nostra, & pro paterna amicitia, vt eum in tuam fidem recipias, eiusque rem, famamque tueare. Virum bonum, tuæque amicitia dignum tibi adiunxeris, mihi que gratissimum feceris. Vale.

CICERO REGI S.

A. LICINIVS Aristoteles Melitenfis, antiquissimus est hospes meus, & præterea coniunctus magno vsu familiaritatis. Hæc cum ita sint, non dubito quin tibi satis commendatus sit. etenim ex multis cognosco, meam commendationem plurimum apud te valere. Huc ego à Cæsare liberaui: frequens enim fuerat nobiscum: atque etiam diutius in causa est, quàm nos, commoratus, quòd melius te de eo existimaturum arbitror. Fac igitur mi Rex, vt intelligat has sibi literas plurimum profuisse. Vale.

M. T. CICERO Q. THERMO PROPRAET. S.

L. GENVICILIO Curuo iam pridè familiarissimè vtor, optimo viro, & homine gratissimo. Eum tibi penitus commendo atque trado: primum vt omnibus in rebus ei te commodos, quoad fides tua, dignitasque patietur: patietur autem in omnibus. nihil enim abs te vnquam, quod sit alienum tuis, aut etiam suis moribus, postulat. Præcipue autem tibi commendo negotia eius, quæ sunt in Helleponto: primum, vt obtineat id iuris in agris, quod ei Pariana ciuitas decreuit, & dedit, & quod semper obtinuit sine vlla controuersia: deinde siquid habebit cum aliquo Helleponto controuersia, vt in illam δίκην reiicias. Sed non mihi videor, cum tibi totum hominem diligentissimè commendarim, singulas ad eius causas perscribere debere. Summa illa sit: quicquid officii, beneficii, honoris in Genucilium contuleris, id te existimabo in me ipsum, atque in rem meam contulisse. Vale.

CICERO THERMO PROPRAET. S.

C V M mihi multa grata sunt, quæ tu adductus mea commendatione fecisti: tum in primis, quòd M. Marcilium amici atque interpretis mei filium liberalissimè tractauisti. Venit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihi que propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquum est, à te peto, quando apud gratos homines beneficium ponis, vt eo libentius his commodos: operamque des, quoad fides tua patietur, vt focrus adolescentis rea ne fiat. Ego cum antea studiosè commendabam Marcilium, tum multò nunc studiosius, quòd in longa apparitione singularem, & propè incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiamque cognoui. Vale.

CICERO THERMO PROPRAET. S.

E T S I mihi videor intellexisse, cum tecum Ephesi de re M. Anneii legati mei locutus sum, te ipsius causa vehementer omnia velle: tamè & M. Anneium tanti facio, vt mihi

nihil putem prætermittendum, quod illius interfit: & me à te tanti fieri puto, vt non dubitem quin ad tuam voluntatem magnus cumulus accedat commendationis meæ. Nam cum iandiu diligerem M. Anneium, deque eo sic existimarem, vt res declarat, quòd vltro ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegassem, tum verò, posteaquam mecum in bello atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me beneuolentiam cognoui, vt hominem neminem pluris faciam. Eum cum Sardonis habere controuersiam scis: causam tibi exposuimus Ephesi: quæ tu tamen coram facilius, meliusque cognosces. De reliquo mihi mehercule diu dubium fuit quid ad te potissimum scriberem: ius enim quemadmodum dicas, clarum, & magna cum tua laude notum est: nobis autem in hac causa nihil aliud opus est, nisi te ius instituto tuo dicere. Sed tamen cum me non fugiat quanta sit in Prætoris auctoritas, præsertim ista integritate, grauitate, clementia, qua te esse inter omnes constat: peto abs te pro nostra coniunctissima necessitudine, plurimisque officiis paribus ac mutuis, vt voluntate, auctoritate, studio tuo perficias, vt M. Anneius intelligat, te & sibi amicum esse (quod non dubitat: sæpe enim mecum locutus est) & multò amiciosem his meis literis esse factum. in tuo toto imperio atque prouincia nihil est quod mihi gratius facere possis. Iam apud ipsum gratissimum hominem, atque optimum virum, quàm bene positurus sis studium tuum atque officium, dubitare te non existimo. Vale.

CICERO THERMO PROPRAET. S.

C L V V I V S Puteolanus valde me obseruat, valdeque est mihi familiaris. Is ita sibi persuadet, quod in tua prouincia negotii habet, nisi te prouinciam obtinente meis commendationibus confecerit, id se in perditis & desperatis habiturum. Nunc quando mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officiis, ita tamen, vt tibi nolim molestus esse. Mylasii & Alabandenses pecuniam Cluuius debet. dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, vt ecclia Mylasii Romam mitteretur. id factum non est. Legatos audio missos esse: sed malo ecclios, vt aliquid confici possit. Quare peto à te, vt eos, & Alabandenses iubeas ecclios Romam mittere. Præterea Philotes Alabandensis Cluuius dedit: hæc commissæ sunt. Velim cures vt aut de hypothecis decedat, easque procuratoribus Cluuii tradat, aut pecuniam soluat. Præterea Heraclotæ & Bargyletæ, qui item debet, aut pecuniam soluant, aut fructibus suis satisfaciant. Caunii præterea debent: sed aiunt se depositam pecuniam habuisse. Id velim cognoscas: & si intellexeris eos neque ex edito, neque ex decreto depositam habuisse, des operam, vt vsura Cluuii instituto tuo conseruentur. His de rebus eò magis laboro, quòd agitur res Cn. Pompeii etiam nostri necessarii: & quòd is magis etià mihi laborare videtur, quàm ipse Cluuius: cui satisfactum esse à nobis valde volo. his de rebus te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO THERMO PROPRAET. S.

Q V O magis quotidie ex literis, nuntiisque bellum magnum esse in Syria cognosco, eò vehementius à te pro nostra necessitudine contedo, vt mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. nam eius opera, consilio, scientia rei militaris vel maxime intelligo me, & Rempublicam adiuuari posse. Quòd nisi tanta res eius ageretur: nec ipse adduci potuisset vt à me discederet, neque ego, vt eum à me dimitterem. Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Cal. Maias. ante eam diem Anneius ad me redeat, oportet. Illud, quod tecum & coram, & per literas diligentissimè egi, id & nunc etiam atque etiam rogo, curam tibi sit vt suum negotium, quod habet cum populo Sardonis, pro causa veritate, & pro sua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cum tecum Ephesi locutus sum, te ipsius Anneii causa omnia velle: sed tamen sic velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quàm si intellexero per te illum ipsum negotium ex sententia confecisse. idque quamprimum vt efficias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO C. TITIO L. F. RVFO PRAET. VRB. S.

L. CVSTIDIUS est tribulis, & municeps, & familiaris meus. Is causam habet, quam causam ad te deferet. commendo tibi hominem, sicuti tua fides & meus pudor postulat: tantum, ut facileis ad te aditus habeat: quæ æqua postulabit, ut iubente te impetret: sentiatque meam sibi amicitiam, etiam cum longissime absim, prodesse in primis apud te. Vale.

M. T. CICERO C. CVRTIO PEDVCEANO PRAET. S. D.

M. FABIVM vnicè diligo: summamque mihi cum eo consuetudo & familiaritas est peruetus. In eius controuersis quid decernas, à te non peto (seruabis, ut tua fides & dignitas postulat, edictum & institutum tuum) sed ut quamfacillimos ad te aditus habeat: quæ erunt æqua, iubente te impetret: ut meam amicitiam sibi, etiam cum procul absim, prodesse sciat, præsertim apud te. Hoc vehemèter etià atque etià te rogo. Vale.

M. T. CICERO C. MVNATIO C. F. S.

L. LIVINEIVS Tripho est omnino L. Reguli familiarissimi mei libertus, cuius calamitas etiam officiosior me facit in illum. nam beneuolentior quam semper fui, esse non possum: sed ego libertum eius per seipsum diligo. Summa enim eius erga me officia extiterunt iis nostris temporibus, quibus facillimè bonam beneuolentiam hominum, & fidem perspicere potui. Eum tibi ita commendo, ut homines grati & memores benemeritos de se commendare debent. pergratum mihi feceris, si ille intellexerit se, quod pro salute mea multa pericula adierit, sæpe hyeme summa nauigarit, pro tua erga me beneuolentia gratum etiam tibi fecisse. Vale.

M. T. CICERO P. SILIO PROPRAET. S. D.

T. PINNIO familiarissimè me usum esse, scire te arbitror. Quod quidem ille testamento declarauit, qui me tum tutorem, tum etiam secundum heredem instituerit. Eius filio mirè studioso, & erudito, & modesto pecuniâ Nicænses grandè debent ad hæc octogies: & ut audio, in primis volût ei soluere. Pergratū igitur mihi feceris, quando non modò reliqui tutores, qui sciunt quanti me facias, sed etiam puer ipse sibi persuasit, te omnia mea causa facturum esse, si dederis operam, quoad tua fides, dignitasque patietur, ut quamprimum pecunia Pinnio soluatur Nicænsium nomine. Vale.

M. T. CICERO P. SILIO PROPRAET. S. D.

ET in Atilii negotio te amaui: cum enim serò venissem, tamen honestum equitem Romanum beneficio tuo conseruauit: & mehercule semper sic in animo habui, te in meo ære esse propter Lamiaë nostri cōiunctionem & singularem necessitudinem. Itaque primùm tibi ago gratias, quod me omni molestia liberas: deinde impudentia prosequor. sed idem sarciam: te enim semper sic colam & tuebor, ut quem diligentissimè.

Quintum fratrem meum, si me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. Ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale.

M. T. CICERO P. SILIO PROPRAET. S. D.

NON putauit fieri posse ut mihi verba deessent: sed tamen in C. Lenio commendando defuit. Itaque rem tibi exponam paucis verbis, sed tamen ut planè perspicere possis voluntatem meam. Incredibile est quanti faciamus & ego & frater meus, qui mihi charissimus est, C. Leniū. Id fit cum plurimis eius officiis, tum summa probitate & singulari modestia. Eum ego à me inuitissimus dimisi, cum propter familiaritatem, & consuetudinis suauitatem, tum quod consilio eius fideli ac bono libèter utebar. sed vereor ne iam mihi superesse verba putes, quæ dixeram defutura. Commēdo tibi hominem, sicut intelligis me, de quo ea supra scripserim, debere commendare: à teque vehementer etiam atque etiam peto, ut quod habet in tua prouincia negotii, expedias: quod tibi videbitur rectum esse, ipsi dicas: hominem facillimum, liberalissimūque cognosces. Itaque te rogo, ut eum solutum, liberum, confectis eius negotiis per te quamprimum ad me remittas. Id mihi fratrique meo gratissimum feceris. Vale.

M. T. CICERO P. SILIO PROPRAET. S. D.

NERO meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibileis, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qui à te prætermisus esset. Magnum fructū ex ipso capies: nihil est enim illo adolescente gratius. Sed mehercule mihi quoque gratissimum fecisti: pluris enim ex omni nobilitate neminè facis. Itaque si ea feceris, quæ ille per me tecum agi voluit, gratissimum mihi feceris. Primùm de Pausania Alabandensis sustentens rem, dum Nero veniat: vehementer enim eius causa cupere eum intellexi. itaque hoc valde te rogo. Deinde Nisæos, quos Nero in primis habet necessarios, diligentissimèque tuetur ac defendit, habeas tibi commendatissimos: ut intelligat illa ciuitas, sibi in Neronis patrocinio summum esse præsidium. Strabonem Seruiliū tibi sæpe commendaui: nunc eo facio id impensius, quod eius causam Nero suscepit. Tantum à te petimus, ut agas eam rem, nec relinquant hominem innocentem ad alicuius tui dissimilis quæstum. Id tum gratum mihi erit: tum etiam existimabo te humanitate tua esse usum. Summa huius epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronè, sicut instituisi atque fecisti. Magnum theatrum habet ista prouincia, non ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingeniosi, abstinentis commendatione atque gloriam. Quare si te fautore usus erit, sicut & vtetur profectò, & usus est, amplissimè clientelas acceptas à maioribus confirmare poterit, & beneficiis suis obligare. Hoc in genere si eum adiuueris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum præclarissimè posueris: sed mihi etiam gratissimum feceris. Vale.

M. T. CICERO P. SILIO PROPRAET. S. D.

CVM P. Terentio Hyspone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas consuetudoque est: multaque, & magna inter nos officia paria & mutua intercedunt. Eius summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cum ciuitatibus reliquis conficiat. non me præterit, nos eam rem Ephesi expertos esse, neque ab Ephesiis villo modo impetrare potuisse. sed quando, quemadmodum omnes existimant, & ego intelligo, tua cum summa integritate, tum singulari humanitate & mansuetudine consecutus es ut libentissimis Græcis nutu, quod velis, consequare: peto à te maiore in modum, ut honoris mei causa hac laude Hysponem affici velis. Præterea cum sociis scripturæ mihi summa necessitudo est, non solum ob eam causam, quod ea societas vniuersa in mea fide est, sed etiam quod plerisque sociis vtor familiarissimè. Ita & Hysponem meum per me ornaris, & societatem mihi cōiunctiorem feceris: tuque ipse & ex eius obseruantia gratissimi hominis, & ex sociorū gratia hominū amplissimorū maximum fructū capies, & me summo beneficio affeceris: sic enim velim existimes, ex tota tua prouincia, omnique isto imperio nihil esse quod mihi gratius facere possis. Vale.

M. T. CICERO P. SERVILIO S. D.

A. CAECINNAM maximè proprium clientem familiæ vestræ non commēdarem tibi, cum scirem qua fide in tuos, qua clementia in calamitosos soleres esse: nisi me & patris eius, quo sum familiarissimè usus, memoria, & huius fortuna ita moueret, ut hominis omnibus mecum studiis, officiisque coniunctissimi mouere debeat. A te hoc omni contentione peto, sic ut maiore cura, maiore animi labore petere non possim, ut ad ea, quæ tua sponte sine cuiusquam commendatione faceres in hominem tantum, & talem, calamitosum, aliquem asserant cumulum meæ literæ: quò studiosius eum, quibuscunque rebus possis, iuues. Quod si Romæ fuisses, etiam salutem A. Cæcinnæ essemus (ut opinio mea fert) per te consecuti. De qua tamen magnam spem habemus, freti clementia collegæ tui. Nunc quādo iustitiam tuam secutus, tutissimum sibi portum prouinciam istam esse duxit: etià atque etiam te rogo atque oro, ut eum & in reliquis veteris negotiationis colligendis iuues, & cæteris rebus tegas atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

M. T. CICERO P. SERVILIO S. D.

EX prouincia mea Ciliciensi, cui scis *τηεις διοικησις* Asiaticas attributas fuisse, nullo sum 90
familiarius usus, quam Androne Arthemonis filio Laodicensi: cumque habui in ea ci-
uitate tum hospitem, tum vehementer ad meam vitam rationem & consuetudinem ac-
commodatum. Quem quidem multo etiam pluris, posteaquam decessi, facere coepi,
quod multis rebus expertus sum gratum hominem, meique memorem. Itaque cum
Romae libentissimè vidi: non te enim fugit, qui plurimis in ista prouincia benignè fe-
cisti, quam multi grati reperiatur. Hæc propterea scripsi, ut & me non sine causa labora-
re intelligeres, & ut tu ipse cum dignum hospitio tuo iudicares. Feceris igitur mihi gra-
tissimum, si ei declararis quanti me facias, id est, si receperis eum in fidem tuam, & qui-
buscunque rebus honestè, ac sine molestia tua poteris, adiuueris. Hoc mihi vehemen-
ter erit gratum. idque ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO P. SERVILIO ISAVRICO
PROCOS. COLLEGAE S. D.

GRATAE mihi vehementer tuae literae fuerunt, ex quibus cognoui cursus nauiga- 91
tionum tuarum. significabas enim memoriam tuam nostrae necessitudinis, qua mihi
nihil poterat esse iucundius. Quod reliquum est, multo etiam erit gratius, si ad me de
Repub. id est, de statu prouinciae, de institutis tuis familiariter scribes. quæ quanquam
ex multis pro tua claritate audiam, tamè libentissimè ex tuis literis cognoscam. Ego
ad te de Reipub. summa quid sentiam, non sæpe scribam propter periculum eiusmodi
literarum. Quid agatur autem, scribam sapius. sperare tamen videor, Cæsari collegæ
nostro fore curæ, & esse, ut habeamus aliquam Rempub. cuius consiliis magni refere-
bat te interesse. Sed si tibi utilius est, id est gloriosius, Asiæ præesse, & istam partem Reip.
malè affectam tueri: mihi quoque idem, quod tibi & laudi tuae profuturum est, opta-
tius debet esse. Ego quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitror, summo studio, dili-
gentiæque curabo: in primisque tuebor omni obseruantia clarissimum virum patrem 92
tuum: quod & pro vetustate necessitudinis, & pro beneficiis vestris, & pro dignitate ipsius
facere debeo. Vale.

M. T. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE S.

C. CVRTIVS Mithres est ille quidè, ut scis, libertus Posthumii familiarissimi mei:
sed me colit & obseruat æquè, atque illum ipsum patronum suum. Apud eum ego sic
Ephesi fui, quotiescunque fui, tanquam domi meae: multaque acciderunt, in quibus &
beneuolentiam eius erga me experirer, & fidem. Itaque siquid aut mihi, aut meorum
cupiam in Asia opus est, ad hunc scribere consueui, huius cum opera & fide, tum do-
mo, & re uti, tanquam mea. Hæc ad te eò pluribus scripsi, ut intelligeres me non vulga-
riter, nec ambitiosè, sed ut pro homine intimo, ac mihi pernecessario scribere. Peto igitur 93
à te, ut in ea controuersia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, & in
cæteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumque tuo commodo poteris, tantum
ei honoris mei causa commodes. et si, ut eius modestiam cognoui, grauis tibi nulla in
re erit. Si & mea commendatione, & sua probitate affectus erit, uti de se bene existimes,
omnia se adeptum arbitrabitur. Ut igitur eum recipias in fidem, habeasque in numero
tuorum, te vehementer etiam atque etiam rogo. Ego, quæ te velle, quæque ad te perti-
nere arbitror, omnia studiose, diligentèrque curabo. Vale.

M. T. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE S. D.

QUIA non est obscura tua in me beneuolentia, sic fit ut multi per me tibi velint cõ-
mendari. Ego autem tribuo nonnunquam in vulgus, sed plerunque necessariis, ut hoc 94
tempore. nam cum T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas necessitudinè est. Eius
libertum T. Ampium Menandrum, hominem frugi, & modestum, & patrono, & no-
bis vehementer probatum, tibi commendo maiorem in modum. Vehementer mihi
gratum feceris, si quibuscunque rebus sine tua molestia poteris, ei commodaris. Quod

ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE S.

MULTO tibi commendem necesse est, quando omnibus nota nostra necessitudo
est, tuaque in me beneuolentia. Sed tamen si omnium causa, quos cõmendo, velle de-
beo: tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. T. Aguius & comes meus fuit
illo miserrimo tempore, & omnium itinerum, nauigationum, laborum, periculorum
95 meorum socius: neque hoc tempore discessisset à me, nisi ego ei permissem. Quare sic
tibi eum commendo, ut vnum de meis domesticis & maximè necessariis. Pergratum
mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat hanc commendationem sibi magno vsui
atque adiumento fuisse. Vale.

M. T. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE S.

CERELLIAE necessariae meae rem, nomina, possessiones Asiaticas commendaui
tibi praesens in hortis tuis quam potui diligentissimè: tuque mihi pro tua consuetudi-
ne, proque tuis in me perpetuis, maximisque officiis omnia te facturum liberalissimè
recepisti. Meminisse te id spero: scio enim solere. sed tamen Cerelliae procuratores scri-
pserunt, te propter magnitudinem prouinciae, multitudinèque negotiorum etiam
atque etiam esse commonefaciendum. Peto igitur ut memineris, te omnia, quæ tua
96 fides pateretur, mihi cumulatè recepisse. Equidem existimo habere te magnam facul-
tatem (sed hoc tui est consilii & iudicii) ex eo s. c. quod in hæredes C. Vennonii factum
est, Cerelliae commodandi. id s. c. tu interpretabere pro tua sapientia. scio enim eius or-
dinis auctoritatem semper apud te magni fuisse. Quod reliquum est, sic velim existimes,
quibuscunque rebus Cerelliae benignè feceris, mihi te gratissimum esse facturum. Vale.

M. T. CICERO Q. PHILIPPO PROCOS. S.

GRATVLO tibi, quod ex prouincia saluum te ad tuos recepisti incolumi fama &
Repub. quod si Romae te vidissem, coram gratias egissem, quod tibi L. Egnatius fami-
liarissimus meus absens, L. Oppius praesens curæ fuisset. Cùm Antipatro Derbete mihi
non solum hospitium, verum etiam summa familiaritas intercedit. Ei te vehementer
97 succensuisse audiui, & molestè tuli. De re nihil possum iudicare, nisi illud mihi certè
persuadeo, te talem virum nihil temerè fecisse. A te autem pro vetere nostra neces-
situdine etiam atque etiam peto, ut eius filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimum
condones, nisi quid existimas in ea re violari existimationem tuam: quod ego si arbi-
trarer, nunquam te rogarem, mihi que tua fama multo antiquior esset, quam illa neces-
situdine est. sed mihi ita persuadeo (potest fieri ut fallar) eam rem laudi tibi potius, quam
vituperationi fore. Quid fieri possit, & quid mea causa facere possis (nam quid velis, non
dubito) velim, si tibi graue non erit, certiore me facias. Vale.

M. T. CICERO Q. PHILIPPO PROCOS. S.

ET SI non dubito pro tua in me obseruantia, proque nostra necessitudine, quin cõ-
mendationem meam memoria teneas: tamen etiam atque etiam eundè tibi L. Op-
98 pium familiarem meum praesentem, & L. Egnatii familiarissimi mei absentis negotia
commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasque, ut si mea res esset, non
magis laborarè. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris ut is intelligat me à te
tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. idque ut fa-
cias, te vehementer rogo. Vale.

M. T. CICERO T. TITIO T. F. LEGATO S. D.

ET SI non dubito, quin apud te mea commendatio prima satis valeat: tamen obse-
quor homini familiarissimo C. Auiano Flacco: cuius causa omnia tunc cupio, tum me-
hercule etiam debeo. De quo & praesens tecum egi diligenter, cum tu mihi humanis-
simè respondisti: & scripsi ad te accuratè antea. sed putat interesse sua, me ad te quam-
sæpissimè scribere. Quare velim mihi ignoscas, si illius voluntati obtemperans, minus
99 videbor meminisse constantiae tuae. A te idem illud peto, ut de loco, quò deportet fru-

mentum, & de tempore Auiano commodis. Quorum vtrunque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompeius isti negotio praefuit. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris vt Auianus, quando se à me amari putat, me à te amari sciat. erit id mihi pergratum. Vale.

M. T. CICERO QUATVORVIRIS ET DECVRIONIBVS S. D.

TANTAE mihi cum Q. Hippius causa necessitudinis sunt, vt nihil possit esse coniunctius, quam nos inter nos sumus. Quod nisi ita esset, vterer mea consuetudine, vt vobis nulla in re molestus essem. etenim vos mihi optimi testes estis, cum mihi persuasum esset, nihil esse quod à vobis impetrare non possem: nunquam me tamen grauem vobis esse voluisse. Vehementer igitur vos etià atque etiam rogo, vt honoris mei causa liberalissimè C. Valgium Hippiam tractetis, remque cum eo conficiatis, vt quam possessionem habet in agro Fregellano à vobis emptà, eam liberà & immunem habere possit. id si à vobis impetraro, summo me beneficio vestro affectu arbitror. Valete.

M. T. CICERO P. SVLPITIO IMP. S. D.

VM his temporibus non sanè in Senatum ventitarem, tamen vt tuas literas legi, non existimaui me saluo iure nostrae veteris amicitiae, multorumque inter nos officiorum facere posse, vt honori tuo deessem. Itaque affui, supplicationemque tibi lubenter decreui; nec reliquo tempore vlllo aut rei, aut existimationi, aut dignitati tuae deero. atque vt hoc tui necessarii sciant, hoc me animo erga te esse, velim facias eos per literas certiores, vt siquid tibi opus sit, ne dubitent mihi iure suo denuntiare. M. Bollandum, virum bonum & fortem, & omnibus rebus ornatum, meumque veterem amicum, tibi magnopere commendo. pergratum mihi feceris, si curaris vt is intelligat hanc commendationem sibi magno adiumento fuisse, ipsumque virum optimum gratissimumque cognosces. Promitto tibi, te ex eius amicitia magnam voluptatem esse capturum. Praeterea à te peto maiorem in modum pro nostra amicitia, & pro tuo perpetuo in me studio, vt in hac re etiam elabores. Dionysius seruus meus, qui meam bibliothecam multorum numerum tractauit, cum multos libros surripuisset, nec se impunè laturum putaret, aufugit. is est in prouincia tua. eum & M. Bollandus familiaris meus, & multi alii Narona viderunt. sed cum se à me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere quam mihi gratum futurum sit. res ipsa parua, sed animi mei dolor magnus est. vbi sit, & quid fieri possit, Bollandus te docebit. ego, si hominem per te recuperaro, summo me à te beneficio affectu arbitror. Vale.

M. T. C. ALLIENO PROCOS. S. D.

DEMOCRITVS Sicyonius non solum hospes meus est, sed etiam, quod non multis contingit, Graecis praesertim, valde familiaris: est enim in eo summa probitas, summa virtus, summa in hospites liberalitas & obseruantia: meque praeter ceteris & colit, & obseruat, & diligit. eum tu non modo suorum ciuium, verum etiam penè Achaiae principem cognosces. huic ego tantummodo aditum ad tuam cognitionem patefacio & munio. cognitum per te ipsum, quae tua natura est, dignum tua amicitia atque hospitio iudicabis. Peto igitur à te, vt his literis lectis recipias eum in tuam fidem, polliceare omnia te facturum mea causa. De reliquo, si id quod confido, fore dignum eum tua amicitia, hospitioque cognoueris, peto vt eum complectare, diligas, in tuis habeas. erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

M. C. ALLIENO PROCOS. S. D.

ET TE scire arbitror quati fecerim C. Auianum Flaccum: & ego ex ipso audieram optimo & gratissimo homine, quam à te liberaliter esset tractatus. eius filios dignissimos illo patre, meosque necessarios, quos ego vnice diligo, commendo tibi sic, vt maiore studio nullos commendare possim. C. Auianus in Sicilia est. Marcus est nobiscum. vt illius dignitate praesentis ornes, rem vtriusque defendas, te rogo. hoc mihi gratius in ista prouincia facere nihil potes. idque vt facias, te vehementer etià atque etià rogo. Vale.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD TARENTIAM

VXOREM ET ALIOS LIBEROS LIBER XIII.

M. T. CICERO TARENTIAE, ET TVLLIOLAE, ET CICERONI SVIS S. P. D.



LITERIS multorum, & sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem & fortitudinem esse, teque nec animi nec corporis laboribus defatigari. me miserum, te ista virtute, fide, probitate, humanitate in tantas arumnas propter me incidisse: Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam: qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores, miseriamque percepit. quae si, vt tu scribis, fato facta putarem, ferrem paulò facilius: sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab iis me amari putabam qui inuidebant: eos non sequebar qui petebant. Quod si nostris consiliis vsum essemus, neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum: beatissimi viueremus. nunc quando sperare nos amici iubent, dabo operam ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit intelligo, quantoque fuerit facilius manere domi, quam redire. sed tamen si omnibus Tribunos pl. habemus, si Lentulum tam studiosum, quam videtur, si verò etiam Pompeium & Caesarem, non est desperandum. De familia, quomodo placuisse amicis scribis, faciemus. De loco, nunc quidem iam abiit pestilentia: sed quandiu fuit, me non attigit. Plancius homo officiosissimus me cupit esse secum, & adhuc retinet. Ego volebam loco magis deserto esse in Epiro, quò neque Hyspoueniret, nec milites: sed adhuc Plancius me retinet: sperat posse fieri vt mecum in Italiam decedat. Quem ego diem si videro, & si in vestrum complexum venero, ac si & vos, & me ipsum recuperaro: satis magnam mihi fructum videbor percepisse & vestrae pietatis & meae. Pisonis humanitas, virtus, amor, in omnibus nos tantus est, vt nihil supra possit. Vtinam ea res ei voluptati sit: gloriae quidem video fore. De Q. fratre nihil ego te accusaui: sed vos, cum praesertim tam pauci sitis, volui esse quam coniunctissimos. Quibus me voluisti agere gratias, egi, & me à te certiore factum esse scripsi.

Quod ad me mea Terentia scribis, te vicum vendituram: quid, obsecro te (me miserum) quid futurum est? & si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere (tanta vis lachrymarum est) ne te in eundem fletum adducam. tantum scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerit: si non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miseras nostras vide ne puerum perditum perdamus: cui si aliquid erit, ne egeat mediocri virtute opus est, & mediocri fortuna, vt cetera consequatur. Fac valeas, & ad me tabellarios mittas, vt sciam quid agatur, & vos quid agatis. Mihi omnino iam breuis expectatio est. Tulliolae & Ciceroni salutem dic. Valete.

D. ante diem VI. Calend. Decemb. Dyrrhachii. Dyrrhachium veni, quod & libera ciuitas est, & in me officiosa, & proxima Italiae. sed si offendet me loci celebritas, aliò me conferam, & ad te scribam.

M. CICERO TARENTIAE, ET TVLLIOLAE, ET CICERONI SVIS S. P. D.

NOLI putare me ad quenquam longiores epistolas scribere, nisi siquis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere: nec enim habeo quod scribam: nec hoc tempore quicquam difficilius facio. ad te verò, & ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lachrymis scribere: vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse volui: idque praestare debui, & nisi tam timidi fuissetus, praestitisset. Pisonem nostrum merito eius amo plurimum. eum, vt potui, per literas cohortatus sum, gratiasque egi vt debui. In nouis Tribunis pl. intelligo spem te habere. id erit firmum, si Pom-

peii volūtas erit: sed Crassum tamen metuo. A te quidē omnia fieri fortissimē & aman-
tissimē video, nec miror: sed mœreo casum eiusmodi, vt tantis tuis miseriis meā mise-
riā subleuentur. nam ad me P. Valerius homo officiosus scripsit, id quod ego maximo
cum fletu legi, quemadmodum à Vesta ad tabulam Valeriā ducta esses. hem mea lux,
meum desiderium, vnde omnes opem petere solebant, te nunc mea Terētia sic vexa-
ri, sic iacere in lachrymis & sordibus, idque fieri mea culpa, qui ceteros seruaui, vt nos
periremus! Quod de domo scribis, hoc est de area: ego verò tum denique mihi vi-
debor restitutus, si illa nobis erit restituta. Verum hæc non sunt in nostra manu. Illud
doleo, quæ impensa faciēda est, in eius partem te miseram & despoliatam venire, quod
si conficitur negotium, omnia consequemur. sin eadem nos fortuna premet, etiā me
reliquias tuas misera proicias: Obsecro te mea vita, quod ad sumptū attinet, sine alios
qui possunt, si modò volunt, sustinere: & valetudinem istam infirmam, si me amas, no-
li vexare: nam mihi ante oculos dies noctesque versaris: omneis labores te excipere vi-
deo, timeo vt sustineas: sed video in te esse omnia. Quare vt id, quod speras, & quod a-
gis, consequamur, serui valetudini. Ego, ad quos scribam, nescio, nisi aut ad eos, qui
ad me scribunt: aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. Longius, quoniam
vobis ita placet, non discedam: sed velim quam sœpius literas mittatis, præsertim si-
quid est firmitus quod speremus. Valete mea desideria, valete. Datum ad 111. Non.
Octob. Theſsalonica.

M. C. TERENTIAE, ET TVLLIAE, ET CICERONI SVIS S. P. D.

ACCEPI ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lachrymis propè delevi: confi-
7 cior enim mœrore mea Terentia: nec me meā miseriā magis excruciant, quàm tuæ
vestræque. Ego autem hoc inferior sum, quàm tu, quæ es miserrima, quod ipsa cala-
mitas communis est vtriusque nostrum, sed culpa mea propria est. meum fuit officiū,
vel legatione vitare periculum, vel diligentia & copiis resistere, vel cadere fortiter. hoc
miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cum dolore conficior, tum etiā pu-
dore: pudet enim me vxori meæ optimæ, suauissimis liberis virtutem & diligentiam
non præstitisse: nam mihi ante oculos dies noctesque versatur squalor vester, & mœ-
ror, & infirmitas valetudinis tuæ: spes autem salutis pertenuis ostenditur. inimici sunt
multi, inuidi penè omnes. eicere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed tamen
quandiu vos eritis in spe, non deficiā, ne omnia mea culpa cecidisse videantur. Vt tutò
8 sim quòd laboras, id mihi nunc facillimum est, quem etiam inimici volunt viuere in
his tātis miseriis. Ego tamen faciā quæ præcipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias:
& eas literas Dexippo dedi: meque de eorum officio scripsi à te certiore esse factum.

Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos, & officio, & ego perspicio, & omnes
prædicant. Dii faxint vt tali genero mihi præſenti tecum simul, & cum liberis nostris
frui liceat. Nūc spes reliqua est in nouis Tribunis pl. & in primis quidem diebus: nam
si inueterarit, actum est. ea re ad te statim Aristocritum misi, vt ad me continuò initia
rerum, & rationem totius negotii posses scribere: etsi Dexippo quoque ita imperaui,
statim vt recurreret: & ad fratrem misi, vt crebrò tabellarios mitteret: nam ego eo no-
mine sum Dyrrhachii hoc tempore, vt quam celerrimè quid agatur audiam, & sim tu-
tò. ciuitas enim hæc semper à me defensa est. cum inimici nostri venire dicentur, tum
9 in Epirum ibo. Quòd scribis te, si velim, ad me venturam: ego verò, cum sciam ma-
gnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse volo. si perficitis quod agitis, me
ad vos venire oportet. sin autem. Sed nihil est opus reliqua scribere. ex primis, aut ad
summum secundis literis tuis constituere poterimus quid nobis faciendū sit. Tu mo-
dò ad me velim omnia diligentissimè perscribas: etsi magis iam rem, quàm literas, de-
beo expectare. Cura vt valeas, & ita tibi persuadeas, mihi te charius nihil esse, nec vn-
quam fuisse. Vale mea Terentia, quam ego videre videor, itaque debilitor lachrymis.
Vale. Prid. Calend. Decemb. Dyrrhachii.

M. C. TERENTIAE, ET TVLLIOLAE, ET CICERO-
RONI SVIS, S. P. D.

10 EGO minus sæpe ad vos do literas, quàm possum, propterea quòd cum omnia mi-
hi tempora sunt misera, tum verò cum aut scribo ad vos, aut vestras lego, conficior la-
chrymis sic, vt ferre non possim. Quòd vtinam minus vitæ cupidus fuisset: certè ni-
hil, aut non multum in vita mali vidissemus. quòd si nos ad aliquam alicuius commo-
di aliquando recuperandi spem fortuna reseruauit, minus est erratum à nobis. sin hæc
mala fixa sunt: ego verò te quamprimum mea vita cupio videre, & in tuo complexu
emori, quando neque dii, quos tu castissimè coluisti: neque homines, quos ego serua-
ui semper, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundusii apud M. Lenium Flaccum dies
xiii. fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum & capitis sui pro mea salu-
te neglexit: neque legis improbissimæ pœna deductus est, quo minus hospitii & ami-
11 citiæ ius, officiūque præstaret. Huic vtinam aliquando gratiam referre possimus, ha-
bebimus quidem semper. Brūdusio profecti sumus ad v. Cal. Maias: per Macedoniam
Cyzicum petebamus. O me perditum, o me afflictum: quid nunc rogem te vt ve-
nias, mulierem ægram & corpore & animo confectam: non rogem: sine te igitur sim:
Opinor, sic agam. Si est spes nostri reditus, eam cōfirmes, & re adiuues. sin, vt ego me-
tuo, transactum est: quoquo modo potes, ad me fac venias. vnum hoc scito: si te habe-
bo, non mihi videbor planè periisse. Sed quid de Tulliola mea fiet: iam id vos videte:
mihi deest consilium. Sed certè quoquo modo se res habebit, illius misellæ & matri-
monio & famæ seruiendum est. Quid Cicero meus, quid agat: iste verò sit in sinu sem-
per, & complexu meo. Non queo iam plura scribere: impedit mœror. Tu quid ege-
ris, nescio, vtrum aliquid teneas: an, quod metuo, planè sis spoliata. Pisonem, vt scri-
12 bis, spero fore semper nostrum. De familia liberata nihil est quod te moueat. pri-
mum tuis ira promissum est, te facturam esse, vt quisque esset meritis. est autem in of-
ficio adhuc Orpheus, præterea magnopere nemo. ceterorum seruorum ea causa est,
vt, si res à nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent: sin ad nos pertine-
rent, seruirent, præterquam oppidò pauci. Sed hæc minora sunt. Tu quòd me hor-
taris vt animo sim magno, & spem habeam recuperandæ salutis: id velim sit eiusmodi,
vt rectè sperare possimus. Nunc miser quando tuas iam literas accipiam: quis ad me
perferet: quas ego expectassem Brundusii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem
prætermittere noluerunt. Quòd reliquum est, sustenta te mea Terentia, vt potes. ho-
nestissimè viximus, floruimus. non vitium nostrum, sed virtus nostra nos afflixit. pec-
13 catum est nullum, nisi quòd non vnà animam cum ornamentis amisimus. Sed si hoc
fuit liberis nostris gratius, nos viuere: cætera, quanquam ferenda non sunt, feramus.
Atque ego qui te confirmo, ipse me non possum. Clodium Philetarum, quòd vale-
tudine oculorum impediabatur, hominè fidelem, remisi. Salustius officio vincet om-
nes spes. Cennius est perbeneuolus nobis: quem semper spero tui fore obseruantem.
Sicca dixerat se mecum fore: sed Brundusio discessit. Cura, quoad potes, vt valeas: &
sic existimes, vehementius me tua miseria, quàm mea, cōmoueri. Mea Terentia fidissi-
ma atque optima vxor, & mea charissima filiola, & spes reliqua nostra Cicero, valete.
Prid. Calend. Maii, Brundusio.

M. C. TERENTIAE ET TVLLIOLAE, SVIS S.

14 SI TV & Tullia lux nostra valetis, ego & suauissimus Cicero valemus. Prid. Id.
Oct. Athenas venimus, cum sanè aduersis ventis vsi essemus, tardèque & incommodè
nauigassemus. De naui exeuntibus nobis Acastus cum literis præsto fuit vno & vigesi-
mo die, sanè strenuè. Accepi tuas literas: quibus intellexi te vereri, ne superiores mihi
reddita non essent. omnes sunt reddita: diligentissimèque à te perscripta sunt omnia:
idque mihi gratissimum fuit. Neque sum admiratus hanc epistolam, quam Aca-
stus attulit, breuem fuisse: iam enim me ipsum expectas, siue nos ipsos: qui quidem

quamprimum ad vos venire cupimus: etsi, in quam Remp. venimus, intelligo. cognoui enim ex multorum amicorum literis, quas attulit Acastus, ad arma rem spectare: ut mihi, cum venero, dissimulare non liceat quid sentiam. Sed quando subeunda fortuna est, eò citius dabimus operam ut veniamus, quò facilius de tota re deliberemus. Tu velim, quod commodo valetudinis tuæ fiat, quam longissimè poteris, obuiam nobis prodeas. De hæreditate Prætiana, quæ quidem mihi magno dolori est (valde enim illum amaui) hoc velim cures: si auctio ante meum aduentum fiet, ut Pomponius, aut si is minus poterit, Camillus nostrum negotium curet. nos, cum venerimus, reliqua per nos agemus. sin tu iam Roma profecta eris, tamen curabis ut hoc ita fiat. nos, si dii adiuuabunt, circiter Id. Nou. in Italia speramus fore. Vos mea suauissima & optatissima Terentia & Tulliola, si nos amatis, curate ut valeatis. Athenis, ad xv. Cal. Nou.

M. C. T E R E N T I A E S V A E S. P. D.

Nec sæpe est cui literas demus: nec rem habemus vllam quam scribere velimus.

Extuis literis, quas proximè accepi, cognoui prædiū nullum venire potuisse. Quare videas velim quomodo satisfiat ei, cui scis me satisfieri velle. Quod nostra tibi gratias agit, id ego nō miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicè, si adhuc non est profectus, quamprimum fac extrudas. Cura ut valeas. Idib. Quint. Vale. 16

M. T. T E R E N T I A E S V A E S. P. D.

OMNEIS molestias & sollicitudines, quibus & te miserrimam habui, id quod mihi molestissimum est, Tulliolamque, quæ nobis nostra vita dulcior est, deposui & eieci: quid causæ autem fuerit, postridie intellexi, quam à vobis discessi. *χολίω ἀκρατον* noctu eieci. statim ita sum leuatus, ut mihi deus aliquis medicinam fecisse videatur. cui quidem tu deo, quemadmodum soles, piè & castè satisfacias, id est, Apollini & AEsculapio. Nauim spero nos valde bonā habere. in eam simul atque conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas: quibus te & Tulliolam nostram diligentissimè commendabo. Cohortarer vos, quo animo fortiore essetis, nisi vos fortiores cognoscerè, quam quenquam virū. Et tamen eiusmodi spero negotia esse, ut & vos istic cōmodissimè sperem esse, & me aliquando cū similibus nostri Remp. defensurum. Tu primū valetudinem tuam velim cures: deinde, tibi si videbitur, villis iis vtare quæ longissimè aberūt à militibus. fundo Arpinati bene poteris uti cum familia vrba, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutem plurimā dicit. Etiam atque etiam vale. Datum v. Id. Iun.

M. T. C. T E R E N T I A E S V A E S. P. D.

SI VALES, bene est: ego quidem valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentissimè: nam mihi & scriptum & nuntiatum est, te in febrim subitò incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris literis certior, fecisti mihi gratum. item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit noui, facies ut sciam. Cura ut valeas. Vale. Datum IIII. Non. Iun.

M. T. C. T E R E N T I A E S V A E S. P. D.

AD CAETERAS meas miseras accessit dolor è Dolabellæ valetudine, & Tullia. omnino de omnibus rebus nec quid consilii capiam, nec quid faciam scio. Tu velim tuam & Tullia valetudinem cures. Vale.

M. T. C. T E R E N T I A E S V A E S. P. D.

QVID fieri placeret, scripsi ad Pomponium serius, quam oportuit. cum eo si locuta eris, intelliges quid fieri velim: apertius scribi, quādo ad illum scripseram, necesse non fuit. De ea re & de cæteris rebus quamprimum velim nobis literas mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. v. Id. Quint.

M. T. C. T E R E N T I A E S V A E S. P. D.

SI VALES, bene est: ego valeo. Tullia nostra venit ad me prid. Id. Iun. cuius summa virtute & singulari humanitate, grauiore etiam sum dolore affectus, nostra

factum esse negligentia, ut longè alia in fortuna esset, atque eius pietas ac dignitas postulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæsarem mittere, & cum eo Cn. Salustium, si profectus erit, faciam te certior. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. xv. Cal. Quint.

M. T. C I C E R O T E R E N T I A E S V A E S. P. D.

QVOD nos in Italiam saluos venisse gaudes, perpetuò gaudeas velim. sed perturbati dolore animi, magnisque iniuriis, metuo ne id consilii ceperimus, quod non facile explicare possimus. Quare, quātum potes, adiuua. quid autem possis, mihi in mentem non venit. In viam quod te des hoc tempore, nihil est. & longum est iter, & non tutum: & non video quid prodesse possis, si veneris. Vale. Datum prid. Non. Nou. Brundisio.

M. T. C I C E R O T E R E N T I A E S V A E S. P. D.

QVOD scripsi ad te proximis literis de nuntio remittendo, quæ sit istius vis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. si metuendus iratus est, quies tamen ab illo fortasse nascetur. Totum iudicabis quale sit, & quod in miserimis rebus minimè miserum putabis, id facies. Vale. vi. Id. Quint.

T V L L I V S T E R E N T I A E, E T P A T E R T V L L I O L A E,

D V A B V S A N I M I S S V I S: E T C I C E R O M A T R I

O P T I M A E, S V A V I S S I M A E S O R O R I S. P. D.

SI VOS valetis, nos valemus. Vestrum iam consilium est, non solū meum, quid sit vobis faciendum. Si ille Romam modestè venturus est, rectè in præsentia domi esse potestis. sin homo amens diripiendam Vrbe daturus est, vereor ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit. Etiam illud metuo, ne iam intercludamini, ut cum velitis, exire non liceat. Reliquum est, quod ipsæ optimè considerabitis, vestri similes foeminae sintne Romæ: si enim non sunt, videndum est ut honestè vos esse possitis. Quomodo nunc se res habet, modò ut hæc vobis loca tenere liceat, bellissimè vel mecum vel in nostris prædiis esse poteritis. Etiam illud verendum est, ne breui tempore famas in Vrbe sit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, consideretis: ad summam, animo forti sitis. Labienus rem meliorem fecit. adiuuat etiam Piso, quod ab Vrbe discedit, & sceleris condemnat generum suum. Vos mea charissimæ animæ quamprimum ad me scribite, & vos quid agatis, & quid istic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus vobis salutem dicunt. Valete. vii. Cal. Quint. Minturnis.

T V L L I V S T E R E N T I A E S V A E S. D.

SI VALES, bene est: ego valeo. Constitueraui, ut ad te antea scripseram, obuiam Ciceronem Cæsari mittere: sed mutauimus consilium, quia de illius aduentu nihil audiebamus. De cæteris rebus, etsi nihil erat noui, tamen quid velimus, & quid hoc tempore putemus opus esse, ex Sicca poteris cognoscere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. xii. Cal. Quint.

T V L L I V S T E R E N T I A E S V A E S. D.

SI VALES, bene est: ego valeo. Etsi eiusmodi tempora nostra sunt, ut nihil habeam quod aut à te literarū expectem, aut ipse ad te scribam: tamen nescio quomodo & ipse vestras literas expecto, & scribo ad vos, cum habeo qui ferat. Volumnia debuit in te officiosior esse, quam fuit: & id ipsum quod fecit, potuit diligētius facere & cautius: quam alia sunt quæ magis curemus, magisque doleamus: quæ me ita conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de mea sententia detruserunt. Cura ut valeas. Prid. Non. Ian.

T V L L I V S T E R E N T I A E S V A E S. D.

SI QUID haberem quod ad te scriberem, facerem id & pluribus verbis, & sapius. nunc quæ sunt negotia vides. Ego autem quomodo sim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoscere. Tu fac ut tuam & Tullia valetudinem cures. Vale. M. i.

TULLIUS TERENTIAE, ET PATER SVAVISSIMAE
FILIAE, CICERO MATRI ET SORORI S. D. P.

CONSIDERANDVM vobis etiam atque etiam animam meam diligenter puto quid faciatis, Romane sitis, an mecum in aliquo tuto loco. id non solum meum consilium est, sed etiam vestrum. Mihi venit in mentem haec, Romae vos esse tuto posse per Dolabellam, eamque rem posse nobis adiumento esse, si qua vis, aut si qua rapina fieri coeperint. sed rursus illud me mouet, quod video omnes bonos abesse Roma, & eos mulieres suas secum habere. haec autem regio, in qua ego sum, nostrorum est tum oppidorum, tum etiam praediorum, ut & multum esse mecum, & cum abieritis, comode etiam in nostris praediis esse possitis. Mihi plane non satis constat adhuc, utrum sit melius. Vos videte quid alia faciant isto loco foeminae, & ne, cum velitis, exire non liceat. Id velim diligenter etiam atque etiam vobiscum, & cum amicis consideretis. Domus ut propugnacula & praesidium habeat, Philotimo dicetis. Et velim tabellarios instituatis certos, ut quotidie aliquas a vobis literas accipiam. Maxime autem date operam ut valeatis, si nos vultis valere. VIII. Cal. Febr. Formiis.

TULLIUS TERENTIAE SVAE S. D.

IN maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliae nostrae. de qua nihil est quod ad te plura scribam: tibi enim aequae magnae curae esse certo scio. Quod me propius vultis accedere, video ita esse faciendum: etiam ante fecissem: sed me multa impediunt, quae ne nunc quidem expedita sunt. sed a Pomponio expecto literas, quas ad me quamprimum perferendas cures velim. Da operam ut valeas.

TULLIUS TERENTIAE SVAE S. D.

IN Tusculanum nos venturos putamus aut Nonis, aut postridie. Ibi fac ut sint omnia parata: plures enim fortasse nobiscum erunt: & ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum si in balneo non est, fac ut sit: item caetera quae sunt ad victum, & ad valetudinem necessaria. Vale. v. Cal. Octob. de Venusino.

TULLIUS TERENTIAE SVAE S. D.

SI vales, bene est: ego valeo. Da operam ut conualescas: quod opus erit, ut res, tempusque postulat, prouideas atque administres, & ad me de omnibus rebus quam saepissimè literas mittas. Vale.

TULLIUS TERENTIAE SVAE S. D.

SI vales, bene est: ego valeo. Nos quotidie tabellarios vestros expectamus: qui si venerint, fortasse erimus certiores quid nobis faciendum sit, faciemusque te statim certiores. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Cal. Sept.

TULLIUS TERENTIAE SVAE S. D.

SI vales, bene est: ego valeo. Reddita mihi iam tandem sunt a Caesare literae satis liberales: & ipse opinione celerius venturus esse dicitur. Cui utrum obuiam procedam, an hic eum expectem, cum constituero, faciam te certiores. Tabellarios mihi velim quamprimum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Prid. Id. Sext.

TULLIUS TERENTIAE SVAE S. D.

SI vales, bene est: ego valeo. Nos neque de Caesaris aduentu, neque de literis, quas Philotimus habere dicitur, quicquam adhuc certi habemus. Siquid erit certi, faciam te statim certiores. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. III. Id. Sext.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD
SENATVM, ET ALIOS, LIBER XV.

M. TULLIUS M. F. CICERO PROCOS. S. P. D.
COSS. PRAETT. TRIBB. PL. S. P. Q. R.



SI vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Etsi non dubie mihi nuntiabatur Parthos transisse Euphratem cum omnibus ferè suis copiis: tamen quod arbitrabar a M. Bibulo Procos. certiora de his rebus ad vos scribi posse, statuebam mihi non necesse esse publice scribere ea, quae de alterius prouincia nuntiarentur. Postea verò quam certissimis authoribus, legatis, nuntiis, literis sum certior factus: vel quod tanta res erat, vel quod nondum audieramus Bibulum in Syriam venisse, vel quia administratio huius belli mihi cum Bibulo penè est communis: quae ad me delata essent, scribenda ad vos putavi. Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nuntiarunt Parthorum magnas copias Euphratem transire coepisse. Quo nuntio allato, cum essent nonnulli, qui ei Regi minorem fidem habendam putarent: statui expectandum esse, siquid certius afferretur. Ad XII. Cal. Octob. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniae & Cappadociae mihi literae redditae sunt a Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusque populi Ro. existimatur: Pacorum Orodus regis Parthorum filium cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse Tybæ: magnamque tumultum esse in prouincia Syria excitatum. Eodem die ab Iamblico Phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene sentire, amicamque esse Reipub. nostrae, literae de iisdem rebus mihi redditae sunt. His rebus allatis, etsi intelligebam socios infirmè animatos esse, & nouarum rerum expectatione suspensos: sperabam tamen eos, ad quos iam accesseram, quique nostram consuetudinem integritatemque perspexerant, amiciores populo Ro. esse factos: Ciliciam autem firmiorem fore, si aequitatis nostrae particeps facta esset. & ob eam causam & ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis essent, & ut hostis is qui esset in Syria, sciret exercitum populi Ro. non modò non cedere his nuntiis allatis, sed etiam propius accedere, exercitum ad Taurum institui ducere. Sed siquid apud vos autoritas mea ponderis habet, in iis praesertim rebus, quas vos audistis, ego penè cerno: magnopere vos & hortor & moneo, ut his prouinciis ferius vos quidè, quam decuit, sed aliquando tamen consulatis. Nos quemadmodum instructos, & quibus praesidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari. Quod ego negotium non stultitia obcaecatus, sed verecundia deterritus non recusavi. neque enim vnquam vllum periculum tantum putavi, quod subterfugere mallet, quam vestrae auctoritati obtemperare. Hoc autem tempore res sese sic habet, ut nisi exercitum tantum, quatum ad maximum bellum mittere soletis, maturè in has prouincias miseritis, summum periculum sit, ne amittendae sint omnes haec prouinciae, quibus vectigalia populi Ro. continentur. Quamobrem autem in hoc prouinciali delectu spem habeatis aliquam, causa nulla est: neque multi sunt: & diffugiunt, qui sunt, metu oblato: & quod genus hoc militum sit, iudicauit vir fortissimus M. Bibulus in Asia, qui cum ei permisisset, delectum habere noluerit. Nam sociorum auxilia propter acerbiter atque iniurias imperii nostri, aut ita imbecilla sunt, ut non multum nos iuuare possint: aut ita alienata a nobis, ut neque expectandum ab iis, neque committendum iis quicquam esse videatur. Regis Deiotari & voluntatem & copias, quantacumque sunt, nostras esse duco. Cappadocia est inanis. Reliqui Reges, tyrannique neque opibus satis firmi, nec voluntate sunt. Mihi in hac paucitate militum, animus certe non deerit: spero, ne consilium quidem, quid casurum sit, incertum est. utinam saluti nostrae consulere possimus: dignitati certe consulemus. Valete.

M. TVLLIVS M. F. CICERO PROCOS. S. D. T. C. O. S. S.

P. R. A. E. T. T. T. R. I. B. B. P. L. S. P. Q. R.

s I vos bene valetis, bene est: ego quidem valco. Cùm prid. Cal. Sext. in prouinciam venissem, neque maturius propter itinerum & nauigationum difficultatem venire potuissem: maximè conuenire officio meo, Reique pub. cōducere putavi, parare ea, quæ ad exercitum, quæque ad rem militarem pertinerent. Quæ cùm essent à me cura magis & diligentia, quàm facultate & copia constituta, nuntiique & literæ de bello à Parthis in prouinciam Syriam illato quotidie ferè afferrentur: iter mihi faciendum per Lycaoniam & per Isauros, & per Cappadociam arbitratus sum: erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi atque irumpere in meam prouinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quòd ea maximè pateret, esse facturos. Itaque cum exercitu per Cappadociam partem eam, quæ cum Cilicia continens est, iter feci: castraque ad Cibystra, quod oppidum est ad montē Taurum, locaui: vt Artuassdes Rex Armenius, quocumque animo esset, sciret non procul à suis finibus exercitum populi Rom. esse: & Deiotarum fidelissimum Regem, atque amicissimum Reip. nostræ, maximè cōiunctum haberem hominem, cuius & consilio & opibus adiuuari posset Resp. Quo cùm in loco castra haberem, equitatumque in Ciliciam misissem, vt & meus aduentus iis ciuitatibus, quæ in ea parte essent, nuntiatas, firmiores animos hominum faceret, & ego maturè, quid ageretur in Syria, scire possem: tempus eius tridui, quod in his castris morabar, in magno officio & necessario mihi ponendum putavi. Cùm enim vestra autoritas intercessisset, vt ego Regem Ariobarzanē, Eusebem & Philoromæum tuerer, eiusque Regis salutem & incolumitatem regni defenderē, Regi, regnòque præsidio essem: adiunxissetisque salutem eius Regis populo Senatuque magnæ curæ esse, quod nullo vnquã de Rege decretum esset à nostro ordine: existimaui me iudicium vestrū ad Regē deferre debere, eique præsidium meum, & fidem, & diligentiam polliceri: vt quando salus ipsius, & incolumitas regni mihi cōmendata esset à vobis, diceret, siquid vellet. Quæ cùm essem in consilio meo cū Rege locutus, initio ille orationis suæ vobis maximas, vt debuit, deinde etiam mihi gratias egit, quòd ei permagnum & perhonorificum videbatur, Senatui populòque Ro. tantæ curæ esse salutem suam, meque tantam diligentiam adhibere, vt & mea fides & commendationis vestræ autoritas perspici posset. Atque ille primò quod mihi maximæ lætitiæ fuit, ita mecum locutus est, vt nullas invidias neque vitæ suæ, neque regno diceret se aut intelligere fieri, aut etiam suspicari. Cùm ei ego gratulatus essem, idque me gaudere dixissem, cohortatus vt recordaretur casum illum interitus patris, & vigilanter se tueretur, atque admonitu Senatus consuleret salutem suam: tum à me discessit in oppidum Cibystra. Postero autem die cum Ariarathe fratre suo & cum patris amicis maioribus natu ad me in castra venit: perturbatusque & flens, cùm idem & frater faceret & amici, meam fidem, vestram commédationem implorare cœpit. Cùm admirarer quid accidisset noui: dixit, ad se indicia manifestarum invidiarum esse delata, quæ essent ante aduentum meum occultata: quòd ii, qui ea patefacere possent, propter metum reticuisissent: eo autem tempore spe mei præsidii compluris ea quæ scirent, audacter ad se detulisse, in his amatiissimum sui, summa pietate præditum fratrem dicere ea, quæ is me quoque audiente dicebat, se sollicitatum esse vt regnare vellet: id viuo fratre suo accidere non potuisse: se tamen ante illud tempus eam rem nunquam in medium propter periculi metum protulisse. Quæ cùm esset locutus, monui Regem vt omnem diligentiam ad se conseruandum adhiberet: amicòsque in patris eius fide atque iudicio probatos hortatus sum, Regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris eius, omni cura custodiãque defenderent. Cùm Rex à me equitatum, cohortesque de exercitu meo postularet: etsi intelligebam vestro s. c. non modò posse me id facere, sed etiã debere: tamen cùm Resp. postularer propter quotidianos ex Syria nuntios, vt quæprimum exercitum ad Ciliciæ fines adducerē: cùmque mihi Rex patefactis iam insidiis non egere

exercitu populi Rom. sed posse se suis opibus defendere videretur: illum cohortatus sum, vt in sua vita conseruanda primùm regnare disceret: à quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos vteretur iure regio: pœna afficeret eos, quos necesse esset: reliquos metu liberaret: præsidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorem potius, quàm ad contentionem vteretur. fore autem vt omnes, quando s. c. nossent, intelligerent me regi, si opus esset, ex autoritate vestra præsidio futurum. Ita confirmato illo, ex eo loco castra moui, & iter in Ciliciam facere institui: cùm hac opinione è Cappadocia discederem, vt cōsilio vestro, casu incredibili, ac penè diuino Regem, quem vos honorificentissimè appellassetis nullo postulante, quemque meæ fidei commendassetis, & cuius salutem magnæ vobis curæ esse decreuissetis, meus aduentus præsentibus insidiis liberasset. Quod ad vos à me scribi, non alienum putavi, vt intelligeretis ex iis, quæ penè acciderunt, vos multò antè, ne ea acciderēt, prouidisse: eoque vos studiosius feci certiores, quòd in Rege Ariobarzane ea mihi signa videor virtutis, ingenii, fidei, benevolentiaque erga vos perspexisse, vt non sine causa tantam curam, diligentiamque in eius vos salutem videamini contulisse. Valete.

M. T. CICERO IMP. S. D. M. CATONI.

c v' M ad me legati missi ab Antiocho Commageno, venissent in castra ad Iconium ante diem III. Non. Sept. iique mihi nuntiaissent Regis Parthorū filium, quocum esset nupta Regis Armeniorum soror, ad Euphratem cum maximis Parthorū copiis, multarumque præterea gentium magna manu venisse, Euphratēque iam transire cœpisse, dicique Armenium Regem in Cappadociam impetum esse facturum: putavi pro nostra necessitudine me hoc ad te scribere oportere. Publicè propter duas causas nihil scripsi: quòd & ipsum Commagenum legati dicebant ad Senatum statim nuntios literasque misisse: & existimabam M. Bibulum Procos. qui circiter Id. Sext. ab Epheso in Syriam nauibus profectus erat, quòd secundos ventos habuisset, iam in prouinciã suam peruenisse: cuius literis omnia certiora perlatum iri ad Senatum putabam. Mihi, vt in huiusmodi re, tantòque bello, maximæ curæ est, vt quæ copiis & opibus tenere vix possumus, ea mansuetudine & continentia nostra, sociorū fidelitate teneamus. Tu velim, vt consuesti, nos absenteis diligas & defendas. Vale.

M. T. CICERO IMP. S. D. M. CATONI.

s v m m a tua autoritas fecit, meumque perpetuum de tua singulari virtute iudicium, vt magni mea interesse putarē, & res eas, quas gessissem, tibi notas esse, & non ignorari à te, qua æquitate & continētia tuerer socios, prouinciãque administrarē. His enim à te cognitis, arbitrabar facilius me tibi, quæ vellem, probaturum. Cùm in prouinciam prid. Cal. Sext. venissem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundem viderem: biduum Laodiceæ fui, deinde Apamæ quatrimum, triduum Synnadis, totidem dies Philomeli. Quibus in oppidis cū magni conuentus fuissent, multas ciuitates acerbissimis tributis & grauissimis vsuris, & falso ære alieno liberaui. Cùmque ante aduentum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine Tribuno mil. denique etiam sine centurione vllò apud Philomelum cōsedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia: M. Anneio legato imperaui, vt eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactòque in vnum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. Quod cùm ab illo diligenter esset actum, ego in castra ad v. Cal. Sept. veni: cùm interea superioribus diebus ex s. c. & euocatorum firmam manum, & equitatum fati idoneum, & populorū liberorum, Regumque sociorum auxilia voluntaria comparuissem. Interim cùm exercitu lustrato iter in Ciliciam facere cœpisssem, Cal. Sept. legati à Rege Commageno ad me missi, pertumultuose, neque tamen non verè, Parthos in Syriam transisse nuntiauerunt. Quo audito, vehemēter sum commotus cùm de Syria, tum de mea prouincia, de reliqua denique Asia. Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionē eam, quæ Ciliciam attingeret, putavi.

Nam si me in Ciliciam demissem, Ciliciam quidem ipsam propter motus Amani naturam facile tenuissem (duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria, quorum vterque paruis praesidiis propter angustias intercludi potest: nec est quicquam Cilicia contra Syriam munitius) sed me Cappadocia mouebat, quae patet à Syria, Regemque habet finitimos, qui etiam si sunt amici nobis, tamen aperte Parthis inimici esse non audent. Itaque in Cappadocia extrema non longè à Tauro apud oppidum Cibystra castra feci, vt & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens, noua finitimorum consilia impedirem. Interea in hoc tanto motu, tantaque expectatione maximi belli, Rex Deiotarus, cui non sine causa plurimùm semper & meo & tuo, & Senatus iudicio tributum est, vir cum beneuolentia & fide erga populum Ro. singulari, tum praesentia, magnitudine & animi & consilii legatos ad me misit, se cum omnibus suis copiis in mea castra esse venturum. Cuius ego studio, officioque commotus, egi ei per literas gratias: idque vt maturaret, hortatus sum. Cum autè ad Cibystra propter rationem belli quinque dies essem comoratus, Regem Ariobarzanè, cuius salutem à Senatu te authore comendatam habebam, praesentibus insidiis nec opinantem liberaui: neque solum ei saluti fui, sed etiam curauì vt cum autoritate regnaret. Metram & eum, què tu diligenter mihi comendas, Athenæum, importunitate Athenaidis exilio multatos, maxima apud Regem autoritate gratiaque constitui. Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolecens & equitatu & peditatu & pecunia paratus, & omnino iis qui nouari aliquid volebant: perfecì vt è regno ille discederet, Rexque sine tumultu ac sine armis, omni autoritate aulae communita, regnum cum dignitate obtineret. Interea cognoui multorum literis atque nuntiis, magnas Parthorum copias, & Arabum ad oppidum Antiochiam accessisse, magnumque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum turmis, & à cohorte pratoria, quae erat Epiphaneæ praesidii causa, occisione occisum. Quare cum viderè à Cappadocia Parthorum copias auersas, non longè à finibus esse Ciliciae: quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Quo vt veni, hostem ab Antiochia recessisse, Bibulum Antiochia esse cognoui, Deiotarumque confestim iam ad me venientem cum magno & firmo equitatu & peditatu, & cum omnibus suis copiis, certiore feci, non videri esse causam, cur abesset à regno, meque ad eum, siquid noui forte accidisset, statim literas nuntiosque miserum esse. Cumque eo animo venissem, vt vtrique prouincia, si ita tempus ferret, subuenirem: tamen id quod iam antè statueram vehementer interesse vtriusque prouincia, pacare Amanum & perpetuum hostem ex eo monte tollere, agere perrexi. Cumque me discedere ab eo monte simulassem, & alias parteis Ciliciae petere, abessemque ab Amanum iter vnus diei, & castra apud Epiphaneam fecissem: ad 1111. Id. Octob. cum aduesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, vt ad 1111. Id. Octob. cum lucefceret, in Amanum ascenderem: distributisque cohortibus & auxiliis, cum aliis Quintus frater legatus mecum simul, aliis C. Pontinus legatus, reliquis M. Anneius, & L. Tulleius legati praesent, plerosque nec opinanteis oppressimus, qui occisi captique sunt interclusi fuga. Eranam autem, quae fuit non vici instar, sed vrbs, quod erat Amani caput, itèmq; Sepyram & Ceminorim, acriter & diu repugnantibus, Pontino illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore vsque ad horam diei decimam, magna multitudine hostium occisa, cepimus: castellaque sex capta, complura incendimus. His rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuimus apud aras Alexandri quadriduum: & in reliquiis Amani delendis, agrisque vastandis, quae pars eius montis meae prouincia est, id tempus omne consumpsimus. Confectis his rebus, ad oppidum Eleutherocilicum Pindenissum exercitum adduxi. Quod cum esset altissimo & munitissimo loco, ab iisque incoleretur, qui ne Regibus quidem vnquam paruissent, cum & fugitiuos reciperent, & Parthorum aduentum acerrimè expectarent: ad existimationem imperii pertinere arbitratus sum, comprimere eorum audaciam,

quò facilius etiam caeterorum animi, qui alieni essent ab imperio nostro, frangerentur. Vallo & fossa circumdedi: sex castellis castrisque maximis sepsi: aggere, vineis, turribus oppugnaui: vsusque tormentis multis, multis sagittariis, magno labore meo, sine vlla molestia sumptuue sociorum, septimo quinquagesimo die rem confeci, vt omnibus partibus vrbs disturbatis aut incensis, compulli in potestatem meam peruenirent. His erant finitimi pari scelere & audacia Tibarani, ab his Pindenisso capto, obsides accepi: exercitum in hyberna dimisi. Quintum fratrem negotio praeposui, vt in vicis aut captis, aut malè pacatis exercitus collocaretur. Nunc velim tibi sic persuadeas, si de his rebus ad Senatum relatum sit, me existimaturum summam mihi laudem tributam, si tu honorem meum sententia tua comprobaris. Idque etsi talibus de rebus grauissimos homines & rogare solere, & rogari scio: tamen admonendū potius te à me quam rogandum puto. Tu es enim is, qui me tuis sententiis sapissimè ornaisti: qui oratione, qui praedicatione, qui summis laudibus in Senatu, in concionibus ad caelum extulisti: cuius ego semper tanta esse verborum pondera putauì, vt vno verbo tuo cum mea laude coniuncto, omnia consequi me arbitrarer. Te denique memini, cum cuiusdam clarissimo atque optimo viro supplicationem non decerneres, dicere te decreturum, si referretur ob eas res, quas is Consul in vrbe gessisset. Tu idè mihi supplicationem decreuisti togato, non vt multis, Repub. bene gesta, sed vt nemini, Repub. conseruata. Mitto quòd inuidiam, quòd pericula, quòd omneis meas tempestates & subieris, & multò etià magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris: quòd denique inimicum meum, tuum inimicum putaris: cuius etiam interitum, vt facile intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis causa in Senatu defendenda approbaris. A me autem haec sunt profecta, quae ego in beneficii loco non pono, sed in veri testimonii atque iudicii: non vt praestantissimas tuas virtutes tacitus admirarer (quis enim in te id non facit?) sed in omnibus orationibus, sententiis dicendis, causis agendis, omnibus scriptis, Graecis, Latinis, omni denique varietate literarum mearum te non modò iis, quos vidissemus, sed iis, de quibus audissemus, omnibus anteferrem. Quares fortasse quid sit, quòd ego hoc nescio quid gratulationis & honoris à Senatu tanti aestimem. Agam iam tecum familiariter, vt est & studiis, & officiis nostris mutuis, & summa amicitia dignum, & necessitudine etiam paterna. Si quisquam fuit vnquam remotus & natura, & magis etiam (vt mihi quidem sentire videor) ratione atque doctrina, ab inani laude & sermonibus vulgi: ego profectò is sum. Testis est Consulatus meus: in quo sicut in reliqua vita, fateor ea me studiosè secutum, ex quibus vera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriam per se nunquam putauì expetendam. Itaque & prouinciam ornatam, & spem non dubiam triumphum neglexi. sacerdotium denique, cum (quemadmodum te existimare arbitror) non difficillimè consequi possem, non appetiui. Idem post iniuriam acceptam, quam tu Reipub. calamitatem semper appellas, meam non modò non calamitatè, sed etiam gloriam, studui quam ornatisissima Senatus, populique Rom. de me iudicia intercedere. Itaque & Augur postea fieri volui, quod antea neglexeram: & eum honorem, qui à Senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum à me olim, nunc mihi expetendū puto. Huic meae voluntati, in qua inest aliqua vis desiderii ad sanandū vulnus iniuria, vt faueas, adiutorque sis, quod paulò antè me negaram rogaturū, vehementer te rogo. sed ita si non ieiunū hoc nescio quid, quod ego gessi, & contèndum videbitur, sed tale atque tantum, vt multi nequaquam paribus rebus honores summos à Senatu consecuti sint. Equidem etiam mihi illud animaduertisse videor (scis enim quam attètè te audire soleam) te non tam res gestas, quam mores, instituta, atque vitam imperatorū spectare solere in habendis aut non habendis honoribus. Quod si in mea causa considerabis, reperies me exercitu imbecillo contra metum maximi belli firmissimū praesidium habuisse, & equitatè & còtinètiā. His ego subsidiis ea sum consecutus, quae nullis legionibus consequi potuissem: vt ex alienissimis fociis amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderè, animosq;

nouarum rerū expectatione suspensos, ad veteris imperii beneuolētiam traducerē. Sed nimis hæc multa de me, præsertim ad te, à quo vno omnium sociorū querelæ audiūtur. Cognosces ex iis, qui meis institutis se recreatos putāt. Cūque omnes vno propè consensu de me apud te ea quæ mihi optatissima sunt, prædicabūt: tum duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus insula & Cappadociæ regnū, tecum de me loquētur: puto etiā Regem Deiotarum, qui vni tibi est maximè necessarius. Quæ si etiam maiora sunt, & in omnibus seculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates, quàm qui hostium copias vincerent: est profectò tuum, cū ad res bellicas hæc, quæ rariora & difficiliora sunt, genera virtutis adiunxeris, ipsas etiam illas res gestas iustiores esse & maiores putare. Extremum illud est, vt quasi diffidens rogationi meæ, philosophiam ad te allegem: quæ nec mihi charior vlla vnquam res in vita fuit, nec hominum generi maius à deis munus vllum est datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum communis est, societas studiorum atque artium nostrarū, quibus à pueritia dediti ac deuincti, soli propemodum nos philosophiam illam veram & antiquam, quæ quibusdam otii esse ac delitiæ videtur, in forum atque in Remp. atque in ipsam aciem penè deduximus, tecum agit de mea laude, cui negari à Catone fas esse non puto. Quamobrem sic tibi persuadeas velim, si mihi tua sententia tributus honos ex meis literis fuerit, me existimaturum, cū autoritate tua, tum beneuolentia erga me mihi, quod maximè cupierim, contigisse. Vale.

M. CATO M. CICERONI IMP. S. P. D.

QVOD & Resp. me, & nostra amicitia hortatur, libenter facio, vt tuam virtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris, pari industria administrare gaudeam. Itaque quod pro meo iudicio facere potui, vt innocentia cōsilioque tuo defensam prouinciam, seruatū Ariobarzani cum ipso rege regnum, sociorum reuocatam ad studium imperii nostri voluntatem, sententia mea & decreto laudarem, feci: supplicationem decretam, si tu, qua in re nihil fortuitò, sed summa tua ratione & continentia Reip. prouisum est, diis immortalibus gratulari nos, quàm tibi, referre acceptum mauius, gaudeo. Quòd si triumphi prærogatiuam putas supplicationem, & idcirco casum potius, quàm te, laudari vis: neque supplicationem sequitur semper triumphus: & triumpho multò clarius est, Senatum iudicare potius mansuetudine & innocentia imperatoris prouinciam, quàm vi militum, aut benignitate deorum tentam atque conseruatam esse: quod ego mea sentētia censebam. Atque hæc ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, vt, quod maximè volo, existimes me laborare, vt tibi persuadeam, me & voluisse de tua maiestate, quod amplissimum sum arbitratus, & quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale, & nos dilige, & instituto itinere seueritatem diligentiamque focis & Reip. præsta. Vale.

M. T. CICERO M. CATONI S. D.

LAE TVS sum laudari me (inquit Hector, opinor apud Næuium) abs te pater laudato viro. ea est enim profectò iucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Ego verò vel gratulatione literarum tuarum, vel testimoniis sententiæ dictæ, nihil est quod me non affectum putem. idque mihi tum amplissimū, tum gratissimum est, te libenter amicitia dedisse, quod liquidò veritati dares. & si non modò vnus, verum etiam multi Catones essent in ciuitate nostra, in qua vnum extitisse mirabile est, quem ego currū, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem: nam ad meum sensum, & ad illud syncerum ac subtile iudicium nihil potest esse laudabilius, quàm ea tua oratio, quæ est ad me perscripta à meis necessariis. Sed causam meam voluntatis (non enim dicam cupiditatis) exposui tibi superioribus literis: quæ etiam si parū iusta tibi visa est, hanc tamen habet rationem, non vt nimis concupiscendus honos, sed tamen, si deferatur à Senatu, minimè aspernandus esse videatur. Spero autem illum ordinem pro meis ob Remp. susceptis laboribus, me non indignum honore, vilitate præsertim, existimaturum. Quod si ita erit, tantum ex te peto, quod amicissimè scribis, vt, cū tuo iu-

dicio, quod amplissimū esse arbitraris, mihi tribueris, si id, quod maluero, acciderit, gaudeas: sic enim fecisse te, & sensisse, & scripsisse video: resque ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse iucundum, quòd scribēdo affuisti. Hæc enim s. c. non ignoro ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, scribi solere. Ego, vt spero, te propediem videbo, atque vtinam Rep. meliore, quam timeo. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. S. D. M. MARCELLO COS.

TE ET pietatis in tuos, & animi in Remp. & clarissimi atque optimi Consulatus C. Marcello Consule facti fructum cepisse vehementer gaudeo. Non dubito quid præsentis sentiant. nos quidē longinqui, & à te ipso missi in vltimas gentes ad cælum mercurule te tollimus verissimis ac iustissimis laudibus. Nam cū te à pueritia tua vnice dilexerim, tūque me in omni genere semper amplissimum esse & volueris & iudicaris: tamen hoc vel tuo facto, vel populi Rom. de te iudicio multò acrius vehementiusque diligo: maximaque lætitia afficior, cū ab hominibus prudentissimis, virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, vel me tui similem esse audio, vel te mei. Vnum verò si addis ad præclarissimas res Consulatus tui, vt aut mihi succedat quāprimū aliquis: aut nequid accedat tēporis ad id quod tu mihi & s. c. & lege finisti: omnia me per te consecutum putabo. Cura vt valeas, & me absentem diligas atque defendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt: quia non putabam à me etiam nunc scribenda esse publicè, propterea ne pro familiaritate quidē nostra volui ad te scribere: ne cū ad Consulem scripsissem, publicè viderer scripsisse. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. C. MARCELLO COS. DES. S. D.

MAXIMA sum lætitia affectus, cū audiui te Consulem factum esse: eūque honorem tibi deos fortunare volo, atque à te pro tua, parentisque tui dignitate administrari. Nam cū te semper dilexi, amauique, quòd mei amantissimum cognoui in omni varietate rerum mearum, tum patris tui pluribus beneficiis, vel defensus tristibus temporibus, vel ornatus secundis: necesse est vt & sim totus vester, & esse debeam: cū præsertim matris tuæ grauissimæ atque optimæ fœminæ maiora erga salutem dignitatēque meam studia, quàm erant à muliere postulada, perspexerim. Quapropter à te peto maiorem in modum, vt me absentem diligas atque defendas. Vale.

M. T. CICERO PROCOS. M. MARCELLO COLLEGE S. D.

MARCELLVM tuum Consulem factum, tēque ea lætitia affectum esse, quam maximè optasti, mirum in modum gaudeo: idque cū ipsius causa, tum quòd te omnibus secundissimis rebus dignissimū iudico: cuius erga me singularem beneuolentiam vel in labore meo, vel in honore perspexi: totam denique domum vestram vel salutis vel dignitatis meæ studiosissimam cupidissimamque cognoui. Quare gratum mihi feceris, si vxori tuæ Iunia, grauissimæ atque optimæ fœminæ, meis verbis eris gratulatus. At te id, quod consueisti, peto, me absentem diligas atque defendas. Vale.

M. T. CICERO IMP. C. MARCELLO C. F. COS. S. P. D.

QVANDO id accidit, quod mihi maximè fuit optatum, vt omnium Marcellorum, Marcellinorū etiam, (mirificus enim generis ac nominis vestri fuit erga me semper animus) quando ergo ita accidit, vt omnium vestrum studio tuus Consulatus satisfacere posset, in quem meæ res gesta, lausque & honor earū potissimum incideret: peto à te id, quod facillimū factu sit, non aspernante, vt confido, Senatu, vt quam honorificentissimum s. c. literis meis recitatis faciendum cures. Si mihi tecum minus esset, quàm est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè diligi. Patris tui beneficia in me sunt amplissima: neque enim saluti meæ, neque honori amicior quisquam dici potest. frater tuus quanti me faciat, semperque fecerit, esse hominem qui ignoret, arbitror neminem. domus tua denique tota me semper omnibus summis officiis profecuta est: neque verò tu in me diligendo cuiquam concessisti tuorū. Quare à te peto maiorem in modum, vt me per te quam ornatissimum velis esse, meamque

& in supplicatione decernenda, & in cæteris rebus existimationem fati tibi esse commendatam putes. Vale.

M. T. CICERO IMP. C. MARCELLO COS. S. P. D.

QUANTAE tibi curæ meus honos fuerit, & quàm idē extiteris Consul in me ornando & amplificando, qui fueras semper cū parentibus tuis, & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognoui tamen ex meorum omnium literis. Itaque nihil est tantum, quod ego non tua causa debeam, facturūque sim, cū studiose, tum libenter. Nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quàm tibi, cui me cū studia communia, beneficia paterna, tuāque iam antè coniunxerant: tum accedit, mea quidem sententia, maximum vinculum, quod ita Remp. geris, atque gessisti, qua mihi charius nihil est, ut quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego vnus debeam, nō recusem. Quamobrem tibi velim ii sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego, si me nauigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsas Etesias, propediem te, ut spero, videbo. Vale.

M. CICERO IMP. L. PAVLO COS. DES. S. D.

ETSI mihi nunquam fuit dubium, quin te populus R. pro tuis summis in Remp. meritis, & pro amplissima familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis Consulē factururus esset: tamen incredibili lætitia sum affectus, cū id mihi nuntiatum est: cūque honorem tibi deos fortunare volo, à teque ex tua, maiorūque tuorum dignitate administrari. Atque utinam præsens illum diem mihi optatissimum videre potuissem, proque tuis amplissimis erga me studiis, atque beneficiis tibi operam meam, studiūque nauare. Quam mihi facultatem quando hic nec opinatus, & improuisus prouinciæ casus eripuit: tamen ut te Consulē Remp. pro tua dignitate gerentē videre possim, magnopere à te peto ut operam des, efficias nequid mihi fiat iniuriæ, neue quid temporis ad meum annuū munus accedat. quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Vale.

M. T. CICERO IMP. L. PAVLO COS. S. D.

MAXIME mihi fuit optatum, Romæ esse tecum, multas ob causas, sed præcipuè ut & in petendo, & in gerendo Consulatu, meum tibi debitum studium perspicere posses. Ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen nauare operam volebam. In Consulatu verò cupio equidē te minus habere negotii: sed molestè fero me Consulē tuum studiū adolescentis perspexisse, te meū, cū id ætatis sim, perspicere nō posse. Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandū nihil suppetat præter voluntatem. Ornasti Consulatu, ornasti reditum meum. incidit meum tempus rerum gerendarum in ipsum Consulatum tuum. Itaque cū & tua summa amplitudo, & dignitas, & meus magnus honos, magnaque existimatio postulare videatur, ut à te pluribus verbis contendam ac petam, ut quā honorificentissimum s. c. de meis rebus gestis faciendum cures: non audeo vehementer à te contendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ consuetudinis erga me oblitus esse videar, aut te oblitum putem. Quare ut te velle arbitror, ita faciam: atque ab eo, quem omnes gentes sciunt de me optimè meritum, breuiter petam. si alii Consules essent, ad te potissimum Paule mitterē, ut eos mihi quamamicissimos redderes: nunc cū tua summa potestas, summāque authoritas, notaque omnibus nostra necessitudo sit, vehementer te rogo ut & quā honorificentissimè cures decernendum de meis rebus gestis, & quam celerimè. dignas res esse & honore & gratulatione, cognosces ex iis literis, quas ad te, & collegam, & Senatum publicè misi, omniumque mearum reliquarum rerum, maximèque existimationis meæ procurationem susceptam velim habeas: in primisque tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoque literis petiui, ne mihi tēpus prorogetur. Cupio te Consulē videre, omniāque, quæ spero, cū absens, tum etiam præsens te Consule assequi. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO PRO Q. VAES. S. D.

M. FABIVM quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaestum: multi enim anni sunt, cū ille in ære meo est, & à me diligitur propter summam suam humanitatē & obseruantiam. Sed tamen, quod te ab eo egregiè diligi sensi, multo amicior ei sum factus. Itaque quanquam profecerunt literæ tuæ: tamen aliquantō plus cōmendationis apud me habuit animus ipseus erga te mihi perspectus & cognitus. Sed de Fabio faciemus studiose, quæ rogas. Tu multis de causis vellem me conuenire potuisses: primū ut te, quem iandiu plurimi facio, tanto interuallo viderem: deinde ut tibi, quod feci per literas, possem præsens gratulari: tum ut quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos cōmunicarem: postremò ut amicitia nostra, quæ summis officiis ab vtroque culta est, sed longis interuallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur vehementius. Id quando non accidit, utemur bono literarum, & eadem ferè absentes, quæ si coram essemus, consequemur. Vnus scilicet ille fructus, qui in te videndo est, percipi literis non potest: alter gratulationis est, is quidem exilior, quàm si tibi, te ipsum intuens, gratularer: sed tamen & feci antè, & facio nunc, tibi que cū pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de prouincia decedentem summa laus & summa gratia prouinciæ profecuta est. Tertium est, ut id, quod de nostris rebus coram cōmunicassemus inter nos, conficiamus idem literis. Ego cæterarum rerum causa tibi Romam properandum magnopere censeo. nam & ea quæ reliqui, tranquilla de te erāt: & hac tua recenti victoria tanta clarum aduentum tuum fore intelligo. Sed si quæ sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis, nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius: sin maiora, considera, ne in alienissimum tempus cadat aduentus tuus. huius rei totum consilium tuum est: tu enim scis quid sustinere possis: si potes, laudabile atque populare est: sin planè non potes, absens hominum sermones facilius sustinebis. De me autem idem tecum his ago literis, quod superioribus egi, ut omneis tuos neruos in eo contendas, nequid mihi ad hanc prouinciam, quam & Senatus & populus annuam esse voluit, temporis prorogetur. Hoc à te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. Habes Paulum nostrum nostri cupidissimum: est Curio, est Furnius. Sic velim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. Extremum illud est de iis quæ proposueram, confirmatio nostræ amicitia: de qua pluribus verbis nihil opus est. Tu puer me appetisti. Ego autem semper ornamento te mihi fore duxi. fuisse etiam præsidio tristissimis meis temporibus. Accessit post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in vestro ingenio & industria mihi plurimum & suauitatis & dignitatis constitutum puto. id tu ut tuo studio confirmes, te vehementer rogo: literasque ad me & continuo mittas, & cū Romam veneris, quam sapissimè. Vale.

M. T. CICERO S. D. C. CASSIO.

ETSI vterque nostrū spe pacis & odio ciuili sanguinis abesse à belli pertinacia voluit: tamen quando eius consilii princeps ego fuisse videor, plus fortasse tibi præstare ipse debeo, quàm à te expectare. etsi, ut saepe soleo mecum recordari, sermo familiaris meustecum, & item mecum tuus adduxit vtrūque nostrū ad id consilium, ut vno pralio putarem, si non totam causam, at certè nostrum iudicium definiri conuenire. Neque quisquam hanc nostram sententiam verè vnquam reprehendit, præter eos, qui arbitrantur melius esse deleri omnino Rēp. quàm imminutam & debilitatam manere. Ego autem ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam: ex reliquiis magnam. sed ea sunt consecuta, ut magis mirum sit accidere illa potuisse, quàm nos non vidisse ea futura, nec, cū homines essemus, diuinare potuisse. Equidem fateor meam coniecturam hanc fuisse, ut illo quasi quodam fatali pralio facto, & victores communi saluti consulere vellent, & victi suæ. vtrūque autē positum esse arbitrabar in celeritate victoris. Quæ si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa, quam cognouit Asia,

quam etiam Achaia, & vt opinor, ipso legato ac deprecatore. Amiffis autem temporibus, quæ plurimū valent, præsertim in bellis ciuilibus, interpositus annus alios induxit 42 vt victoriam sperarent, alios vt ipsum vinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam fortuna sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adiunctum iri, aut nescio quem istum Pharnacem Asia terrorem illaturum putaret? Nos tamen in consilio pari, casu dissimili vsi sumus: tu enim eam partem petisti, vt & consiliis interesses, & quod maximè curam leuat, futura animo prospicere posses: ego qui festinaui vt Cæsarem in Italia viderem (sic enim arbitrabamur) eumque multis honestissimis viris conseruatis redeuntem, ad pacem currentem, vt aiunt, incitarem, ab illo longissimè & absuni, & abfui. Versor autem in gemitu Italia, & in Urbis miserrimis querelis: quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset, si author affuisset. Quare velim pro tua erga me perpetua beneuolentia scribas ad me quid videas, quid sentias, quid expectandum, quid agendum nobis existimes. 43 magni erunt mihi tuæ literæ. Atque vtinam primis illis, quas Luceria miseris, paruiffem: sine vlla enim molestia dignitatem meam retinuissem. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

P V T O T E iam suppedere, cum hæc te tertia iam epistola antè oppressit, quàm tu schedulam aut literam: sed non vrgeo: longiores enim expectabo, vel potius exigam. Ego si semper haberè cui darem, vel ternas in hora darem. fit enim nescio quid, vt quasi coram adesse videre, cum scribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδῶλον φαντασίας, vt dicunt tui amici noui, qui putant etiam δαιμονικῆς φαντασίας spectris Catianis excitari. nam, ne te fugiat, Catus Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius, etiā antè Democritus εἰδῶλον, hic spectra nominat. His autem spectris etiam si oculi possent 44 feriri, quòd velis ipsa currunt: animus qui possit, ego non video. Doceas tu me oportebit, cum saluus veneris, in meane potestate sit spectrum tuum, vt simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat: neque solum de te, qui mihi hæres in medullis: sed si insulam Britanniam cæpero cogitare, eius εἰδῶλον mihi aduolabit ad pectus. Sed hæc posterius: tento enim te, quo animo accipias: si enim stomachabere, & molestè feres, plura dicemus, postulabimúsque ex qua hæresi vi hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi, in hoc anno. Quare si iam bienniū aut triennium est, cum virtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit. quanquā quicum loquor: cum vno fortissimo viro: qui postea quàm forum attigisti, nihil fecisti nisi plenissimū amplissimæ dignitatis. in ista ipsa αἰρέσει me- 45 tuo ne plus neruorum sit, quàm ego putarim, si modò eam tu plus probas. Quid tibi in mentem venit, inquires? Quia nihil habebam aliud quod scriberem: de Rep. enim nihil scribere possum: neque enim, quod sentio, libet scribere. Vale.

M. CICERO S. D. C. CASSIO.

P R A E P O S T E R O S habes tabellarios: etsi me quidem non offendunt: sed tamen cum à me discedunt, flagitant literas: cum ad me veniunt, nullas afferunt. Atque id ipsum facerent commodius, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent: sed petasati veniunt: comites ad portam expectare dicunt. Ergo ignosces: alteras habebis has breuicis: sed expecta πρὸς τὴν πόλιν. Etsi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me inanes veniant, ad te cum epistolis reuertantur? Nos hinc (tamen ad te scribam aliquid) D. Syllam patrem mortuum habebamus: alii à latronibus, alii cruditate dicebāt. populus non curabat: combustum enim esse constabat. hoc tu pro sapientia tua feres 46 æquo animo. quanquam τὸ πρὸς τὴν πόλιν amissimus. Cæsarem putabant molestè latuum, verentem ne hasta refrixisset. Mindius Marcellus & Attius pigmentarius valde gaudebant se aduersarium perdidisse. De Hispania noui nihil: sed expectatio valde magna: rumores tristiores, sed ἀδέσποτοι. Pansa noster paludatus ad III. Cal. Ian. profectus est, vt quiuis intelligere possit, id quod tu nuper dubitare cœpisti, ὅτι καλὸν δὲ αὐτῷ

αἰρέσει esse. nam quòd multos miseris leuauit, & quòd se in his malis hominem præbuit, mirabilis eum virorum bonorum beneuolentia profecuta est. Tu quòd adhuc Brundusii moratus es, valde probo & gaudeo, & mehercule puto te sapienter facturum, si ἀκείνου ὄσσου δὲ fueris. nobis quidem, qui te amamus, erit gratum: & amabo te, cum dabis 47 posthac aliquid domum literarum, mei memineris. Ego nunquam quenquam ad te, cum sciam, sine meis literis ire patiar. Vale.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

L O N G I O R epistola fuisset, nisi eo ipso tempore petita esset à me, cum iam iretur ad te: longior etiam, si φλύαρον aliquem habuisset: nam σπουδαίῳ sine periculo vix possumus. Ridere igitur, inquires, possumus. Non mehercule facillimè: veruntamen aliam aberrationem à molestiis nullam habemus. Vbi igitur, inquires, philosophia: tua quidem in culina, mea molesta est: pudet enim seruire. Itaque facio, me alias res agere, ne conuitium Platonis audiam. De Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino noui. Te abesse, mea causa molestè fero: tua, gaudeo. sed flagitat tabellarius. Valebis igitur, meque, vt à puero fecisti, amabis.

C. CASSIUS S. D. M. CICERONI.

N O N mehercule in hac mea peregrinatione quicquam libentius facio, quàm scribo ad te: videor enim cum præfente loqui & iocari. Nec tamen hoc vsu venit propter spectra Catiana: pro quo tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos regeram, vt Catium Athenis natum esse dicas. Pansam nostrum secunda voluntate hominum paludatum ex vrbe exisse, cum ipsius causa gaudeo, tum mehercule etiam omnium nostrum. spero enim homines intellecturos, quanto sit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas & clementia: atque ea, quæ maximè mali petant & concupiscant, ad bonos peruenire. difficile est enim hominibus persuadere, ὅτι καλὸν δὲ αὐτῷ αἰρέσει esse: ἠδονὴν verò, & ἀλλοτρίαν virtute, iustitia, πρὸς καλῶν parari, & verum, & probabile est: ipse enim Epicurus, à quo omnes Catii & Amalinii mali verborum interpretes proficiscuntur, dicit, ὅτι ἐστὶν ἠδέως, ἀλλ' οὐ τὸ καλὸν καὶ δικαίως εἶναι. Itaque & Pansa, qui ἠδονὴν sequitur, virtutem retinet: 49 & ii qui à nobis φιλήδονοι vocantur, sunt φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, omneisque virtutes & colunt & retinent. Itaque Sylla, cuius iudicium probare debemus, cum dissentire philosophos videret, non quaesuit quid bonū esset, & omnia bona cœmit. cuius ego mortem forti mehercule animo tuli. Nec tamen Cæsar diutius nos eum desiderare patietur: nam habet damnatos, quos pro illo nobis restituat: nec ipse sectorem desiderabit, cum filium viderit. Nunc vt ad Remp. redeam, quid in Hispaniis geratur, rescribe. Peream, nisi sollicitus sum, ac malo veterem & clementem dominum habere, quàm nouum & crudelem experiri. Scis Cneus quàm sit fatuus: scis quomodo crudelitatem virtutem putet: scis quàm se semper à nobis derisum putet. Vereor ne nos rusticè gladio velit ἀπικυκλίσει. Quid fiat, si me diligis, rescribe. Hui quàm velim scire vtrum ista sollicito 50 animo, an soluto legas: sciam enim eodem tempore quid me facere oporteat. Ne longior sim, vale: & me, vt facis, ama. Si Cæsar vicit, celeriter me expecta.

M. T. CICERO C. TREBONIO S. D.

O R A T O R E M meum (sic enim inscripsi) Sabino tuo commendauit. natio me hominis impulit, vt ei rectè putarem: nisi fortè candidatorum licentia hinc quoque vsus, hoc subito cognomen arripuit. etsi modestus eius vultus, sermòque constans habere quiddam à Curibus videbatur. Sed de Sabino satis. Tu mi Treboni quando ad amorem meum aliquantulum discedens addidisti, quò tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos literis appellato: atque ita, si idem fiet à nobis. quanquam duæ causæ sunt cur tu frequētior in isto officio esse debeas, quàm nos: primum, quod olim solebāt, qui Romæ erant, ad prouinciales amicos de Rep. scribere: nunc tu nobis scribas oportet. Res enim publica istic est: deinde, quòd nos aliis officiis tibi absenti satisfacere possumus: tu nobis, nisi literis, non video qua re alia satisfacere possis. Sed cætera scribes ad

nos postea. nunc hæc primò cupio cognoscere, iter tuum cuiusmodi sit: vbi Brutum nostrum videris, quandiu simul fueris: deinde, cum processeris longius, de bellicis rebus, de toto negotio: vt existimare possimus quo statu simus. ego tantum me scire putabo, quantum ex tuis literis habebò cognitum. Cura vt valeas, meque ames amore illo tuo singulari. Vale.

M. T. CICERO TREBONIO S. P. D.

ET EPISTOLAM tuam legi libenter, & librum libentissimè. Sed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, quòd cum incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendæ nostræ (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum discedis à nobis, meque tanto desiderio afficis, vt vnã mihi consolationem relinquant, fore vt vtriusque nostrum absentis desiderium crebris & longis epistolis leniatur. quod ego non modò de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi: nullam enim apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares. Nam vt illa omittam, quæ ciuitate teste fecisti, cum mecum inimicitias communicasti, cum me concionibus tuis defendisti, cum Quæstor in mea atque in publica causa Consulum parteis suscepisti, cum Tribuno pl. Quæstor non paruisti, cui tuus præsertim collega pareret: vt hæc recentia, quæ meminero semper, obliuiscar, quæ tua sollicitudo de me in armis, quæ lætitia in reditu, quæ cura, qui dolor, cum ad te curæ & dolores mei perferrentur: Brundisium denique te ad me venturum fuisse, nisi subito in Hispaniam missus es: vt hæc igitur omittam, quæ mihi tantum æstimanda sunt, quanti vitam æstimo, & salutem meam: liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui? Primùm, quòd tibi facetum videtur quicquid ego dixi, quod aliis fortasse non item: deinde, quòd illa siue faceta sunt, siue lic, siunt narrante te venustissima: quin etiam antè quam ad me veniatur, risus omnis penè consumitur. Quòd si in his scribendis nihil aliud, nisi quod necesse fuit, de vno me tandiu cogitauisses: ferreus essem, si te non amarem. Cum verò ea, quæ scriptura persecutus es, sine summo amore cogitare non potueris: non possum existimare, plus quenquam à se ipso, quam me à te amari. Cui quidem ego amori, vtinam cæteris rebus possem, amore certè respondebo: quo tamen ipso tibi confido futurum satis. Nunc ad epistolam venio: cui copiosè & suauiter scriptæ, nihil est quod multa respondeam. primùm enim ego illas Caluo literas misi, non plus quam has, quas nunc legis, existimans exituras. aliter enim scribimus, quòd eos solos, quibus mittimus: aliter quòd multos lecturos putamus. Deinde ingenium eius melioribus extuli laudibus, quam tu id verè potuisse fieri putas. Primùm, quod ita iudicabam, acutè mouebatur: genus quoddam sequebatur, in quo iudicio lapsus, quo valebat, tamen assequebatur quod probaret. multæ erant & reconditæ literæ: vis non erat. ad eam igitur adhortabar. In excitando autem & in acuedo plurimum valet, si laudes eum, quem cohortere. Habes de Caluo iudicium & consilium meum: consilium, quòd hortandi causa laudauit: iudicium, quòd de ingenio eius valde existimaui bene. Reliquum est, tuam profectioem amore prosequar, reditum spe expectè, absentem memoria colam, omne desiderium literis mittendis accipientisque leniam. Tu velim tua in me studia & officia multum tecum recordere. quæ cum tibi liceat, mihi nefas sit obliuisci, non modò virum bonum me existimabis, verum etiam te à me amari plurimum iudicabis. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM
AD TIRONEM, LIBER XVI.

TVLLIUS ET CICERO, ET Q. Q. TIRONI
HVMANISS. ET OPT. S. P. D.



IDE quanta in te sit suauitas: duas horas Thyrei fuimus: Xenomenes hospes tam te diligit, quam si vixerit tecum. Is omnia pollicitus est quæ tibi essent opus: facturum puto. mihi placebat, si firmior esses, vt te Leucadem deportares, vt ibi te planè confirmares. Videbis quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere: quæ, cum meliusculè tibi esset, ad me mitteres: sed cogitavi vnas literas Marionem afferre posse, me autem crebras expectare. Poteris igitur, & facies, si me diligis, vt quotidie sit Acastus in portu. Multi erunt quibus rectè literas dare possis, qui ad me libenter perferant. equidem Patras euntem neminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amatius. Ei te totum trade. malo te paulò post valentem, quam statim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, nisi vt tu valeas: cætera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiscens, vii. Id. Nou.

TVLLIUS ET CICERO S. D. TIRONI SVO.

SEPTIMUM diem Corcyræ tenebamur: Quintus autè pater, & filius Buthroti. Solliciti eramus de tua valetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil à te literarum: iis enim ventis istinc nauigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus. Cura igitur te & confirma: & cum commodè, & per valetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimos tui veni. Nemo nos amat, qui te non diligit. Charus omnibus expectatusque venies. Cura vt valeas etiam atque etiam Tiro noster. Vale. xv. Calend. Nou. Corcyræ.

TVLLIUS, ET CICERO MEVS, ET FRATER, ET
FR. F. Q. TIRONI SVO S. D.

PAVLO facilius putavi posse me ferre desiderium tui: sed planè non fero. & quam magni ad honorè nostrum interest, quam primùm ad Urbem me venire: tamen peccasse mihi videor, qui à te discesserim. sed quia tua volùtas ea videbatur esse, vt profusus, nisi confirmato corpore, nolles nauigare, approbaui tuum consilium: neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. sin postea, quam cibum cepisti, videris tibi me posse consequi, tuum consilium est. Marionem ad te eò misi, vt aut tecum ad me quamprimùm veniret: aut, si tu morarere, statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo valetudinis tuæ fieri possit, nihil me malle, quam te esse mecum: sin intelliges opus esse te Patris conualescendi causa paulum commorari: nihil me malle, quam te valere. Si statim nauigas, nos Leucade consequere. sin te confirmare vis, & comites, & tempestates, & nauem idoneam vt habeas, diligenter videbis. Vnum illud mi Tiro videto, si me amas, ne te Marionis aduētus, & hæc literæ moueant. Quod valetudini tuæ maximè conducet, si feceris, maximè obtemperaris voluntati meæ. Hæc pro tuo ingenio considera. nos ita te desideramus, vt amemus. amor, vt valentem videamus, hortatur: desiderium, vt quamprimùm. Illud igitur potius. Cura ergo potissimum, vt valeas. de tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum. iiii. Non. Nou. Vale.

TVLLIUS TIRONI SVO S.

NON queo ad te, nec lubet scribere quo animo sim affectus: tantum scribo, & tibi & mihi maximæ voluptati fore, si te firmum quamprimùm videro. Tertio die abs te ad Alyziam accesseram. Is locus est citra Leucadem stadia cxx. Leucade aut te ipsum, aut tuas literas à Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac vt valeas, vel quantum te à me scis diligi. Non. Nou. Alyzia.

TULLIUS ET CICERO TIRONI SVO S. P. D.
ET Q. PATER, ET FILIUS.

NOS apud Alyziam, ex quo loco tibi literas antè dederamus, vnum diem commorati sumus, quòd Quintus nos consecutus non erat. Is dies fuit Non. Nou. inde ante lucem proficiscentes, ante diem VII. Id. Nou. has literas dedimus. Tu, si nos omneis amas, & præcipuè me magistrum tuum, confirma te. Ego valde suspensò animo expecto: primùm te scilicet, deinde Marionem cum tuis literis. Omnes cupimus, ego in primis, quamprimùm te videre, sed mi Tiro valentem. Quare nihil properaris. satis quotidie video, si valebis. vtilitatibus tuis possum carere: te valere, tua causa primùm volo, tum mea mi Tiro. Vale.

TULLIUS TIRONI SVO S. P. D. ET CICERO,
ET Q. PATER, ET Q. F.

VARIÈ sum affectus tuis literis, valde priore pagina perturbatus, paulùm altera recreatus. Quare nunc quidem non dubito, quin, quoad planè valeas, te neque navigationi, neque viæ committas. satis te maturè video, si planè confirmatum video. De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio. Sed planè curationes eius non probo: ius enim dandum tibi non fuit, cum κακώμαχος esses. Sed tamen & ad illum scripsi accuratè, & ad Lysonem. Ad Curium verò suauissimum hominem, & summi officii, summæque humanitatis, multa scripsi: in his etiam, vt si tibi videretur, te ad se transferret. Lyso enim noster vereor ne negligentior sit: primùm, quia omnes Græci: deinde, quod cum à me literas accepisset, mihi nullas remisit. sed cum tu laudas. tu igitur quid faciendum sit, iudicabis. Illud mi Tiro te rogo, sumptui ne parcas vlla in re, qua ad valetudinem opus sit. Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret medico. ipsi puto aliquid dandum esse, quò sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, forensia, vrba, prouincialia, in re priuata, in publica, in studiis, in literis nostris: omnia viceris, si, vt spero, te validum video. Ego puto te bellissimè, si rectè erit, cum Quæstore Mescinio decursurum: non inhumanus est, teque, vt mihi visus est, diligit. Et cum valetudini tuæ diligentissimè consulueris, tum mi Tiro consulto navigationi. nulla in re iam te festinare volo. nihil laboro, nisi vt saluus sis. Sic habeto mi Tiro, neminem esse qui me amet, quin idem te amet: & cum tua, & mea maximè interest te valere, tum multis est curæ. adhuc, dum mihi nullo loco deesse vis, nunquam te confirmare potuisti. nunc te nihil impedit: omnia depone: corpori serui. Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te iudicabo. Vale mi Tiro, vale, vale, & salue. Lepta tibi salutem dicit, & omnes. Vale. VII. Id. Nou. Leucade.

TULLIUS ET CICERO, ET Q.
Q. TIRONI S. P. D.

TERTIAM ad te hanc epistolam scripsi eadem die, magis instituti mei tenendi causa, quia nactus eram cui darem, quam quòd haberem quid scriberem. Igitur illa, quantum me diligis, tantùm adhibe in te diligentia. ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium. Cum valetudinis rationem, vt spero, habueris, habeto etiam navigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, vt ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura, cura te mi Tiro. Quando non contigit vt simul nauigares, nihil est quod festines: nec quicquam cures, nisi vt valeas. Etiam atque etiam vale. VII. Id. Nou. Actio, vesperi.

CICERO TIRONI S. P. D.

MAGNAE nobis est sollicitudini valetudo tua. nam tamen qui veniunt, ἀνιδρυα ἀδύ, ἡρώπτεγα δὲ nuntiant, tamen in magna consolatione ingens inest sollicitudo, si diutius à nobis abfuturus es, is, cuius vsum & suauitatem desiderando sentimus. Attamè, quanquam videre te tota cogitatione cupio: tamen te penitus rogo, ne te tam longæ navigationi & viæ per hyemem, nisi bene firmum, committas: neque nauiges, nisi explo-

ratè. Vix in ipsis tectis & oppidis frigus infirma valetudine vitatur, nedum in mari & via sit facile abesse ab iniuria temporis. ψυχὴ δὲ λεπτὴ ἢ ἡρώπι πολεμώτατον, inquit Euripides: cui tu quantum credas, nescio: ego certè singulos eius versus, singula testimonia puto. Effice, si me diligis, vt valeas, & vt ad nos firmus ac valens quamprimùm venias. Ama nos, & vale. Q. F. tibi salutem plurimam dicit.

TULLIUS ET CICERO TIRONI SVO S. P. D.

NOS à te, vt scis, discessimus ad III. Non. Nou. Leucadem venimus ad VII. Id. Nou. ad VII. Actium. ibi propter tēpestatē ad VI. Id. morati sumus, inde ad V. Id. Corcyram bellissimè nauigauimus. Corcyra fuimus vsque ad XV. Cal. Dec. tempestatibus retenti. Ad XV. Calend. à portu Corcyraeorum ad Cassiopem stadia CXX. processimus. Ibi retenti ventis sumus vsque ad IX. Cal. Interea qui cupidè profecti sunt, multi naufragia fecerunt. Nos eo die cœnati soluimus. Inde austro lenissimo, cælo fereno, nocte illa, & die postero in Italiam ad Hydruntem ludibundi peruenimus: eodémque vento postridie (id erat ad VII. Calend. Dec.) hora quarta Brundisium venimus: eodémque tempore simul nobiscum in oppidum introit Terentia, quæ te facit plurimi. Ad V. Cal. Dec. feruus Cn. Plancii Brundisii tandem aliquando mihi à te expectatissimas literas reddidit, datas Idib. Nou. quæ me molestia valde leuarunt: vtinam omnino liberassent. Sed tamen Asclapo medicus planè confirmat, propediem te valentem fore. Nunc quidem ego te hortor, vt omnem diligentiam adhibeas ad conualescendum. Tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me noui: scio te omnia facturum, vt nobiscum quamprimùm sis. sed tamen ita velim, vt nequid properes. Symphoniam Lysonis velim vitasses, ne in quartam hebdomadam incideres. Sed quando pudori tuo maluisti obsequi, quàm valetudini, reliqua cura. Curio mihi, vt medico honos haberetur, & tibi daret quod opus esset: me, cui iussisset, curaturum. Equum & mulum Brundisii tibi reliqui. Romæ vereor ne ex Cal. Ian. magni tumultus sint. nos agemus omnia modicè. Reliquum est vt te hoc rogem, & à te petam, ne temerè nauiges. solent nauæ festinare quæstus sui causa. cautus sis mi Tiro. Mare magnum & difficile tibi restat. si poteris, cum Mescinio: (cautè is solet nauigare) si minus, cum honesto aliquo homine, cuius autoritate nauicularius moueatur. In hoc omnem diligentiam si adhibueris, teque nobis incolumem præstiteris, omnia à te habebo. Etiam atque etiam noster Tiro vale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligentissimè. Vale, salue.

TULLIUS ET CICERO, TERENCEIA,
TULLIA, Q. Q. TIRONI S. P. D.

ET SI opportunitatem operæ tuæ omnibus locis desidero: tamen non tam mea, quàm tua causa doleo te non valere. Sed quando in quartanam cōuersa vis est morbi (sic enim scribit Curius) spero te diligentia adhibita etiam firmiorem fore. Modò fac id quod humanitatis tuæ est, nequid aliud cures hoc tempore, nisi vt quamcōmodissimè conualescas. Non ignoro quantū ex desiderio labores: sed erūt omnia facilia, si valebis. Festinare te nolo, ne nauis molestiam suscipias æger, & periculose hyeme nauiges. Ego ad Urbem accessi prid. Non. Ian. obuiam mihi sic est proditū, vt nihil fieri potuerit honoratius. sed incidi in ipsam flammam ciuili discordiæ, vel potius belli: cui cum cuperem mederi, & vt arbitror, possem, cupiditates certorum hominum (nam ex vtraque parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt. Omnino & ipse Cæsar amicus noster minaces ad Senatum, & acerbis literas miserat: & erat adhuc impudens, qui exercitum & prouinciam inuito Senatu teneret: & Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noster & Q. Cassius nulla vi expulsi, ad Cæsarem cum Curione profecti erant. Posteaquam Senatus Consulibus, Prætoribus, Tribunis pl. & nobis, qui Proconsules sumus, negotium dederat, vt curaremus nequid Resp. detrimenti caperet: nunquam maiore in periculo ciuitas fuit: nunquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducē. Omnino ex hac quoque parte diligentissimè comparatur. id fit autoritate & N. i.

studio Pompeii nostri, qui Cæsarem ferò cœpit timere. Nobis inter has turbas Senatus tamen frequēs flagitauit triumphum: sed Lentulus c o s. quo maius suum beneficium faceret, simul atque expeditet quæ essent necessaria de Repub. dixit se relaturum. nos agimus nihil cupide: eoque est nostra pluris autoritas. Italiae regiones descriptæ sunt, quam quisque partem tueretur: nos Capuam sumpimus. Hæc te scire volui. Tu etiam atque etiam cura vt valeas, literasque ad me mittas, quotiescûque habebis cui des. Etiam atque etiam vale. Datum prid. Id. Ian.

TULLIVS S. D. TIRONI SVO.

QV o in discrimine versetur salus mea, & bonorum omnium atque vniuersæ Reip. ex eo scire potes, quòd domos nostras & patriam ipsam vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta est, vt nisi quis Deus, vel casus aliquis subuenerit, salui esse nequeamus. Equidem vt veni ad Urbem, non destiti omnia & sentire, & dicere, & facere quæ ad concordiam pertinerent: sed mirus inuaserat furor non solum improbos, sed etiam hos qui boni habentur, vt pugnare cuperent, me clamante nihil esse bello ciuili miserius. Itaque cum Cæsar amentia quadam raperetur, & oblitus nominis atque honorum suorum, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Arretium occupasset, Urbem reliquimus, quàm sapiēter, aut quàm fortiter, nihil attinet disputare. Quo quidem in casu simus vides. Feruntur omnino conditiones ab illo, vt Pompeius eat in Hispaniam: delectus, qui sunt habiti, & præsidia nostra dimittantur: se vltiorem Galliam Domitio, citeriorem Confidio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad Consulatus petitionem se venturum: neque iam velle absentis rationem haberi sui: se præsentem trinundinum petiturum. Accepimus conditiones, sed ita vt remoueat præsidia ex iis locis quæ occupauit, vt sine metu de iis ipsis conditionibus Romæ Senatus haberi possit. Id ille si fecerit, spes est pacis non honestæ (leges enim imponuntur) sed quiduis est melius, quàm sic esse vt sumus. Sin autem ille suis conditionibus stare noluerit, bellum paratum est, eiusmodi tamen, quod ille sustinere non possit, præsertim cum à suis conditionibus ipse fugerit, tantummodo vt eum intercludamus, ne ad Urbem possit accedere: quod sperabamus fieri posse. delectus enim magnos habebamus: putabamusque illum metuere, si ad Urbem ire cœpisset, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimicissimas, præter transpadanos. ex Hispaniæque sex legiones, & magna auxilia Afranio & Petreio ducibus habet à tergo. Videtur, si insaniet, posse opprimi, modò vt Vrbe salua. Maximam autem plagam accepit, quòd is, qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, socius sceleris esse noluit, reliquit illum, & nobiscum est: multique idem facturi esse dicuntur. Ego adhuc oræ maritimæ præsum à Formiis. nullum maius negotium suscipere volui, quò plus apud illum mea literæ, cohortationesque ad pacem valerent. Sin autem erit bellum, video me castris & certis legionibus præfuturum. Habeo etiam illam molestiam, quòd Dolabella noster apud Cæsarem est. Hæc tibi nota esse volui: quæ caue te perturbent & impediunt valetudinem tuam. Ego A. Varroni, quem tum amantissimum mei cognoui, tum etiam valde tui studiosum, diligentissimè te commendavi, vt & valetudinis tuæ rationem haberet, & nauigationis, & totum te susciperet ac tueretur: quem omnia facturum confido: recepit enim, & mecum locutus est suauissimè. Tu quando eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego maximè operam & fidelitatem desideravi tuam, caue festines, aut committas, aut æger, aut hyeme nauiges. Nunquam ego serò te venisse putabo, si saluus veneris. Adhuc neminè videram, qui te postea vidisset, quàm M. Volufius, à quo tuas literas accepi: quod non mirabar: neque enim meas puto ad te literas tanta hyeme perferri. Sed da operam vt valeas: & si valebis, cum rectè nauigari poterit, tum nauiges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia & Tullia Romæ. Cura vt valeas. 1111. Calend. Febr. Capua.

TULLIVS TIRONI S. Ego serò cupio te ad me venire: sed viam timeo. Grauiissimè ægrotasti: inedia & purgationibus & vi ipsius morbi consumptus es. Graues solent offensiones esse ex grauius morbis, si qua culpa commissa est. Iam ad id biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano ad 1111. Cal. esse volo. ibi te vt firmum offendam, mi Tiro effice. Literulæ meæ, siue nostræ tui desiderio oblanguerunt. Hac tamen epistola, quam Acastus attulit, oculos paulum sustulerunt. Pompeius erat apud me, cum hæc scribebam. hilarè & libenter ei cupienti audire nostra, dixi, sine te omnia mea muta esse. Tu musis nostris para vt operas reddas. Nostra ad diem dictam fient: docui enim te, fides est tuis quod haberet. Fac planè vt valeas, nos ad summum. Vale. XIII. Calend.

TULLIVS TIRONI S.

ÆGYPTA ad me venit prid. Id. Apr. is etiam mihi nuntiauit te planè febri carere, & bellè habere: tamen quòd negauit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, & eò magis, quòd Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum solitudine de tua valetudine: qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura scriberem, si iam putarem libenter te legere posse. ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibi que conseruandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta iam epistola, Hermia venit. Accepi tuam epistolam vacillantibus literulis: nec mirum, tam graui morbo. Ego ad te Ægyptam misi, quòd nec inhu-manus est, & te visus est mihi diligere, vt is tecum esset: & cum eo cocum, quo vterere. Iterum vale.

TULLIVS TIRONI S.

ANDRICVS postridie ad me venit, quàm expectaram. itaque habui noctem plenam timoribus ac miseriis. Tuis literis nihilo sum factus certior quo modo te haberes: sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione, literisque omnibus careo, quas antè, quàm te videro, attingere non possum. Medico mercedis quatum poscet, promitti iubeto. id scripsi ad Mumiū. Audio te animo angi, & medicū dicere ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas literas, humanitatēque, propter quam mihi es charissimus. Nunc opus est te animo valere, vt corpore possis. id cum tua, tum mea causa facias, à te peto. Acastū retine, quòd comodius tibi ministretur. conserua te mihi: dies promissorum adest: quæ etiam repræsentabo, si adueneris. Etiam atque etiam vale. 1111. Id. hora 1111.

TULLIVS TIRONI S.

OMNIA à te data mihi putabo, si te valentem videro. Summa cura expectabam aduentum Menandri, quem ad te miseram. Cura, si me diligis, vt valeas: & cum te bene confirmaris, ad nos venias. Vale. 1111. Id. Apr.

QVINTVS MARCO FRATRI S.

DE Tirone mi Marce, ita te, meumque Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumque filium videam, vt mihi gratissimum fecisti, cum eum indignū illa fortuna, nobis amicum, quàm seruum esse maluisti. Mihi crede, tuis & illius literis perlectis, exilui gaudio, & tibi & ago gratias, & gratulor. si enim mihi Statii fidelitas est tantæ voluptati, quanti esse in isto hæc eadem bona debent, additis literis, sermonibus, humanitate, quæ sunt his ipsis comodis potiora? Amo te omnibus equidem maximis de causis, verum etiam propter hanc, vel quòd mihi sic, vt debuisti, nuntiaisti. te totum in literis vidi. Sabini pueris & promisi omnia, & faciam. Vale.

TULLIVS TIRONI S.

VIDEO quid agas: tuas quoque epistolas vis referam in volumina. Sed heus tu, qui esse meorum scriptorum soles, vnde illud tam ἀκρωγῆ, Valetudini fideliter inseruendo? Vnde in istum locum fideliter venit: cui verbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multæ. nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam

fidelis dici potest: ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda tralatio. Sed hæc coram. Demetrius venit ad me: quo quidem comitatu ἀφωμίλησα, satis scis. Tu cum videlicet non potuisti videre: cras aderit: videbis igitur. nam ego hinc per die mane cogito. Valetudo tua me valde sollicitat: sed inserui, & fac omnia: tum te mecum esse, tum mihi cumulatissimè satisfacere putato. Cuspicio quòd operam dedisti, mihi gratum est: valde enim eius causa volo. Vale.

TULLIUS TIRONI S.

Quid igitur non sic oportet? Equidem censeo sic, addendum etiam, suo. sed si placet, invidia vitetur: quam quidem ego sæpe contempsi. Tibi ἀφώρησιν gaudeo profuisse: si verò etiam Tusculanum, dii boni, quanto mihi illud erit amabilius. sed si me amas, quod quidè aut facis, aut perbellè simulas, quod tamen in modum procedit, sed ut ut est, indulge valetudini tuæ: cui quidem tu adhuc, dum mihi deseruis, seruisti non satis. Ea quid postulet, non ignoras, πέψιν, ἀκροπία, πείπατον σύμμετρον, τέρψιν, βύλυσιαι κελίας. Fac bellus reuertare: non modò te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem. Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat: sic olitorem ipsum commouebis. Heluonequissimus hsc iob dabat nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. Iste noster tanta impensa derideat: calface hominem, ut ego M. Othonem: itaque abutor coronis. De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ, tamen velim scire. Horologium mittam & libros, si erit sudum. sed tu nullòsne tecum libellos: an pangis aliquid Sophocleum: fac opus appareat. A. Ligurius Cæsar's familiaris mortuus est, bonus homo, & nobis amicus. Te quando expectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.

TULLIUS TIRONI S.

Expecto tuas literas de multis rebus, te ipsum multò magis. Demetrium redde nostrum, & aliud siquid potes boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor, scio tibi curæ esse: sed confice. & si ob eam rem moraris, accipio causam: si te id non tenet, aduola. Literas tuas valde expecto. Vale.

TULLIUS TIRONI S.

Solicitat, ita viam, me tua mi Tiro valetudo: sed confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, citò te firmum fore. libros compone, indicem, cum Metrodoro lubebit, quando eius arbitratu viuendum est. Cum olitore, ut videtur. Tu potes Cal. spectare gladiatores, postridie redire: & ita censeo. Verùm ut videbitur. Cura te, si me amas, diligenter. Vale.

CICERO F. TIRONI SVO DVLCISS. S. D.

Cum vehementer tabellarios expectarem quotidie, aliquando venerunt post diem xl. & vi. quàm à vobis discesserāt: quorum mihi fuit aduentus optatissimus. nam cum maximā cepissem lætitiā ex humanissimi & charissimi patris epistola: tum verò iucundissimæ tuæ literæ cumulū mihi gaudii attulerunt. Itaque me iam non pœnitebat, intercapedinem scribendi fecisse, sed potius lætabar: fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex silentio mearum literarum. Vehemèter igitur gaudeo te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi optatòsque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito mi dulcissime Tiro: præstabòque & enitar, ut in dies magis magisque hæc nascens de me duplicetur opinio. Quare quod polliceris te buccinatorum fore existimationis meæ, firmo id cōstantique animo facias licet: tantum enim mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, ut non solum animus à factis, sed aures quoque à commemoratione abhorreant. cuius te sollicitudinis & doloris participem fuisse, notum exploratumque est mihi: nec id mirū: nam cum omnia mea causa velles mihi successa, tum etiam tua. socium enim te meorū cōmodorum semper esse volui. Quando igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudiū, præstabo. Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium esse cōiunctissimum: nam

cum audio illum libenter, tum etiam eius propriam suauitatem vehementer amplector. sum totos dies cum eo, noctisque sæpenumero partem: exoro enim, ut mecum quam sæpissimè cœnet. hæc introducta consuetudine, sæpe insciētibus nobis, & cœnantibus obrepit: sublataque seueritate philosophiæ, humanissimè nobiscū iocatur. Quare da operam ut hunc talem, tam iucundum, tam excellentem virum videas quam primum. Nam quid ego de Brutio dicam: quem nullo tēpore à me patior discedere: cuius cum frugi seueraque est vita, tum etiam iucundissima conuictio. non est enim se iunctus iocus à philologia & quotidiana συζητήσθ. huic ego locum in proximo conduxī, & ut possum, ex meis angustiis, illius sustento tenuitatem. Præterea declamitare Græcè apud Cassium institui: Latine autem apud Brutium exerceri volo. Vtor familiaribus & quotidianis conuictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatissimis. Multum etiam mecum est Epicrates princeps Atheniensium, & Leonides, & horum cæteri similes. Ἐὰ μὲν οὖν καὶ ἡμᾶς, ἔα δὲ. De Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis, sed omnia postposui, dummodo præceptis patris parerem: ἀφ' ἑρῆδ' ἔγωγε enim scripserat, ut eum dimitterem statim. tergiuerfari nolui, ne mea nimia αὐτοῦ suspicionem ei aliquam importaret. Deinde illud etiā mihi succurrebat, graue esse, me de iudicio patris iudicare. Tuum tamen studium & consilium gratum acceptumque est mihi. Excusationem angustiarum tui temporis accipio: scio enim quàm soleas esse occupatus. Emissione te prædium vehementer gaudeo, foelicitèrque tibi rem istam euenire cupio. hoc loco me tibi gratulari, noli mirari: eodem enim ferè loco tu quoque, emisse te, fecisti me certior rem. Habes vbi deponèdæ tibi sunt vrbanitates. rusticus Romanus factus es. Cum ego mihi nunc ante oculos tuum iucundissimum conspectum propono, videor videre e mentem te rusticas res cum villico loquentem, in lacinia seruantem ex mensa secunda femina. Sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse, æquè ac tu doleo. Sed noli dubitare mi Tiro, quin te subleuaturus sim, si modò fortuna me, præfertim cum sciam, communem nobis emptum esse istum fundum. De mandatis quòd tibi curæ fuit, est mihi gratum. sed peto à te ut quam celerrimè mihi librarius mittatur, maximè quidem Græcus: multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypomnematis. Tu velim in primis cures ut valeas, ut vnά συμφιλολογεῖν possimus. Antherū tibi cōmēdo. Vale.

TULLIUS TIRONI SVO S.

Spero ex tuis literis tibi melius esse: cupio quidem certè. cui quidem rei omniratione cura ut inseruias: & caue suspiceris contra voluntatem meam te facere, quòd non sis mecum. mecū es, si te curas. Quare malo te valetudini tuæ seruire, quàm meis oculis & auribus: etsi enim & audio te, & video libenter, tamen hoc multò erit, si valebis, iucundius. Ego hinc cesso, quia ipse nihil scribo, lego autem libentissimè. Tu istic, siquid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. vna omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facillè legere soleo, de quadrimo Catone. De triclinio cura ut facis. Tertia aderit, modò ne Publius rogatus sit. Demetrius iste nunquam omnino Phalereus fuit: sed nunc planè Bilienus est. Itaque te do vicarium. Tu cum obseruabis. Etsi, Veruntamen, De illis: nosti cætera. sed tamen siquem cum eo sermonem habueris, scribes ad me, ut mihi nascatur epistolæ argumentum, & ut tuas quam longissimas literas legam. Cura mi Tiro, ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

TULLIUS TIRONI SVO S.

Tu vero confice professionem, si potes. etsi hæc pecunia ex eo genere est, ut professione non egeat. veruntamen. Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit. liceat modò rusticari. Ad Bithynicum scripsi. De Seruilio tu videris, qui senectutem non contemnis. etsi Atticus nofter, quia quondam me cōmoueri πρὸς intellexit, idè semper putat: nec videt quibus præfidiis philosophiæ septus sim. & hercule, quòd timidus ipse est, ἄρρωστοίς. Ego tamen

Antonii inueteratam sine vlla offensione amicitiam retinere sanè volo, scribámque ad eum, sed non antè, quàm te videro. nec tamen te auoco à syngrapha γόρυ κνήμης. Cras expecto Leptam: etenim ad cuius rutam pulegio mihi tui sermonis vtendum est. Vale. 33

TULLIUS TIRONI S.

ET SI mane Harpalum miseram: tamen cum haberem, cui rectè darem literas, etsi noui nihil erat, iisdem de rebus volui ad te sapius scribere: non quin considerem diligentia tua, sed rei me magnitudo mouebat. Mihi prora & puppis, vt Græcorum prouerbium est, fuit à me tui dimittendi, vt rationes nostras explicares. Offilio & Aurelio vtique satisfiat. A Flamma, si non potes omnem, partem aliquam velim extorqueas: in primis vt expedita sit pensio Caléd. Ian. de attributione conficies. de representatione videbis. de domesticis rebus hactenus. De publicis omnia mihi certa, quid Octavius, quid Antonius, quæ hominum opinio, quid futurum putes. ego vix teneor quin accurram. sed scilicet literas tuas expecto: & scito Balbum tum fuisse Aquini, cum tibi 34 est dictum, & postridie Hircium. puto vtrunque ad aquas Semas. quid egerint. Dolabellæ procuratores fac vt admoncantur. appellabis etiam Papiam. Vale.

CICERO F. TIRONI SVO S.

ET SI iusta & idonea vsus es excusatione intermissionis literarum tuarum: tamen id ne sapius facias rogo. nam etsi de Reip. rumoribus & nuntiis certior fio, & de sua in me voluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quauis minima re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cum in primis tuas desiderem literas, noli comittere vt excusatione potius expleas officiũ scribèdi, quàm assiduitate literarũ. Vale.

Q. CICERO TIRONI SVO S. D.

VERBERAVI te cogitationis tacito duntaxat conuitio, quòd fasciculus alter ad 35 me iam sine tuis literis perlatu est. non potes effugere huius culpæ pœnam te patrono. Marcus est adhibendus: isque diu, & multis lucubrationibus commetata oratione. vide vt probare possit, te non peccasse. Planè te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inaneis obfignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exiccaræ: sic tu, etiam si, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsiuiste videaris. valde enim mihi semper & vera & dulcia tuis epistolis nuntiantur. Ama nos, & vale.

Q. CICERO TIRONI SVO S. P. D.

MIRIFICAM mihi verberationem cessationis epistola dedisti: nam quæ parcius frater perscripserat, verecúdia videlicet & properatione, ea tu sine assentatione, vt erant, ad me scripsisti, & maximè de Cõsulibus def. quos ego penitus noui libidinum & lan- 36 guoris effœminatissimi animi plenos. qui nisi à gubernaculis recesserint, maximum ab vniuerso naufragio periculum est. Incredible est quæ ego illos scio oppositis Gallorum castris in æstiuis fecisse: quos ille latro, nisi aliquid firmitus fuerit, societate vitiorum deliniet. Res est aut tribunitiis, aut priuatis cõsiliis munienda: nam isti duo vix sunt digni, quibus alteri Cæsenam, alteri Cossutianarum tabernarum fundamenta credas. Te, vt dixi, fero oculis. ego vos ad III. Cal. videbo, tuosque oculos, etiam si te veniens in medio foro videro, dissuauabor. Me ama. Vale.

M. Tullii Ciceronis Epistolarum

AD BRVTVM LIBER.

CICERO BRVTO S.



LODIVS Trib. pl. designatus valde me diligit, vel, vt ἐμφα- 3
τικώτερον dicam, valde me amat. Quod cum mihi ita persuasum sit, non dubito (bene enim me nosti) quin illum quoque iudices à me amari. nihil enim mihi minus hominis videtur, quàm non respondere in amore iis, à quibus prouocere. is mihi visus est suspicari, nec sine magno quidem dolore, aliquid à suis, vel per suos potius inimicos ad te esse delatum, quò tuus animus à se esset alienior. Non soleo mi Brute (quod tibi notum esse arbitror) temerè affirmare de altero: est enim periculosum propter occultas hominum voluntates, multiplicésque naturas. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, iudicatum: multa eius indicia, sed ad scribendum non 4 necessaria: volo enim hoc testimonium tibi videri potius, quàm epistolam. auctus Antonii beneficio est, eius ipsius beneficii magna pars à te est. Itaque eum saluis nobis vellet saluum. In eum autem locum rem adductam intelligit (est enim, vt scis, minimè stultus) vt vtrique salui esse non possint. Itaque nos mauult. de te verò amicissimè & loquitur, & sentit. quare, si quis secus ad te de eo scripsit, aut si coràm locutus est, peto à te etiam atque etiã, mihi vt potius credas, qui & facilius iudicare possum, quàm ille nescio quis, & te plus diligo. Clodium tibi amicissimum existima, ciuemque talem, qualis & prudentissimus, & fortuna optima esse debet.

CICERO BRVTO S.

SCRIPTA & obfignata iam epistola, literæ mihi redditæ sunt à te, plenæ rerum nouarum, maximèque mirabiles: Dolabellam quinque cohortes misisse in Cherronessum. Adeone copiis abúdat, vt iis, qui ex Asia fugere dicebatur, Europam appetere conetur: quinque autem cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, cum tu eo quinque legiones, optimum equitatũ, maxima auxilia haberes: quas quidem cohortes spero iam tuas esse: quoniam latro ille tam fuit demens. Et tuum consiliũ vehementer laudo, quòd non prius tuum exercitum Apollonia Dyrrhachioque mouisti, quàm de Antonii fuga audisti, Bruti eruptione, Populi Rom. victoria. Itaque quòd scribis, postea statuisse te ducere exercitum in Cherronessum, nec pati sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium Populi Rom. facis ex tua dignitate, & è Rep. Quòd scribis de seditione quæ facta est in legione quarta de Antonis: quod dicam, in bonam partè accipias: magis mihi probatur militum seueritas, quàm tua. Te benevolentiam exercitus, equitumque expertum esse, vehementer gaudeo. De Dolabella, vt scribis, siquid habes noui, facies me certiolem. in quo valde delector, me antè prouidisse, vt tuum iudicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi: & id valde pertinuit, vt ego tum intelligebam, ad Remp. vt nunc iudico, ad dignitatem tuam. Quòd scribis me maximo odio egisse, vt insectarer Antonios, idque laudas: credo ita videri tibi: sed illam distinctionem tuam nullo pacto probo: scribis enim acius prohibenda bella ciuilia esse, quàm in superatos iracundiam exercendam. Vehementer à te Brute dissentio: neque clementiæ tuæ concedo: sed salutaris seueritas vincit inanem speciem clementiæ. Quòd si clemètes esse uouerimus, nunquam deerunt bella ciuilia. Sed de hoc tu videris. De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinumo, Mihi quidem ætas acta fermè est, tua istuc refert maximè. Opprimemini (mihi crede) Brute, nisi prouideritis: neque enim populum semper eundem habebitis, neque Senatũ, neque Senatũ ducem. Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta. nihil potest esse verius. XIII. Cal. Maii.

CICERO BRUTO S.

NOSTRAE res meliori loco videbantur: scripta enim ad te certò scio quæ gesta sunt. Quales tibi sæpe scripti Cōsules, tales extiterunt. Cæsaris verò pueri mirifica indoles virtutis, utinam tam facillè eum florentè & honoribus & gratia regere ac tenere possimus, quàm facillè adhuc tenuimus. Est omnino illud difficilior, sed tamen non diffidimus: persuasum est enim adolescenti, & maximè per me, eius opera nos esse saluos. Et certè, nisi is Antonium ab Vrbe auertisset, periissent omnia. Triduo verò aut quadriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam percussa ciuitas tota ad te se cum coniugibus & liberis effundebat. eadem recreata ad x i i. Cal. Maii, te huc venire, quàm se ad te ire malebat. Quo quidem die magnorū meorum laborum, multarūque vigiliarum fructum cepi maximum, si modò est aliquis fructus ex solida, veraque gloria. nam tantæ multitudinis, quantam capit vrbs nostra, concursus est ad me factus. ea cum vsque in Capitoliū deductus, maximo clamore atque plausu in rostris collocatus sum. Nihil est in me inane: neque enim debet. Sed tamen omnium ordinū consensus, gratiarum actio, gratulatioque me commouet, propterea quòd popularem me esse in populi salute præclarum est. Sed hæc te malo ab aliis audire. Me velim de tuis rebus, consiliisque facias diligentissimè certiore: illudque consideres, ne tua liberalitas dissolutior videatur. Sic sentir Senatus, sic populus Rom. nullos vnquam hosteis digniores omni supplicio fuisse, quàm eos ciueis, qui hoc bello cōtra patriam arma ceperūt. Quos quidem ego omnibus sententiis vlciscor, & persequor omnibus bonis approbantibus. Tu quid de hac re sentias, tui iudicii est. ego sic sentio, trium fratrum vnam & eandem esse causam. Cōsules duos, bonos quidem, sed duntaxat bonos, amissimus. Hircius quidem in ipsa victoria occidit, cum paucis diebus magno prælio antè vicisset. Nam Pansa fugerat vulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur, & Cæsar. Hostes autè omnes iudicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt. Itaque id s. c. plerique interpretatur etiam ad tuos siue capiuos, siue dedititios pertinere. Equidem nihil differui durius, cum nominatim de C. Antonio decernerem, quòd ita statueram, à te cognoscere causam eius Senatum oportere. x. Cal. Maii.

BRVTVS CICERONI S.

QUANTA sim lætitia affectus cognitis rebus Bruti nostri & Consulium, facilius est tibi existimare, quàm mihi scribere. cum alia laudo & gaudeo accidisse, tum quòd Bruti eruptio non solum ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad victoriam adiumento. Quòd scribis, trium Antoniorum vnam atque eandem causam esse, quid ego sentiam, mei iudicii esse: statuo nihil, nisi hoc, Senatus aut populi Rom. iudicium esse de iis ciuibus qui pugnantibus non interierint. At hoc ipsum, inquires, iniquè facis, qui hostilis animi in Remp. homines ciueis appelles. Immò iustissimè: quòd enim nondum Senatus censuit, nec populus Rom. iussit, id arroganter non præiudico, neque reuoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, quòd ei, quem me occidere res non coëgit, neque crudeliter quicquam eripui, neque dissolutè quicquam remisit, habuè que in mea potestate, quoad bellum fuit. Multò quidem honestius iudico, magisque quòd concedere possit Resp. miserorum fortunam non insectari, quàm infinita tribuere potentibus, quæ cupiditatem & arrogantiam incèdere possint. Qua in re Cicero vir optime ac fortissime, mihi que merito & meo nomine, & Reip. carissime, nimis credere videris spei tuæ: statimque, ut quisque aliquid rectè fecerit, omnia dare ac permittere: quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animum. Quæ tua est humanitas, æquo animo te moneri patieris, præsertim de communi salute: facies tamen quòd tibi visum fuerit: etiam ego, cum me docueris. Nunc Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gauisi simus, neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius. Nihil iam neque opinantibus, aut patientibus nobis aduersi euenire potest, in quo non cum omniū culpa, tum præcipuè tua futura sit, cu-

ius tantam auctoritatem Senatus, ac populus Rom. non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera ciuitate vnus esse potest: quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter tueri debes. Prudentia porro quæ tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic abundè adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint tuæ virtutes. Vnum hoc grato animo, liberalique profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem desiderat: nihil enim Senatus cuiquam dare debet quòd malè cogitantibus exemplo aut præsidio sit. Itaque timo de Consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis, quàm inde, si Consul factus sit, descensurum. Quòd si Antonius ab alio relictum regni instrumentum occasionem regnandi habuit: quoniam animo fore putas, si quis auctore non tyranno interfecto, sed ipso Senatu putat se imperia quælibet concupiscere posse: Quare tum & facilitatem & prouidentiam laudabo tuam, cum exploratum habere cœpero Cæsarem honoribus, quos acceperit, extraordinariis fore contentum. Alienæ igitur, inquires, culpa me reum facies: Prorsus alienæ, si prouideri potuit ne existeret. quòd utinam inspicere possis timorem de illo meum. His literis scriptis, te Consulatum factum audiimus. Tum verò incipiam proponere mihi Remp. iustam, & iam suis nitentem viribus, si istuc videro. Filius valet, & in Macedoniâ cū equitatu præmissus est. Id. Maii. Ex castris.

CICERO BRUTO S.

AD V. Cal. Maii, cum de iis, qui hostes iudicati sunt bello persequendis sententiæ diceretur, dixit Seruilius etiam de Ventidio, & ut Cassius persequeretur Dolabellam. Cui cum essem assensus, decreui hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile fore, eque Reip. esse, persequerere Dolabellam bello: si minus id cōmodo Reip. facere posses, siue non existimares è Rep. esse, ut in iisdem locis exercitum cōtineres. Nihil honorificentius potuit facere Senatus, quàm ut tuum esset iudicium, quid tibi maximè conducere Reip. videretur. Equidem sic sentio, si manum habet, si castra, si vbi consistat vsquam Dolabella, ad fidem, & ad dignitatem tuam pertinere, eum persequi. De Cassii nostri copiis nihil sciebamus: neque enim ab ipso vllæ literæ: neque nūtiabatur quicquam, quòd pro certo haberemus. Quantopere autem intersit opprimi Dolabellam, profectò intelligis, tum ut sceleris pœnas persoluat, tum ne sit quòd se latronum duces ex Mutinensi fuga conferant. Atque hoc mihi iam antè placuisse, potes ex superioribus meis literis recordari. quanquã tum & fugæ portus erat in tuis castris, & subsidium salutis in tuo exercitu. Quo magis nunc liberati (ut spero) periculis, in Dolabella opprimendo occupati esse debemus. Sed hæc cogitabis diligentius, statues sapienter: facies nos, quid constitueris, & quid agas (si tibi videbitur) certiores. Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. Existimo omnino absentium rationem sacerdotū comitiis posse haberi: nam etiam factū est antea. C. enim Marius, cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est Augur: nec, quo minus id postea liceret, vlla lex sanxit. Est etiam in lege Iulia, quæ lex est de sacerdotiis proxima, his verbis, QUI PETIT, CUIVSVE RATIO

HABEBITVR. aperte indicat posse rationem haberi etiam non præsentis. Hac de re scripsi ad eum, ut tuo iudicio vteretur, sicut in rebus omnibus. Tibi autem statuendum est de Domitio & de Catone nostro. sed quanuis liceat absentis ratione haberi, tamen omnia sunt præsentibus faciliora. Quòd si statueris in Asiam tibi eundem, nulla erit ad comitia nostros accersendi facultas. Omnino Pansa viuo celeriora omnia putabamus: statim enim collegam sibi subrogasset: deinde ante prætoriam sacerdotum comitia fuissent. Nūc per auspicia longam moram video: dum enim vnus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt. Magna sanè perturbatio. Tu tota de re quid sentias, velim me facias certiore. III. Non. Maii.

BRVTVS CICERONI S.

NOLI expectare dum tibi gratias agam. Iam pridem hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summam beneuolentiā peruenit, sublatum esse debet. Filius tuus à me abest:

in Macedonia congregiemur. iussus est enim Ambraciam ducere equites per Thessaliam: & scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. Cum eum videro (quoniam nobis permittis) communiter constituemus de reditu eius ad petitionem, aut ad commendationem honoris. Tibi Glycona medicum Panfæ, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissimè commendo. Audimus eum venisse in suspicionem Torquato de morte Panfæ, custodiri que ut parricidam. Nihil minus credendum est: quis enim maiorem calamitatem morte Panfæ accepit? præterea est modestus homo, & frugi, quem ne utilitas quidem videatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, & quidem valde rogo, (nam Achilles noster non minus, quàm æquum est, laborat) eripias eum ex custodia, conseruésque: hoc ego ad meum officium priuatarum rerum æquè, atque vllam aliam rem, pertinere arbitror. Cum has ad te scriberem literas, ab Satrio legato C. Trebonii reddita est mihi epistola, à Tullio & Deiotaro Dolabellam casum, fugatumque esse. Græcam epistolam tibi misi Cycherei cuiusdam ad Satrium missam. Flavius noster de controuersia, quam habet cum Dyrrhachinis hæreditariam, sumpsit te iudicem. Rogo te Cicero, & Flavius rogat rem conficias. Quin ei, qui Flavius fecit hæredem, pecuniam debuerit ciuitas, non est dubium, neque Dyrrhachini inficiantur, sed sibi donatum æs alienum à Cæsare dicunt. Noli pati, à necessariis tuis necessario meo iniuriam fieri. xvii. Cal. Iun. ex castris, ad imam Candauiam.

B R V T V S C I C E R O N I S.

BIBULVS quàm carus mihi esse debeat, nemo melius iudicare potest, quàm tu, cuius tantæ pro Rep. contentiones, sollicitudinésque fuerunt. Itaque vel ipsius virtus, vel nostra necessitudo debet conciliare te illi, quo minus multa mihi scribenda esse arbitror. voluntas enim te mouere debet nostra, si modò iusta est, aut pro officio necessario suscipitur. In Panfæ locum petere constituit. Eam nominationem à te petimus. Neque coniunctiori dare beneficium, quàm nos tibi sumus: neque digniorem nominare potes, quàm Bibulum. De Domitio & Apuleio quid attinet me scribere, cum ipsi per se tibi commèdatissimi sint? Apuleium verò tu tua auctoritate sustinere debes. Sed Apuleius in sua epistola celebrabitur. Bibulum noli dimittere ex sinu tuo tantum iam virum, ex quanto (crede mihi) potest euadere, qui vestris paucorum respondeat laudibus.

C I C E R O B R V T O S.

MVLTO S tibi commendo, & commendem necesse est: optimus enim quisque vir, & cuius sequitur iudicium tuum: tibi que omnes fortes viri nauare operam & studiù volunt: nec quisquam est quin ita existimet, meam apud te & gratiam & auctoritatem valere plurimùm. Sed C. Nasennium municipem Sueslanum tibi ita commendo, ut neminem diligentius. Cretenfi bello Metello imperatore octauum principem duxit. postea in re familiari occupatus fuit. Hoc tempore cum Reip. partibus, tum tua excellenti dignitate commotus, vellet per te aliquid auctoritatis assumere. Fortem virum Brute tibi commendo, frugi hominem, & siquid ad rem pertinet, etiam locupletem. Pergratum mihi erit, si eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

C I C E R O B R V T O S.

FVNGERER officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per literas consolaber, nisi scirem iis remediis, quibus meum dolorem tu leuasses, te in tuo non egere: ac velim facilius, quàm tunc mihi, nunc tibi tute medeare. est enim alienum tanto viro, ut est tu, quod alteri præceperit, id ipsum facere non posse. Me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua à nimio mœrore deterruit. cum enim mollius tibi ferre viderer, quàm deceret virum, præsertim eum qui alios consolari soleret, accusasti me per literas grauioribus verbis, quàm tua consuetudo ferebat. itaque iudicium tuum magni æstimans, idque veritus, me ipse collegi: & ea quæ didiceram, legeram, acceperam, grauiora duxi tua auctoritate addita. ac mihi tum Brute officio solum erat & naturæ, tibi nunc populo & scenæ (ut dicitur) seruendum est: nam cum in te non solum

exercitus tui, sed omnium ciuium, ac penè gentium coniecti oculi sint, minimè decet, propter quem fortiores cæteri sumus, cum ipsum animo debilitatum videri. Quam ob rem accepisti tu quidem dolorem (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit) & est dolendum in tam graui vulnere, ne id ipsum carere omni sensu doloris sit miserius, quàm dolere: sed, ut modicè cæteris vile est, tibi necesse est. Scriberem plura, nisi ad te hæc ipsa nimis multa essent. Nos te, tuumque exercitum expectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, vix satis liberi videmur fore. De tota Rep. plura scribam, & fortasse iam certiora iis literis, quas Veteri nostro cogitabam dare.

C I C E R O B R V T O S.

NVLLAS adhuc à te literas habebamus, ne famam quidem, quæ declararet, te, cognita Senatus auctoritate, in Italiam adducere exercitum: quod ut faceres, idque maturares, magnopere desiderabat Resp. ingrauescit enim in dies intestinum malum, nec externis hostibus magis, quàm domesticis laboramus: qui erant omnino ab initio belli, sed facilius frangebantur. erectior Senatus erat, non sententiis solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus: erat in Senatu satis vehemens & acer Panfa, cum in cæteros huius generis, tum maximè in socerum, cui Consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Cæsare reprehenderes, nonnulla in Hircio. huius belli fortuna, ut in secundis, fluxa: ut in aduersis, bona. erat victrix Resp. cæsis Antonii copiis, ipso expulso à Bruto. deinde ita multa peccata, ut quodammodo victoria excideret è manibus. perterritos, inermes, faucios non sunt nostri duces persecuti: datumque Lepido tempus est, in quo leuitatem eius sæpe perspectam, maioribus in malis experiremur. sunt exercitus boni, sed rudes Bruti & Planci. sunt fidelissima & maxima auxilia Gallorum: sed Cæsarem meis consiliis adhuc gubernatum, præclara ipsum indole, admirabilique constantia, improbiis literis quidam, fallacibusque interpretibus ac nuntiis impulerunt in spem certissimam Cõsulatus. quod simul atque sensi, neque ego illum absentem literis monere destiti, nec accusare præsentis eius necessarios, qui eius cupiditati suffragari videbantur: nec in Senatu sceleratissimorum cõsiliorum fontes aperire dubitavi: nec verò vlla in re memini aut Senatam meliorem, aut magistratus. nunquam enim in honore extraordinario potentis hominis, vel potentissimi potius (quandoquidem potentia iam in vi posita est & armis) accidit ut nemo Tribunus pl. nemo alio magistratu, nemo priuatus auctor existeret. Sed in hac constantia atque virtute, erat tamen sollicita ciuitas. illudimur enim Brute cum militum deliciis, tum imperatoris insolentia. tantum quisque in Rep. posse postulat, quantum habet virium. non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet, non iudicium, non existimatio ciuium, non posteritatis verecundia. Hæc ego multò antè prospiciens fugiebam ex Italia, tum, cum me vestrorum edictorum fama reuocauit. incitasti verò tu me Brute Velia. quàmquam enim dolebam in eam me Urbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberauisses, quod mihi quoque quondam acciderat periculo simili, casu tristiore: perrexi tamen, Romamque perueni, nullòque præsidio quatefecì Antoniù, contraque eius arma nefanda, præsidia, quæ oblata sunt, Cæsaris cõsilio & auctoritate firmaui. Qui si steterit idem, mihi que paruerit, satis videmur habituri præsidii: sin autè impiorum cõsilia plus valuerint, quàm nostra, aut imbecillitas ætatis non potuerit grauitatem rerum sustinere, spes omnis est in te. Quamobrè aduola obsecro, atque eam Rep. quæ virtute atque animi magnitudine magis, quàm euentis rerum liberaasti, exitu libera. omnis omnium concursus ad te futurus est. Hortare idem per literas Cassiù. spes libertatis nusquam, nisi in vestrorum castrorum præsidiiis est. Firmos omnino & duces habemus ab Occidete, & exercitus. Hoc adolescentis præsidium equidè adhuc firmum esse cõfido, sed ita multi labefactant, ut ne moueatur, interdum extimescam. Habes totum Reip. statum, qui quidè tum erat, cum has literas dabam. velim deinceps meliora sint. sin aliter fuerit, (quod dii omen auertat) Reip. vicè dolebo, quæ immortalis esse debeat. mihi quidè quantulum reliqui esse

BRVTVS CICERONI S.

VETERIS Antistii talis animus est in Remp. vt non dubitem quin in Cæsare & Antonio se præstiturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis, si occasione potuisset occurrere: nam qui in Achaia congressus, P. Dolabella milites atque equites habente, quoduis adire periculum ex insidiis paratissimi ad omnia latronis maluerit, quam videri aut coactus esse pecuniam dare, aut libenter dedisse homini nequissimo atque improbissimo, is nobis vltro pollicitus est, & dedit xx HS ex sua pecunia, & quod multo carius est, seipsum obtulit & coniunxit. huic persuadere cœpimus, vt imperator in castris remaneret, remque publicam defenderet. statuit eundem sibi, quoniam exercitum dimisisset: statim verò rediturum ad nos confirmavit legatione suscepta, nisi Prætorum comitia habituri essent Consules: nam illi ita sentienti de Rep. magnopere auctor fui, ne differret tempus petitionis suæ. cuius factum omnibus gratum esse debet, qui modò iudicarint hunc exercitum esse Reip. tibi tãto gratius, quanto maiore animo, gloriæque libertatem nostram defendis, & dignitatem: si contigerit nostris consiliis exitus quem optamus, perfunctorus es. Ego etiam mi Cicero propriè, familiaritèrque te rogo, vt Veterem ames, velisque esse quã amplissimum: qui etsi nulla re deterreri à proposito potest, tamè excitari tuis laudibus, indulgentiæque poterit, quo magis amplexetur ac tueatur iudicium suum: & mihi gratissimum erit.

CICERO BRVTO.

ETS I daturus eram Messalæ Coruino continuo literas, tamen Veterem nostrum ad te sine literis meis venire nolui. Maximo in discrimine Resp. Brute versatur, vltorèrque rursus decertare cogimur. id accidit M. Lepidi scelere & amentia. quo tempore cum multa propter eam curam, quam pro Rep. suscepi, grauiter ferrem, tum nihil tui grauius, quam me non posse matris tuæ precibus cedere, non sororis. nam tibi (quod mihi plurimi est) facillè me satisfacturum arbitrabar. nullo enim modo poterat causa Lepidi distingui ab Antonio, omniumque iudicio etiam durior erat, quòd, cum honoribus amplissimis à Senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam paucis antè diebus præclaras literas ad Senatum misisset, repètè non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrimum terra, marique gerit: cuius exitus qui futurus sit, incertum est. Itaque cum rogamur, vt misericordã liberis eius impertiamus, nihil affertur, quo minus summa supplicia, si (quod Iuppiter omen auertat) pater puerorum vicerit, subeunda nobis sint. Nec verò me fugit, quàm sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui. Sed hoc præclare legibus comparatum est, vt charitas liberorum amiciores parentes Reip. redderet. Itaque Lepidus crudelis in liberos, non is qui Lepidum hostem iudicat. atque ille, si armis positus de vi damnatus esset, quo in iudicio certè defensionem non haberet, eandem calamitatem subirent liberi bonis publicatis. quanquam quod tua mater & soror deprecatur pro pueris, id ipsum, & multa alia crudeliora nobis omnibus Lepidus, Antonius, & reliqui hostes denuntiant. Itaque maximam spem hoc tempore habemus in te atque exercitu tuo. cum ad Reip. summam, tum ad gloriam, & dignitatem tuam vehementer pertinet te in Italiam, vt antè scripsi, venire quamprimùm: eget enim vehementer tum viribus tuis, tum etiam consilio Resp. Veterem pro eius erga te beneuolentia, singularique officio libenter ex tuis literis complexus sum, eumque cum tui, tum Reip. studiosissimum, amantissimumque cognoui. Ciceronem meum propediè, vt spero, videbo: tecum enim illum, & te in Italiam celeriter esse venturum confido.

BRVTVS CICERONI S.

DE M. Lepido vereri me cogit reliquorum timor: qui si eripuerit se nobis (quod velim temere atque iniuriose de illo suspicati sint homines) oro atque obsecro te Cicero, necessitudinem nostram, tuamque in me beneuolentiam obtestans, sororis meæ liberos, obliuiscaris esse Lepidi filios: meque his in patris locum successisse existimes. hoc si à te impetro, nihil profectò dubitabis pro his suscipere. Aliter alii cum suis viuunt:

nihil ego possum in sororis meæ liberos facere, quo possit expleri voluntas mea aut officium. quid verò aut mihi tribuere boni possunt, si modò digni sumus, quibus aliquid tribuatur: aut ego matri ac sorori, puerisque illis præstaturus sum, si nihil valuerit apud te, reliquumque Senatum contra patrem Lepidum Brutus auunculus? Scribere multa ad te neque possum præ solitudine ac stomacho, neque debeo. nã si in tanta re, tamque necessaria verbis mihi opus est ad te excitandum & confirmandum, nulla spes est facturum te quod volo & quod oportet. Quare noli expectare longas preces: intuere me ipsum, qui hoc à te vel à Cicerone coniunctissimo homine priuatim, vel à consulari tali viro remota necessitudine priuata impetrare debeo. Quid sis factururus, velim mihi quamprimùm rescribas. Cal. Quint. Ex castris.

CICERO BRVTO S.

BREVE S tuæ literæ: breues dico: immò nullæ. tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me: nihil scripsissem potius. & requiris meas. Quis vnquam ad te tuorum sine meis venit: quæ autem epistola non pondus habuit: quæ si ad te perlatæ non sunt, ne domesticas quidem tuas perlatas arbitror. Ciceroni scribis te longiorem daturum epistolam. rectè id quidem: sed hæc quoque debuit esse plenior. Ego autem, cum ad me de Ciceronis abs te discessu scripsisses, statim extrusi tabellarios, literasque ad Ciceronem: vt etiam si in Italiam venisset, ad te rediret. nihil enim mihi iucundius, nihil illi honestius. quanquam aliquoties ei scripseram, sacerdotum comitia mea summa contentione in alterum annum esse reiecta: quod ego cum Ciceronis causa elaborauis, tum Domitii, Catonis, Lentuli, Bibulorum: quod ad te etiam scripseram. sed videlicet, cum illam pusillam epistolam tuam ad me dabas, nondum erat tibi id notum. Quare omnino studio à te mi Brute contendo, vt Ciceronem meum ne dimittas, tecumque adducas: quod ipsum, si Remp. cui susceptus es, respicis, tibi iam iamque faciendum est: renatum enim bellum est, idque non paruo scelere Lepidi. exercitus autè Cæsaris, qui erat optimus, non modò nihil prodest, sed etiam cogit exercitum tuum flagitari: qui si Italiam attigerit, erit ciuis nemo (quem quidem ciuem appellari fas sit) qui se non in tua castra conferat. etsi Brutum præclare cum Planco coniunctum habemus. Sed non ignoras quàm sint incerti animi hominum, & infecti partibus, & exitus præliorum. quin etiam si, vt spero, vicerimus, tamen magnam gubernationem tui consilii, tuæque auctoritatis res desiderabit. Subueni igitur per deos, idque quamprimùm. tibi persuade, non te Idibus Martiis, quibus seruitutem à tuis ciuibus repulisti, plus profuisse patriæ, quàm si matrem veneris, profuturum. I I. Id. Quint.

CICERO BRVTO S.

MESSALAM habes. quibus igitur literis tam accuratè scriptis assequi possum, subtilius vt explicem, quæ gerantur, quæque sint in Rep. quàm tibi is exponet, qui & optimè omnia nouit, & elegantissimè expedire & deferre ad te potest: caue enim existimes Brute (quanquam non est necesse ea me ad te, quæ tibi nota sunt, scribere: sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non quo silentio præterire) caue putes, probitate, constantia, cura, studio Reip. quicquam illi esse simile: vt eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. quanquam in hac ipsa sapientia plus apparet: ita graui iudicio, multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. tanta autem industria est, tantumque euigilat in studio, vt non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia habenda videatur. sed prouehor amore: non enim id propositum est huic epistolæ, Messalam vt laudem, præsertim ad Brutum, cui & virtus illius non minus quàm mihi nota est, & hæc ipsa studia, quæ laudo, notiora. quem cum à me dimittens grauiter ferrem, hoc leuabar vno, quòd ad te tanquam ad alterum me proficiscens, & officio fungebatur, & laudem maximam sequebatur. sed hæc hæc tunc. Venio nunc, longo fanè interuallo, ad quandam epistolam, qua mihi multa tribuens, vnum reprehendebas, quòd in honoribus decernendis essem nimius, & tanquam pro-

digus. tu hoc: alius fortasse, quòd in animaduersione pœnâque durior: nisi fortasse vtrunque tu. quod si ita est, vtriusque rei meum iudicium tibi cupio esse notissimum: neque solùm vt Solonis dictũ vsurpem, qui & sapiens vnus fuit ex septem, & legum scriptor solus ex septem. is Remp. duabus rebus contineri dixit, præmio & pœna. est scilicet vtriusque rei modus, sicut reliquarum, & quædam in vtroque genere mediocritas. Sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. Quid ego autem secutus hoc bello sim in sententiis dicendis, alienum non puto aperire. Post interitum Cæsaris, & vestras memorabileis Idus Martias, Brute, quid ego prætermisum à vobis, quantàmque impendêre Reip. tempestatem dixerim, non es oblitus. magna pestis erat depulsa per vos, magna populi R. macula deleta, vobis verò parta diuina gloria: sed instrumentum 35 regni delatum ad Lepidum & Antonium: quorum alter inconstantior, alter impurior, vterque pacem metuens, inimicus otio. His ardentibus perturbandæ Reip. cupiditate quod opponi posset præsidium, non habebamus. erexerat enim se ciuitas in retinenda libertate consentiens. nos tum nimis acres: vos fortasse sapientius excessistis vrbe ea, quam liberaratis: Italia sua vobis studia profertenti remisistis. Itaque cum teneri Urbem à parricidis viderem, nec te in ea, nec Cassium tutò esse posse, eamque armis oppressam ab Antonio: mihi quoque ipsi esse excedendum putavi. tetrum enim spectaculum, oppressa ab impiis ciuitas, opitulandi potestate præcisa. sed animus idem, qui semper infixus in patriæ charitate, discessum ab eius periculis ferre nõ potuit. Itaque in medio Achaico cursu, cum Etefiarum diebus auster me in Italiam, quasi disuasor mei consilii retulisset, te vidi Velia, doliũque vehementer. cedebas enim Brute, cedebas, quoniam 36 Stoici vestri negant fugere sapientis. Romam vt veni, statim me obtuli Antonii sceleri atque dementia. quem cum in me incitauissem, consilia inire cœpi, Brutina planè, (vestri enim hæc sunt propria sanguinis) Reip. liberandæ. Longa sunt quæ restant, prætereunda: sunt enim de me. tantum dico, Cæsarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Huic habiti à me honores, nulli quidem Brute, nisi debiti, nulli nisi necessarii. vt enim primùm libertatem reuocare cœpimus, cum se nondum ne Decimi quidem Bruti diuina virtus ita commouisset, vt iam id scire possemus, atque omne præsidium esset in puero, qui à ceruicibus nostris auertisset Antonium, quis honos ei non fuit decernendus? quanquam ego illi tum verborum laudem tribui, eamque modicam. decreui etiam imperium: 37 quod quanquam videbatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. quid enim est sine imperio exercitus? Statuam Philippus decreuit, celeritatẽ petitionis primò Seruius, post maiorem etiam Seruilius. nihil tum nimium videbatur. sed nescio quomodo facilius in timore benigni, quàm in victoria grati reperimur. ego enim D. Bruto liberato, cum latissimus ille ciuitati dies illuxisset, idẽmque casu Bruti natalis esset, decreui, vt in fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur: in eoque sum maiorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt, cuius vos Pontifices ad aram in Velabro facere soletis. quod ego cum dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimæ victoriæ sempiternam memoriam volebam. atque illo die cognoui paulò plures in Senatu maleuolos esse, quàm gratos. eos per ipsos dies effudi (si ita vis) honores in mortuos Hircium & Pansam, Aquilam etiam: quod quis reprehendit, 38 nisi qui, deposito metu, præteriti periculi fuerit oblitus: accedebat ad beneficii memoriã gratam ratio illa, quæ etiam posteris posset esse salutaris: extare enim volebam in crudelissimos hostes monimenta odii publici sempiterna. Suspicio illud minus tibi probari, quod ab tuis familiaribus optimis illis quidem viris, sed in Rep. rudibus non probatur, quòd, vt ouanti introire Cæsari liceret, decreuerim. Ego autem (sed erro fortasse: nec tamen is sum, vt mea me maximè delectent) nihil mihi videor hoc bello sensisse prudentius. cur autem ita sit, aperiendũ non est: ne magis videar prouidus fuisse, quàm gratus. Hoc ipsum nimium: quare alia videamus. D. Bruto decreui honores: decreui

L. Planco. præclara illa quidẽ ingenia, quæ gloria inuitantur: sed Senatus etiam sapiens, 39 qui, qua quenque re putat, modò honesta, ad Remp. iuuandam posse adduci, hac vtitur. At in Lepido reprehendimur: cui cum statuam in rostris statuissimus, iudem illam euertimus. nos illum honore studuimus à furore reuocare: vicit amentia leuissimi hominis nostram prudentiam. nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in euertenda boni. satis multa de honoribus. Nunc de pœna pauca sunt dicenda: intellexi enim ex tuis sæpe literis, te in iis, quos bello deuicisti, clemẽtiam tuam velle laudari. existimo equidem, nil à te nisi sapienter: sed sceleris pœnam prætermittere (id enim est, quod vocatur ignoscere) etiam si in cæteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. nullum enim bellum ciuile fuit in nostra Repub. omnium, quæ memoria mea fuerunt, in quo bello non, vtracũque pars vicisset, tamen aliqua forma esset futura Reip. hoc bello victores quam Remp. simus habituri, non facile 40 affirmarim: victis certè nulla vnquam erit. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum seueras: neque tam vlciscendi causa, quàm vt & in præfens sceleratos ciues timore ab impugnanda patria deterrerem, & in posterum documentum statuerem, nequis talem amentiam vellet imitari. quanquam hæc quidẽ sententia non magis mea fuit, quàm omnium. in qua videtur illud esse crudele, quòd ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna peruenit. sed id & antiquum est, & omniũ ciuitatum: siquidem etiam Themistoclis liberi egerunt. Et si iudicio damnatos eadem pœna sequitur ciueis, qui potuimus leniores esse in hostes? quid autem queri potest quisquam de me, qui, si vicisset, acerbiorẽ se in me futurum fuisse confiteatur necesse est? Habes rationem mearum sententiãrum, de hoc genere duntaxat honoris & pœnæ: nam de cæteris rebus quid 41 ferim, quidque censuerim, audisse te arbitror. sed hæc quidem non ita necessaria. Illud valde necessarium Brute, te in Italiam cum exercitu venire quamprimùm: summa est expectatio tui: qui si Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium. siue enim vicerimus (qui quidem pulcherrimè viceramus, nisi Lepidus perdere omnia, & perire ipse cum suis concupiuisset) tua nobis autoritate opus est ad collocandum aliquem ciuitatis statum, siue etiam nunc certamen reliquum est, maxima spes est cum in autoritate tua, tum in exercitus tui viribus. sed propera per deos: scis enim quãtum sit in temporibus, quantum in celeritate. Sororis tuæ filiis quàm diligenter consulam, spero te ex matris & ex sororis literis cogniturum. qua in causa maiorem habeo rationem tuæ voluntatis, quæ mihi charissima est, quàm, vt quibusdam videor, constantiæ meæ. Sed 42 ego nulla in re malo, quàm te amando constans & esse & videri.

B R V T V S C I C E R O N I S.

PARTICVLAM literarum tuarum, quas misisti Octauio, legi, missam ab Attico mihi. studium tuum, curaque de salute mea nulla me noua voluptate affecit: non solùm enim vsitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atque honorificè dixeris aut feceris. At dolore, quãtum animo maximum capere possum, eadem illa pars epistolæ scriptæ ad Octauium de nobis affecit: sic enim illi gratias agis de Rep. tam suppliciter ac demissè, (quid scribam? pudet conditionis ac fortunæ: sed tamen scribendum est: commendas nostram salutem illi, quæ morte qua non perniciosior?) vt prorsus præ te feras non sublatam dominationem, sed dominum 43 commutatũ esse. verba tua recognosce, & aude negare seruiantis aduersus Regem istas esse preces. Vnum ais esse, quod ab eo postuletur & expectetur, vt eos ciueis, de quibus viri boni, populũque Rom. bene existimet, saluos velit. quid si nolit? non erimus? atqui non esse, quàm esse per illum, præstat. Ego mediũfidius nõ existimo tam omneis deos auersos esse à salute populi Ro. vt Octauius orandus sit pro salute cuiusquam ciuis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum: iuuat enim magnificè loqui, & certè decet aduersus ignorantẽs quid pro quoque timendum, aut à quoque petendum sit. Hoc tu Cicero posse fateris Octauium, & illi amicus es: aut, si me charũ habes, vis Romæ videri,

cum, ut ibi esse possem, commendandus puero illi fuerim? cui quid agis gratias, si, ut nos saluos esse velit, & patiatur, rogandum putas? an hoc pro beneficio est habendum, quod se, quam Antonium, esse maluerit, a quo ista petenda essent? vindici quidem aliena dominationis, non vicario, ecquis supplicat ut optimè meritis de Repub. liceat esse saluus? Ista verò imbecillitas & desperatio, cuius culpa non magis in te residet, quam in omnibus aliis, & Cæsarem in cupiditatem regni impulit, & Antonio post interitum illius persuasit, ut interfecti locum occupare conaretur: & nunc puerum istum extulit, ut tu iudicares precibus esse impetrandam salutem talibus viris, misericordiamque vnus, vix etiam nunc viri tutos fore nos, haud vlla alia re. Quod si Romanos nos esse meminissimus, non audacius dominari cuperēt postremi homines, quam id nos prohiberemus: neque magis irritatus esset Antonius regno Cæsaris, quam ob eiusdem mortem deteritus. Tu quidem consularis, & tantorum scelerum vindex (quibus oppressis, vereor ne in breue tempus dilata sit abs te pernicies) quā potes intueri quæ gesseris, simul & ista vel probare, vel ita demisse ac facillè pati, ut probantis speciem habeas? Quod autem tibi cum Antonio priuatum odium? nempe quia postulabat hæc, salutem ab se peti precariam, nos incolumitatem habere, a quibus ipse libertatē accepisset: esse arbitrium suum de Rep. Quæreda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur: scilicet ut illo prohibito rogaremus alterum, qui se in eius locum reponi pateretur, an ut esset sui iuris ac mancipii Resp? nisi fortè non de seruitute, sed de conditione seruiendi recusatum est a nobis. Atqui non solum bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam, sed etiā beneficiis atque honoribus, ut participes frui quantis vellemus. quid enim neget iis, quorum patiētiam videret maximum suæ dominationis præsidium esse? Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram & libertatem. Hic ipse puer, quem Cæsaris nomen incitare videtur in Cæsaris interfectores, quanti existimet (si sit commercio locus) posse nobis authoribus tantum, quantum profectò poterit, quoniam viuere, & pecunias habere, & dici consulares volumus? Cæterum ne quicquam perierit ille: cuius interitu quid gauisi sumus, si mortuo nihilo minus seruituri eramus? nulla cura adhibetur. Sed mihi prius omnia dii, deæque eripuerint, quam illud iudicium, quo non modò hæredi eius, quem occidi, non cōcesserim, quod in illo non tuli, sed ne patri quidem meo, si reuiuiscat, ut patiente me plus legibus ac Senatu possit. An hoc tibi persuasum est, fore cæteros ab eo liberos, quo inuito nobis in ista ciuitate locus non sit? quā porro id, quod petis, fieri potest ut impetres? rogas enim, velit nos saluos esse. videmur ergo tibi salutem accepturi, cum vitam acceperimus: quam, si prius dimittimus dignitatem & libertatem, quā possumus accipere? an tu Romæ habitare, id putas incolumem esse? res, non locus, oportet præstet istuc mihi. neque incolumis fui Cæsare viuo, nisi postquam illud consciiui facinus: neque vsquam exul esse possum, dum seruire & pati contumelias, peius odero malis omnibus aliis. Nonne hoc est in easdem tenebras recidisse, cum ab eo, qui tyranni nomen asciuit sibi (cum in Græcis ciuitatibus liberi tyrannorum, oppressis illis, eodem supplicio afficiantur) petitur ut vindices atque oppressores dominationis salui sint? Hanc ego ciuitatem videre velim, aut putem vllam, quæ ne traditam quidem, atque inculcatam libertatem recipere possit: plusque timeat in puero nomen sublatis Regis, quam confidat sibi, cum illum ipsum, qui maximas opes habuerit, paucorum virtute sublatum videat? Me verò posthac ne commendaueris Cæsari tuo, ne te quidem ipsum, si me audies. valde carè æstimas tot annos, quot ista ætas recipit, si propter eam causam puero isti supplicaturus es. Deinde, quod pulcherrimè fecisti, ac facis in Antonium, vide ne conuertatur à laude maximi animi ad opinionem formidinis: nam si Octavius tibi placet, a quo de nostra salute petendum sit, non dominum fugisse, sed amiciorem dominū quæsisse videberis. quem quod laudas ob ea quæ adhuc fecit, planè probo: sunt enim laudanda, si modò contra alienam potentiam, non pro sua suscepit eas actiones. cum verò iudicas tantum illi non modò licere, sed etiam

à te ipso tribuendum esse, ut rogandus sit, ne nolit esse nos saluos, nimium magnam mercedem statuis. id enim ipsum illi largiris, quod per illum habere videbatur Resp. neque hoc tibi in mentem venit, si Octavius vllis dignus sit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat, iis qui illud malum exciderint, cuius istæ reliquæ sunt, nihil, quo expleri possit eorum meritum, tributurum vnquā populum Ro. si omnia simul congererit. At vide, quantò diligentius homines metuant, quam meminerint, quia Antonius viuat, atque in armis sit. De Cæsare verò quod fieri potuit, ac debuit, transactum est, neque iam reuocari in integrū potest. Octavius is est, qui quid de nobis iudicaturus sit, expectet populus R: nos ii sumus, de quorum salute vnus homo rogandus videatur? Ego verò (ut istuc reuertar) is sum, qui non modò non supplicem, sed etiam coërceam postulanteis, ut sibi supplicetur: aut longè a seruientibus abero, mihi que esse iudicabo Romam, vbicunque liberum esse licebit: ac vestri miserebor, quibus nec ætas, neque honores, neque virtus aliena dulcedinem viuendi minuere potuerit. Mihi quidè ita beatus esse videbor, si modò constanter ac perpetuò placebit hoc consilium, ut relatam putem gratiam pietati meæ. quid enim est melius, quam memoria rectè factorum, & libertate contentum negligere humana? Sed certè non succumbam succubentibus, nec vincar ab iis qui se vinci volunt, experiar que & tētabo omnia, neque desistam abstrahere à seruitio ciuitatem nostram. Si secuta fuerit, quæ debet, fortuna, gau debimus omnes: sin minus, ego tamen gaudebo. quibus enim potius hæc vita factis aut cogitationibus traducatur, quam iis, quæ pertinuerint ad liberandos ciues meos? Te Cicero rogo atque hortor, ne defatigare, neu diffidas, semper in præsentibus malis prohibendis futura quoque, nisi antè sit occursum, explores, ne se insinuent. fortè & liberum animum, quo & Consul, & nunc consularis Remp. vindicasti, sine constantia & æquabilitate nullum esse putaris: fateor enim duriolem esse cōditionem spectatæ virtutis, quam incognitæ. Benefacta pro debitis exigimus: quæ si aliter eueniunt, ut decepti ab his, infesto animo reprehendimus. Itaque resistere Antonio Ciceronem, etsi magna laude dignum est: tamen quia ille Consul hunc consularem meritò præstare videtur, nemo admiratur. Idem Cicero, si flexerit aduersus alios iudicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio, non modò reliqui tēporis gloriam eripuerit sibi, sed etiam præterita euanescere coget (nihil enim per se amplum est, nisi in quo iudicii ratio extat) quia neminem magis decet, quam te, Remp. amare, libertatisque defensorē esse, vel ingenio, vel rebus gestis, vel studio, atque efflagitatione omnium. Quare non Octavius est rogandus, ut velit nos saluos esse: magis tute exuscita, ut eam ciuitatem, in qua maxima gessisti, liberam atque honestam fore putet, si modò sint populo duces ad resistendum improborum consiliis.

B R V T V S A T T I C O S .

SCRIBIS mihi mirari Ciceronem, quod nihil significem vnquā de suis actis. quoniam efflagitas, coactu tuo scribam quæ sentio. Omnia fecisse Ciceronem optimo animo scio: quid enim mihi exploratius esse potest, quam illius animus in Rēp? sed quædam mihi videtur, quid dicam imperitè, vir omnium prudentissimus, an ambitiosè fecisse, qui valentissimum Antonium suscipere pro Rep. non dubitarit inimicum? Nescio quid scribam tibi, nisi vnum, pueri & cupiditatem & licentiā potius esse irritatam, quam repressam à Cicerone: tantumque eum tribuere huic indulgentiæ, ut se maledictis non abstineat, iis quidem quæ in ipsum dupliciter recidunt, quod & plureis occidit vno, seque prius oportet fateatur sicariū, quam obiiciat Casca quod obiicit, & imitatur in Casca Bestiam. An, quia non omnibus horis iactamus Idus Martias, similiter atque ille Nonas Decembreis suas in ore habet, eo meliore cōditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quam Bestia & Clodius reprehendere illius Consulatum soliti sunt? Sustinuisse mihi gloriatur bellū Antonii togatus Cicero noster. quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur in Antonii locū successio? & si vindex

illius mali author extitit alterius fundamentum, & radices habituri altiores, si patiamur: vt iam ista quæ facit, non dominationem, non, sed dominum Antonium timentis sint. Ego autem gratiam non habeo, si quis, dum ne irato seruiat, rem ipsam nõ deprecatur. Immo triumphus & stipendium decernitur, & omnibus decretis ornatur. Pudeat conspiciere fortunam, cuius nomen susceperit. Consularis hoc, an Ciceronis est? Quoniam tacere non licuit, leges quæ tibi necesse est molesta esse. etenim ipse sentio, quanto cum dolore hæc ad te perscripserim: nec ignoro quid sentias in Reipub. & quam desperatam quoque sanari putes posse. Nec mehercule te Attice reprehendo: ætas enim, mores, liberi segnem efficiunt: quod quidem etiam ex Flauio nostro perspe-
xi. Sed redeo ad Ciceronem. Quid inter Saluidenum & eum interest? quid autem amplius ille decerneret? Timet, inquit, etiam nunc reliquias belli ciuilibus. Quisquam ergo ita timet profligatum, vt neque potentiam eius qui exercitum victorem habeat, neque temeritatem pueri putet extimescendam esse? An hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia iam, vltroque deferenda putat? O magnam stultitiã timoris, id ipsum quod verearis, ita cauere, vt cum vitare fortasse potueris, vltro accersas & attrahas. nimium timemus mortem, & exilium, & paupertatem. Hæc mihi videntur Ciceroni vltima esse in malis: & dum habeat à quibus impetret quæ velit, & à quibus colatur ac laudetur, seruitutem, honorificam modo, nõ aspernatur, si quicquam in extrema ac miserrima contumelia potest honorificum esse. Licet ergo patrem appellet Octauius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat: tamen illud apparebit, verba
rebus esse contraria. quid enim tam alienum ab humanis sensibus est, quam eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero sit? Atqui eò tendit, id agit, ad eum exitum properat vir optimus, vt sit illi Octauius propitius. Ego verò iam iis artibus nihil tribuo, quibus scio Ciceronem instructissimum esse. quid enim illi profunt, quæ pro libertate patriæ de dignitate, quæ de morte, exilio, paupertate scripsit copiosissime? Quanto autem magis illa callere videtur Philippus, qui priuigno minus tribuerit, quam Cicero qui alieno tribuat? Desinat igitur gloriando etiam insectari dolores nostros. quid enim nostra, victum esse Antonium, si victus est vt alii vacaret quod ille obtinuit? famet si tuæ literæ dubia etiam nunc significant. Viuat hercule Cicero qui potest, supplex & obnoxius, si neque ætatis, neque honorum, neque rerum gestarum pu-
det. Ego certè, qui cum ipsa re bellum geram, hoc est cum regno & imperiis extraordinariis, & dominatione & potentia, quæ supra leges se esse velit, nulla erit tam bona conditio seruiendi, qua non deterrear, quanuis sit vir bonus, vt scribis, Antonius: quod ego nunquam existimaui. Sed dominum ne parentem quidem maiores nostri voluerunt esse. Te nisi tantum amarem, quantum Ciceroni persuasum est diligere ab Octauio, hæc ad te non scripsissem. Dolet mihi, quod tu non stomacharis amantissimum tuorum omnium, tum etiam Ciceronis. sed persuade tibi de voluntate propria mea nihil esse remissum, de iudicio largiter: neque enim impetrari potest, quin quale quicque videatur ei, talem quisque de illo opinionem habeat. Vellem mihi scripsisses, quæ conditiones essent Atticæ nostræ. potuissem tibi aliquid de meo sensu perscribere.

Valetudinem Porciæ meæ tibi curæ esse non miror. denique quod petis, faciam libenter: nam etiam sorores me rogant: & hominem noro, & quid sibi voluerit.

M. T. CICERO MARCO BRUTO S.

CVM sæpe te literis hortatus essem vt quamprimum Reipub. subuenires, in Italiãque exercitum adduceres, neque id arbitrarer dubitare tuos necessarios: rogatus sum à prudentissima & diligentissima fœmina matre tua, cuius omnes curæ ad te referuntur, & in te consumuntur, vt venirem ad se ad v. i. Cal. Sext. quod ego, vt debui, sine mora feci. Cum autem venissem, Casca aderat, & Labeo, & Scaptius. At illa retulit, quæ sicutque quidnam mihi videretur, accerseremusne te, atque tibi id conducere putaremus, an tardare & commorari te melius esset. Respondi id quod sentiebam, & digni-

tati & existimationi tuæ maximè conducere, te primo quoque tempore ferre præsidium labenti & inclinatæ Reipub. quid enim abesse censes mali in eo bello, in quo victores exercitus fugientem hostem persequi noluerunt? & in quo incolumis imperator, honoribus amplissimis, fortunisque maximis, coniuge, liberis, vobis affinis ornatus, bellum Reipub. indixerit? Quid dicam, in tanto Senatus, populique consensu, cum tantum resideat intra muros mali? Maximo autem, cum hæc scribebam, afficiebar dolore, quod cum me pro adolescentulo, ac penè puero Respub. accepisset vadem, vix videbar quod promiseram præstare posse. Est autem grauior & difficilior animi & sententiæ, maximis præsertim in rebus, pro altero, quam pecuniæ, obligatio: hæc enim solui potest, & est rei familiaris iactura tolerabilis: Reipub. quod sponderis, quemadmodum soluas, nisi is dependi facile patitur, pro quo sponderis? Quanquam & hunc (vt spero) tenebo multis repugnantibus: videtur enim in eo esse indoles, sed flexibilis ætas: multique ad deprauandum parati, qui splendore falsi honoris obiecto, aciem boni ingenii perstringi posse confidunt. Itaque ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, vt omneis adhibeam machinas ad tenendum adolescentem, ne famam subeã temeritatis. Quanquam quæ temeritas est? magis enim illum, pro quo sponderis, quam me obligauit. Nec verò pœnitere potest Remp. me pro eo sponderisse, qui fuit in rebus gerendis tum suo ingenio, tum mea promissione constantior. Maximus autem (nisi me fortè fallit) in Reipub. nodus est inopia rei pecuniariæ: obdurefcunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributis, quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum in duarum legionum præmiis omne consumitur. Impendent autem infiniti sumptus tum in hos exercitus, quibus nunc defendimur, tum verò in tuum. nam Cassius noster videtur posse satis ornatus venire. Sed & hæc, & multa alia coram cupio, idque quamprimum. De sororis tuæ filiis, non expectaui Brute, dum scriberes. Omnino iam tempora (bellum enim ducetur) integram tibi causam reseruãt. Sed ego à principio, cum diuinare de belli diurnitate non possem, ita causam egi puerorum in Senatu, vt te arbitror è matris literis potuisse cognoscere. Nec verò vlla res erit vnquam, in qua ego non vel vitæ periculo ea dicã, eaque faciam quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitror. Vale. v. i. Calend. Sext.

M. Tullii Ciceronis Epistolarum

AD QUINTVM FRATREM LIBER I.

MARCVS QVINTO FRATRI S.



SI NON dubitabam quin hanc epistolam multi nuntii, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura, tuque ante ab aliis auditurus esses, annu tertium accessisse desiderio nostro & labori tuo: tamè existimaui à me quoque tibi huius molestiæ nuntium perferri oportere. nam superioribus literis, non vnus, sed pluribus, cum iam ab aliis desperata res esset, tamen ego tibi spem maturæ decessionis afferebam, non solum vt quamdiutissimè te iucunda opinione oblectarem, sed etiam quia tanta adhibebatur & à nobis, & à Prætoribus contentio, vt rem posse cõfici non diffiderem. Nunc, quoniã ita accidit vt neque Prætores suis opibus, neque nos nostro studio quicquã proficere possemus, est omnino difficile non grauius id ferre: sed tamen nostros animos maximis in rebus gerendis & sustinendis exercitatos, frangi & debilitari molestia non oportet. & quoniam ferre ea

molestissimè homines debent, quæ ipsorū culpa contracta sunt: est quiddam in hac re mihi molestius ferendū, quàm tibi: factum est enim mea culpa, cōtra quàm tu mecum & proficiscēs, & per literas egeras, vt priore anno non succederetur. quod ego, dum sociorū salutem consulo, dum impudentiæ nonnullorum negotiatorum resisto, dum nostram gloriā tua virtute augeri expeto, feci non sapienter: præsertim cum id commiserim, vt ille alter annus etiā tertium posset adducere. Quod quoniam peccatū meum esse confiteor, est sapientiæ atque humanitatis tuæ curare & perficere, vt hoc minus sapienter à me prouisum, diligentia tua corrigatur. ac si te ipse vehementius ad omnes partes bene audiēdi excitaris, non vt cum aliis, sed vt tecum iam ipse certes, si omnem tuam mētem, curam, cogitationē, & excellentem omnibus in rebus laudis cupiditatē incitaris: mihi crede, vnus annus additus labori tuo, multorū annorum lætitiā nobis, gloriam verò etiā posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primū rogo, ne contrahas aut demittas animū, neue te obrui tanquā fluctu sic magnitudine negotii linas, cōtraque erigas ac resistas, siue etiā vltro occurras negotiis: neque enim eiusmodi partem Reip. geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimū ratio possit, & diligentia. Quod si tibi bellum aliquod magnum & periculosum administranti prorogatum imperium viderem, tremere animo, quod eodem tempore esse intelligerem etiam fortunæ potestātē in nos prorogatam. Nunc verò ea pars tibi Reip. cōmissa est, in qua aut nullam, aut perexiguā partem fortuna tenet, & quæ mihi tota in tua virtute ac moderatione animi posita esse videatur. Nullas (vt opinor) insidias hostium, nullā prælii dimicationē, nullam defectionem sociorum, nullā inopiam stipendii aut rei frumentariæ, nullam seditionē exercitus pertimescimus, quæ persæpe sapientissimis viris acciderūt, vt quemadmodū gubernatores optimi vim tempestatis, sic illi fortunæ impetum superare non possent. Tibi data est summa pax, summa tranquillitas, ita tamen vt ea dormientem gubernatorē vel obruere, vigilantem etiam delectare possit. constat enim ea prouincia primū ex eo genere sociorum, quod est ex hominum omni genere humanissimū: deinde ex eo genere ciuium, qui aut quod publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt: aut quod ita negotiantur vt locupletes sint, nostri Consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur. At enim inter hos ipsos existūt graues, cōtrouersia, multa nascuntur iniuriæ, magnæ contentiones consequuntur. Quali verò ego id putē, non te aliquantum negotii sustinere. intelligo permagnū esse negotium, & maximi consilii. Sed memento consilii me hoc negotiū esse magis aliquāto, quàm fortunæ putare. quid est enim negotii, continere eos quibus præsis, si te ipse contineas: Id autem sit magnū & difficile cæteris, sicut est difficillimum: tibi & fuit hoc semper facillimū, & verè esse debuit, cuius natura talis est, vt etiā sine doctrina videatur moderata esse potuisse: ea autem adhibita doctrina est quæ vel vitiosissimam naturā excolere possit. Tu cum pecuniæ, cum voluptati, cum omnium rerū cupiditati resistes, vt facis, erit, credo, periculum ne improbum negotiatorem, paulò cupidiorē publicanum comprimere non possis. nam Græci quidē sic te ita viuentem intuebuntur, vt quēdam ex annalium memoria, aut etiā è cælo diuinum hominem esse in prouinciā delapsū putent. Atque hæc nunc non vt facias, sed vt te facere & fecisse gaudeas scribo. præclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia trienniū, sic vt nullum te signū, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipiū, nulla forma cuiusquam, nulla cōditio pecuniæ (quibus rebus abundat ista prouincia) ab summa integritate continentiaque deduxerit. Quid autē reperiri tam eximium, aut tam expetendum potest, quàm istā virtutem, moderationem animi, temperantiā non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asia, in oculis clarissimæ prouinciæ, atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam: non itineribus tuis perterri homines, non sumptu exhauriri, non aduentu cōmoueri, esse quocumque veneris, & publicè, & priuatim maximā lætitiā: cum vrbs custodē, non tyrannum: domus hospitem, non expilatorem.

recepisse videatur: His autem in rebus iam te vsus ipse profectò erudiuit nequaquam satis esse, ipsum hæc habere virtutes, sed esse circumspectum diligenter, vt in hac custodia prouinciæ non te vnum, sed omnes ministros imperii tui, socios & ciuibus, & Reip. præstare videare. quanquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suæ: de quibus honore & dignitate & ætate præsta Tuberot: quem ego arbitror, præsertim cum scribat historiā, multos ex suis annalibus posse diligere, quos velit & possit imitari: Halienus autem noster cum animo & beneuolentia, tum verò etiam imitatione viuendi. Nam quid ego de Gratidio dicam: quem certò scio ita laborare de existimatione sua, vt propter amorem in nos fraternum etiam de nostra laboraret. Quæstorem habes non tuo iudicio delectum, sed cum quem fors dedit. Hunc oportet & sua sponte esse moderatum, & tuis institutis & præceptis obtemperare. Quorum si quis fortè esset sordidior, ferres catenus, quoad per se negligeret eas leges, quibus est adstrictus, nō vt ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quæstum abuteretur: neque enim mihi sanè placet, præsertim cum hi mores tātū iam ad nimiam lenitatem & ambitionem incubuerint: scrutari te omnes fordeis, excutere vnumquēque eorum, sed quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos, eos quos tibi comites & adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa Resp. duntaxat finibus iis præstabis, quos antè præscripsi. Quos verò aut ex domesticis conuictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte Prætoris appellari solent, horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis rectè facientis facile diligere, minus cōsultentis existimationi tuæ facillime coercere. à quibus, rudis cum esses, videtur potuisse tua liberalitas decipi: nam vt quisque est vir optimus, ita difficillimè esse alios improbos suspicatur. Nūc verò tertius hic annus habeat integritatem eandem quam superiores, cautiorē etiam, ac diligentiorē. Sint aures tuæ, quæ id quod audiunt, existimentur audire, nō in quas fictè aut simulatè quæstus causa insusurretur. Sit annulus tuus non vt vas aliquod, sed tanquam ipse tu: non minister alienæ volūtatis, sed testis tuæ. Accessus sit eo etiā numero, quo cum maiores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris nō temere nisi libertis suis deferebāt, quibus illi quidem nō multò secus ac seruis imperabāt. Sit licitor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor, maioraque præferant fasces illi ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis. Toti denique sit prouinciæ cognitū, tibi omniū quibus præsis, salutem, liberos, famiam, fortunas esse charissimas. Denique hæc opinio sit, nō modò iis qui aliquid acceperint, sed iis etiam qui dederint, te inimicū, si id cognoueris, futurū. Neque verò quisquā dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari. Nec tamen est hæc oratio mea huiusmodi, vt te in tuos aut durum esse nimium, aut suspiciosum velim. nam si quis est eorum qui tibi biennii spatio nunquam in suspicionem auaritiæ venerit, vt ego Cæsum, & Charippum, & Labeonem audio, & quia cognoui existimo: nihil est quod non & iis, & si quis est alius eiusmodi, & committi & credi rectissimè putem. Sed si quis est in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris, huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris. In prouincia verò ipsa si quem es nactus qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis antè fuerit ignotus, huic quantum credendum sit, vide: non quin possint multi esse prouinciales viri boni: sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscuiusque natura: frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verò sæpissime. Quam ob rem quæ potes experire ex eo genere hominum qui pecuniæ cupiditate adducti careant iis rebus omnibus, à quibus nos diuulsi esse non possumus: te autem alienum hominem ament ex animo, ac nō sui cōmodi causa simulent: Mihi quidem permagnū videtur, præsertim si iidem homines priuatū non ferè quenquam prætores

semper omnes amant. Quo ex genere si quem fortè tui cognouisti amantiorem (fieri enim potuit) quàm temporis, hunc ad tuum numerum libenter ascribito. sin autem id non perspicias, nullum erit genus in familiaritate cauèdum magis, propterea quòd & omneis vias pecuniæ norūt, & omnia pecuniæ causa faciunt, & quicum victuri non sunt, eius existimationi consulere non curant. Atque etiam è Græcis ipsis diligenter cauedæ sunt quædam familiaritates, præter hominum perpaucorum, siqui sunt vetere Græcia digni. Sic verò fallaces sunt permulti, & leues, & diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditi, quos ego vniuersos adhiberi liberaliter, optimum quenque hospitio amicitiaque coniungi dico oportere. nimix familiaritates eorum neque tam fideles sunt (non enim audent aduersari nostris voluntatibus) & inuident non nostris solum, verum etiam suis. Iam qui in eiusmodi rebus, in quibus vereor etiam ne durior sim, cautus esse velim ac diligens: quo me animo in seruos esse censes? quos quidem cum omnibus in locis, tum præcipuè in prouinciis regere debemus. Quo de genere multa præcipi possunt: sed hoc & breuissimū est, & facillime teneri potest: vt ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, vt si iter Appia via faceres, neue interesse quicquam putent, vtrum Tralleis, an Formias venerint. ac si quis est ex seruis egregiè fidelis, sit in domesticis rebus & priuatis: quæ res ad officium imperii tui, atque ad aliquam partem Reip. pertinebunt, de iis rebus nequid attingat. multa enim, quæ rectè committi seruis fidelibus possunt, tamen sermonis & vituperationis vitandæ causa committenda non sunt. Sed nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset. quid enim ei præcipiam, quem ego in hoc præfertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem, quàm me, vsu vero etiam superiorem: sed tamen si ad ea quæ faceres, authoritas accederet mea, tibi ipsi illa putauisse iucundiora. Quare sint hæc fundamenta dignitatis tuæ, tua primū integritas & continentia: deinde omnium qui tecum sunt, pudor, delectus in familiaritatibus & prouincialium hominum & Græcorum percautus & diligens, familiæ grauis & constans disciplina. Quæ cum honesta sint in his priuatis nostris quotidianisque rationibus: in tanto imperio tam deprauatis moribus, tam corruptrice prouincia, diuina videantur necesse est. Hæc institutio atque disciplina potest sustinere in rebus statuendis decernendisque eam seueritatem, qua tu in iis rebus vsus es, ex quibus nonnullas simultates cum magna mea latitia susceptas habemus: nisi fortè me Paconii nescio cuius, hominis ne Græci quidem, at Myfi aut Phrygis potius, querelis moueri putas, aut Thuscenii hominis furiosi ac sordidi vocibus, cuius tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum æquitate. Hæc, & cætera plena seueritatis, quæ statuisti in ista prouincia, non facile sine summa integritate sustinebimus. quare sit summa in iure dicendo seueritas, dummodo ea ne varietur gratia, sed conseruetur æquabilis. Sed tamen parui refert, abs te ipso ius dici æqualiter, & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem videtur non sane magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota iurisdictione maximè sustineri. in qua scientiæ præsertim prouincialis ratio ipsa expedita est. Constantia est adhibenda & grauitas, quæ resistat non solum gratiæ, verum etiam suspicioni. Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in discernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octavius iucundissimus fuit: apud què primus licitor qui fuit, tacuit accessus: quoties quisque voluit, dixit, & quàm voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi hæc lenitas illam seueritatem tueretur. Cogebantur Syllani homines, quæ per vim & metū abstulerant, reddere. qui in magistratibus iniuriose decreuerant, eodem ipsis priuatis erat iure parendum. Hæc illius seueritas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quòd si hæc lenitas grata Romæ est, vbi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia: denique tot magistratus, tot auxi-

lia, tanta vis, tanta Senatus authoritas: quàm iucunda tãdem Prætoris comitas in Asia potest esse? in qua tanta multitudo ciuium, tanta sociorum, tot vrbes, tot ciuitates vnius hominis nutum intuentur: vbi nullum auxilium est, nulla conuestio, nullus Senatus, nulla cõcio. Quare cum permagni hominis est, & ipsa natura moderati, tum verò etiam doctrina atque optimarum artium studiis eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, vt nulla alia potestas ab iis quibus præsit, desideretur. Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperii, cuius summa grauitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat. nullum est enim prætermisum in iis officium diligentis & moderati imperii. Eaque si sic coluit ille, qui priuatus futurus nunquam fuit, quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est vt redderent, & ab iis legibus datum est, ad quas reuertendū est? Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda ab iis qui præsent aliis, vt ii, qui eorum in imperio erunt, sint quambeatissimi: quod tibi & esse antiquissimum, & ab initio fuisse, vt primū Asiam attigisti, constante fama, atque omnium sermone celebratum est. Est autem non modò eius qui sociis & ciuibus, sed etiam eius, qui seruis, qui mutis pecudibus præsit, eorum, quibus præsit, commodis, vtilitatique seruire. Cuius quidem generis constare inter omnes video, abs te summam adhiberi diligentiam, nullum æ alienum nouum contrahi ciuitatibus, vetere autem magno & graui multas abs te esse liberatas vrbes: complureis dirutas, ac penè desertas, in quibus vnam Ionix nobilissimam, alteram Carix, Samum & Halicarnassum, per te esse recreatas: nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias: prouideri abs te, vt ciuitates optimatum consiliis administrarentur: sublata Myfiæ latrocinia, cædes multis locis repressas, pacem tota prouincia constitutam: neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multò etiam plura, & maiora oppidorum & furta & latrocinia esse depulsa: remotam à fama & à fortunis, ab otio locupletum illam acerbissimam ministram Prætorum avaritiæ calumniam: sumptus, & tributa ciuitatum ab omnibus, qui earum ciuitatum sineis incolat, tolerari æquabiliter: facillimos esse aditus ad te: patere aureis tuas querelis omniū: nullius inopiam ac solitudinem non modò vilo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem tua & cubiculo esse exclusam: tuo toto denique in imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis. Quantum verò illud est beneficium tuum, quòd iniquo & graui vectigali ædilitiorum, magnis nostris simultatibus Asiam liberaisti? Enimvero si vnus homo nobilis queritur palam te, quòd edixeris ne ad ludos pecuniæ decernerentur, hsc c. sibi eripuisse: quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine quicumque Romæ ludos faceret, quòd erat iam institutum, erogaretur? Quamquam has querelas hominum nostrorum illo consilio oppressimus, quòd in Asia nescio quonam modo, Romæ quidè non mediocri cum admiratione laudatur: quòd cum ad templum monumentumque nostrum ciuitates pecunias decreuissent, cumque id & pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficiis summa sua volūate fecissent: nominatimque lex exciperet vt ad templum monumentumque capere liceret, cumque id quod dabatur, non esset interiturū, sed in ornamentis templi futurum, vt non mihi potius, quàm populo Ro. ac diis immortalibus datum videretur: tamen id in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum qui faciebant, voluntas, accipiendum nõ putauisse, tum aliis de causis, tum etiam vt animo æquiore ferrent ii, quibus nec deberetur, nec liceret. Quapropter incūbe toto animo & studio omni in eam ratione, qua adhuc vsus es, vt eos quos tuæ fidei potestatiue Senatus, populūque Ro. comisit & credidit, diligas, & omni ratione tueare, vt esse quambeatissimos velis. Quòd si te fors Afris, aut Hispanis, aut Gallis præfecisset, immanibus ac barbaris nationibus: tamen esset humanitatis tuæ consulere eorum commodis, & vtilitati salutique seruire. Cum verò ei generi hominū præsimus, nõ modò in quo ipsa

fit, sed etiam à quo ad alios peruenisse putetur humanitas: certè iis eam potissimum tribuere debemus, à quibus accepimus. nō enim me hoc iam dicere pudebit, præsertim in ea vita atque iis rebus gestis, in quibus non potest residere inertia aut leuitatis vlla suspicio, nos ea quæ consecuti sumus, iis studiis & artibus esse adeptos, quæ sint nobis Græciæ monumentis disciplinisque tradita. Quare præter communem fidem, quæ omnibus debetur, præterea nos isti hominum generi præcipuè debere videmur, vt quorum præceptis simus eruditi, apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere. Atque ille quidem princeps ingenii & doctrinæ Plato tum denique fore beatas Resp. putauit, si aut docti & sapientes homines eas regere cõpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc coniunctionem videlicet potestatis & sapientiæ salutem censuit ciuitatibus esse posse: quod fortasse aliquando vniuersæ Reipub. nostræ, nunc quidem profectò isti prouinciæ contigit, vt is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda plurimum à pueritia studii fuisset & temporis. Quare cura, vt hic annus qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiæ prorogatus esse videatur: quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quàm nos in deducendo, per hæc vt lætitia prouinciæ desiderium nostrum leniatur: etenim si in promerendo, vt tibi tanti honores haberentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus, multò maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Et quidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te antè. Semper eos putaui, si vulgares essent, vileis: si temporis causa constituerentur, leucis: si verò (id quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur, existimabam multam tibi in iis tuendis operam esse ponendam. Quare, quoniam in istis vrbibus cum summo imperio & potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas, & in deorum numero collocatas vides: in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te iudiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit eiusmodi, vt consulas omnibus, vt medeare incommodis hominum, prouideas salutem, vt te parentem Asiæ & dici & haberi velis. Atque huic tuæ voluntati ac diligentia difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si aduersamur, ordinem de nobis optimè meritum, & per nos cum Repub. cõiunctum, & à nobis & à Rep. disiungemus: sin autem omnibus in rebus obsequimur, funditus eos perire patiemur, quorum non modò salutem, sed etiam commodis consulere debemus. Hæc est vna (si verè cogitare volumus) in toto imperio tuo difficultas: nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coërcere, & iuris æquabilem tenere rationem, facilem te in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis, admittendisque præbere, præclarum magis est, quàm difficile. non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi, atque voluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat fociis, intelleximus ex ciuibus qui nuper in portorii Italiæ tollendis non tam de portorio, quàm de nonnullis iniuriis portitorum queiebatur. Quare non ignoro quid fociis accidat in vltimis terris, cum audiuerim in Italia querelas ciuium. Hic te ita versari, vt & publicanis satis facias, præsertim publicis male redemptis, & focios perire nō finas, diuinæ cuiusdam virtutis esse videtur, id est tuæ. ac primùm Græcis id, quod acerbissimum est, quod sint vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quod sine imperio populi Ro. suis institutis per se ipsi ita fuerunt. Nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerunt, quod iis æqualiter Sylla descripserat. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quàm nostros publicanos, hinc intelligi potest, quod Caunii nuper omnes ex insulis, quæ erant ab Sylla Rhodis attributæ, confugerunt ad Senatum, nobis vt potius vectigal, quàm Rhodis penderent. Quare nomen publicani neque ii debent horrere qui semper vectigales fuerunt: neque ii aspernari qui se pendere vectigal non potuerunt: neque ii recusare qui postulauerunt. Simul & illud

Asia cogitet, nullam à se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem ab futuram fuisse, si hoc imperio non teneretur. Id autem imperium cum retineri sine vectigalibus nullo modo possit, æquo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat, atque otium. Quod si genus ipsum, & nomen publicani non iniquo animo sustinebunt, poterunt iis consilio & prudentia tua reliqua videri mitiora. Possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam, sed potius commoditatem conficiendi negotii, & ad liberationem molestiæ. Potes etiam tu id facere, quod & fecisti egregiè, & facis, vt commemores quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, vt remoto imperio ac vi potestatis & fascium, publicanos cum Græcis gratia atque authoritate coniungas. Sed & ab iis, de quibus optimè tu meritus es, & qui tibi omnia debent, hoc petas, vt facilitate sua nos eam necessitudinem, quæ est nobis cum publicanis, obtinere & conseruare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu non modò facere potes tua sponte sine cuiusquam præceptis, sed etiã magna iam ex parte perfecisti: non enim desistunt nobis agere quotidie gratias honestissimæ & maximæ societates: quod quidem mihi iccirco iucundius est, quod idem faciunt Græci. Difficile est autem ea quæ commodis, vtilitate, & propè natura diuersa sunt, voluntate coniungere. At ea quidem quæ supra scripta sunt, non vt te instituerem scripsi (neque enim prudentia tua cuiusquam præcepta desiderat) sed me in scribendo commemoratio tuæ virtutis delectauit: quanquam in his literis longior fui, quàm aut vellem, aut me putaui fore. Vnum est quod tibi ego præcipere non desinam, neque te patiar, quantum in me erit, cum exceptione laudari. omnes enim qui istinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, vt in tuis summis laudibus excipiant vnam iracundiam. Quod vitium cum in hac priuata quotidianaque vita leuis esse animi atque infirmi videtur: tum verò nihil est tam deforme, quàm ad summum imperium etiam acerbitatem naturæ adiungere. Quare illud non suspiciam, vt quæ de iracundia dici solent à doctissimis hominibus, ea tibi nunc exponam, cum & nimis longus esse nolim, & ex multorum scriptis ea facile possis cognoscere. Illud quod est epistolæ proprium, vt is, ad quem scribitur, de iis rebus quas ignorat, certior fiat, prætermittendum esse non puto. Sic ad nos omnes ferè deferunt, nihil cum absit iracundia, te fieri posse iucundius: sed cum te alicuius improbitas peruersitasque commouerit, sic te animo incitari, vt ab omnibus tua desideretur humanitas. Quare quoniam in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipsa ac fortuna deduxit, vt sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit: caueamus, quantum efficere & cõsequi possumus, nequod in nobis insigne vitium fuisse dicatur. Neque ego hoc nunc contendo, quod fortasse cum in omni natura, tum iam in nostra ætate difficile est, mutare animum, & siquid est penitus insitum moribus, id subito euellere: sed te illud admoneo, vt si hoc plenè vitare non potes (quod antè occupatur animus ab iracundia, quàm prouidere ratio potuit ne occuparetur) te antè compares, quotidieque meditare resistendum esse iracundiæ: cumque ea maximè animum moueat, tum tibi esse diligentissimè linguam continendam: quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quàm omnino non irasci: nam illud non solum est grauitatis, sed nonnunquam etiam lenitudinis: moderari verò & animo & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere & tenere in sua potestate motum animi & dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamè est non mediocris ingenii. Atque in hoc genere multò te esse iam commodiorem mitiorèque nuntiant. Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contumeliæ perferuntur: quæ cum abhorrent à literis, ab humanitate, tum verò contraria sunt imperio & dignitati. nam si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa leuitas: quæ tamen (vt in malis) acerbitati anteponenda est. Sed quoniã primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, credo propterea, quod tibi hominū iniuria, quod

auaritia, quòd insolètia præter opinionẽ accidebat, & intolerabilis videbatur: secundus autem multò lenior, quòd & consuetudo, & ratio, & (vt ego arbitror) meæ quoque literæ te patientiorem, leniorẽque fecerunt: tertius annus ita esse debet emendatus, vt ne minimam quidem rem quisquam possit vllam reprehendere. Ac iam hoc loco nõ hortatione, neque præceptis, sed precibus tecum fraternis ago, totum vt animum, curam, cogitationẽque tuam ponas in omnium laude vndique colligenda. Quòd si in mediocri statu sermonis ac prædicationis nostræ res essent, nihil abs te eximium, nihil præter aliorum consuetudinem postularetur. Nũc verò propter earum rerum, in quibus versati sumus, splendorem & magnitudinem, nisi summã laudem ex ista prouincia assequimur, vix videmur summã vituperationem posse vitare. Ea nostra ratio est, vt omnes boni tum faueant, tum etiam à nobis omnem diligentiam, virtutẽque & postulent & expectent: omnes autem improbi, quòd cum iis bellum suscepimus sempiternum, vel minima re ad reprehendendum contenti esse videantur. Quare quoniã eiusmodi theatrum est totius Asiæ celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, iudicio eruditissimum, natura autem ita resonans, vt vsque Romam significationes, vocẽsque referantur: contẽde quæso, atque elabora, non modò vt his rebus dignus fuisse, sed etiam vt illa omnia tuis artibus superasse videare. Et quoniam mihi casus vrbanam in magistratibus administrationem Reipub. tibi prouincialem dedit, etsi mea pars nemini cedit, fac vt tua cæteros vincat: simul & illud cogita, nos non de reliqua & sperata gloria iam laborare, sed de parta dimicare: quæ quidem non tam expendenda fuit, quàm tuenda nobis est. Ac si mihi quicquam esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi iam partus est. Nunc verò res sic sese habet, vt nisi omnia tua facta atque dicta nostris rebus istinc respondeant, ego me meis tantis laboribus, tantisque periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. quòd si, vt amplissimum nomen consequeremur, vnus præter cæteros adiuuisti: certè idem, vt id retineamus, præter cæteros elaborabis. Non est tibi his solis vtendum existimationibus ac iudiciis, qui nunc sunt, hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt. quanquam illorum erit verius iudicium, obrectatione & malevolentia liberatum. Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quærere: quod si esset, tamen non negligeres, præsertim cum amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui. sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris. in qua cauendum est, ne, si negligentior fueris, non solùm tibi parũ consuluisse, sed tuis etiam inuidisse videaris. Atque hæc non eo dicuntur, vt te oratio mea dormientem excitasse, sed potius vt currentem incitasse videatur. facies enim perpetuò quæ fecisti, vt omnes æquitatem tuam, temperantiã, seueritatem, integritatẽque laudẽt. Sed me quædam tenet propter singularem amorem infinita in te auiditas gloriæ. quanquam illud existimo, cum iam tibi Asia sicut vnicuique sua domus nota esse debeat, cum ad tuam summam prudentiam tantus vsus accesserit, nihil esse quod ad laudem attineat, quod tu non optimè perspicias, & tibi non sine cuiusquam hortatione in mentẽ veniat quotidie. Sed ego qui, cum tua lego, te audire, & qui, cum ad te scribo, tecum loqui videor: ideo & tua lógissima quaque epistola maximè delector, & ipse in scribendo sæpe sum longior. Illud te ad extremum & oro & hortor, vt tâquam poetæ boni & actores industrii solent, sic tu in extrema parte & conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, vt hic tertius annus imperii tui tanquã tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur. id facillimè facies, si me, cui semper vni magis, quàm vniuersis placere voluisti, tecum semper esse putabis, & omnibus iis rebus quas dices ac facies, interesse. Reliquum est vt te orem, vt valetudini tuæ, si me & omneis tuos valere vis, diligentissimè seruias.

M A R C V S Q V I N T O F R A T R I S.

STATIVS ad me venit ad VIII. Cal. Nou. eius aduētus, quòd ita scripsisti direptum

iri te à tuis, dum is abesset, molestus mihi fuit. quòd autem expectationem tui, concurrẽque eum qui erat futurus si vnà tecum decederet, neque antea visus esset, sustulit, id mihi non incommodè visum est accidisse: exhaustus enim est sermo hominum, & multæ emissæ iam eiusmodi voces, ἀλλὰ ἀείτινα φῶτα μέγας, quæ te absente confecta esse lætor. Quod autẽ iccirco à te missus est mihi vt se purgaret, id necesse minimè fuit: primùm enim nunquam ille mihi fuit suspectus: neque ego, quæ ad te de illo scripsi, scripsi meo iudicio: sed cum ratio salusque omnium nostrum qui ad Rempub. accedimus, non veritate solùm, sed etiam fama niteretur, sermones ad te aliorum semper, nõ mea iudicia perscripsi. qui quidem quàm frequentes essent, & quàm graues, aduentu suo Staius ipse cognouit: etenim interuenit nonnullorum querelis quæ apud me de illo ipso habebantur, & sentire potuit sermones iniquorum in suum potissimum nomen erumpere. quod autem me maximè mouere solebat, cum audiebam illum plus apud te posse, quàm grauitas illius ætatis, & imperii prudentia postulare (quàm multos enim mecum egisse putas vt se Statio commendarem? quàm multa autem ipsum ἀφελῶς mecum in sermone ita protulisse?) id mihi non placuit, monui, suasi, deterrui. Quibus in rebus etiam si fidelitas summa est, quod prorsus credo, quoniam tu ita iudicas: tamen species ipsa tam gratiosi liberti, aut serui dignitatem habere nullam potest. Atque hoc sic habeto (nihil enim nec temerè dicere, nec astutè reticere debeo) materiam omnem sermonum eorum qui de te detrahare velint, Staium dedisse: & antea tantum intelligi potuisse, iratos tuæ seueritati esse nonnullos: hoc manumisso, iratis quod loquerentur, non defuisse. Nunc respõdebo ad eas epistolas quas mihi reddidit L. Cæsius: cui, quoniam ita te velle intelligo, nullo loco deero. quarũ altera est de Blaudenio Zeuxide, quem scribis certissimum matricidam tibi à me intimè commendari. Qua de re & de hoc genere toto, ne fortè me in Græcos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce. Ego, cum Græcorum querelas nimium valere sentirem propter hominum ingenia ad fallendum parata, quoscunque de te queri audiui, quacunque potui ratione placui. Primùm Dionysipolitas, qui erant inimicissimi mei, leniui, quorum principem Hermippum nõ solùm sermone meo, sed etiam familiaritate deuinxi. Ego Apamensem Ephæstum, ego leuissimum hominem Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnæum, ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus, Nymphontem etiam Colophonium. quæ feci omnia, non quòd me aut ii homines, aut tota natio delectaret: pertæsum est enim leuitatis, assentationis, animorum nõ officiis, sed temporibus seruientium. Sed vt ad Zeuxim reuertar, cum is de Caselii sermone secũ habito, quæ tu scribis, ea ipsa loqueretur, obstiti eius sermoni, & hominem in familiaritatem recepi. tua autem quæ fuerit cupiditas tanta, nescio, quòd scribis, cupisse te, quoniam Smyrnæ duos Myfos insuisses in culeum, simile in superiore parte prouinciæ edere exemplum seueritatis tuæ, & iccirco Zeuxim elicere omni ratione voluisse: quem adductum in iudicium, fortasse dimitti non oportuerit: conquiri verò, & elici blanditiis (vt tu scribis) ad iudicium necesse non fuit, eum præsertim hominem, quem ego & ex suis ciuibus, & ex multis aliis quotidie magis cognosco nobiliorem esse propè, quàm ciuitatem suam. at enim Græcis solis indulgeo. Quid L. Cæcilius? nõne omni ratione placui? quem hominem? qua ira? quo spiritu? quem denique præter Thuscenium, cuius causa sanari nõ potest, non mitigauit? Ecce supra caput homo leuis ac sordidus, sed tamen equestri censu, Catienus, etiam is lenietur. Cuius tu in patrem quòd fuisti asperior, non reprehendo: certò enim scio, te fecisse cum causa. Sed quid opus fuit eiusmodi literis, quas ad ipsum misisti? illum crucem sibi ipsi constituere, ex qua tu eum antè detraxisses: te curaturũ, fumo vt combureretur, tota plaudẽte prouincia. Quid verò ad C. Fabium nescio quem? (nam eam quoque epistolam T. Catienus circungestat) renũtari tibi, Licinium plagiarium cum suo pullo Miluino tributa exigere: Deinde rogas Fabium, vt & patrem & filium viuos comburat, si possit: sin minus,

ad te mittat, vti iudicio comburantur. Hæ literæ abs te per iocum missæ ad C. Fabium, si modò sunt tuæ, cum leguntur, inuidiosam atrocitatem verborum habent. ac si omnium mearum literarum præcepta repetes, intelliges nihil esse à me, nisi orationis acerbitatem & iracundiam, & si fortè, rarò literarum missarum indiligentiam reprehensam. quibus quidem in rebus si apud te plus autoritas mea, quàm tua siue natura paulò acrior, siue quædam dulcedo iracundiæ, siue dicendi sal, facetiæque valuissent, nihil sanè esset quod nos pœniteret. Et mediocri me dolore putas affici, cum audiam, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus vicinus Cn. Octavius? Nam si te interioribus vicinis tuis, Cilicensi & Syriaco anteponis, valde magnum facis. Atque is dolor est, quòd cum nî, quos nominavi, te innocentia non vincant, vincunt tamen artificio benevolentia colligendæ, qui neque Cyrum Xenophontis, neque Agefilaum nouerint: quorum regum summo in imperio nemo vnquã verbum vllum asperius audiuit. Sed hæc à principio tibi præcipiēs, quantum profecerim, non ignoro. Nunc tamen decedēs (id quod mihi iam facere videris) relinque quæso quam iucundissimam memoriam tui. successorem habes perblandum. Cætera valde illius aduentu tua requirentur. In literis mittēdis (vt sæpe ad te scripsi) nimium te inexorabilè præbuiisti. tolle omneis, si potes, iniuquas. tolle iniuquas, tolle contrarias. Staius mihi narrauit scriptas ad te solere afferri, ab se legi, & si iniuquæ sint, fieri te certiorè. antequàm verò ipse ad te venisset, nullū deletum literarum fuisse: ex eo esse volumina selectarum epistolarum, quæ reprehendi solerent. Hoc de genere nihil te nunc quidem moneo: serò est enim: ac scire potes, multa me variè diligentèrque monuisse. Illud tamen quod Theopompo madaui, cum essem admonitus ab ipso, vide per homines amantis tui, quod est facile, vt hæc genera tollantur epistolarum, primùm iniquarum, deinde contrariarum, tum absurdè & iniuquitate scriptarum, postremò in aliquem contumeliosarum. Atque ego hæc tam esse, quàm audio, non puto, & si sunt occupationibus tuis minus animaduersa, nunc perspice, & purga. Legi epistolam quam ipse scripsit Sylla Nomenclator dictus est, non probandam. legi nonnullas iracundas. Sed tempore ipso de epistolis: nam cum hanc paginam tenerem, L. Flavius Præt. Des. ad me venit, homo mihi valde familiaris. is mihi te ad procuratores suos literas misisse, quæ mihi visæ sunt iniquissimæ, nequid de bonis quæ L. Octauii Nasonis fuissent, cui L. Flavius hæres est, diminuerent antè quàm C. Fundanio pecuniam soluissent: itèmq; misisse ad Apollonidēs, ne de bonis quæ Octauii fuissent, diminui paterentur prius quàm Fundanio debitum solutū esset. Hæc mihi verisimilia non videntur: sunt enim à prudentia tua remotissima. Ne dimiuat hæres. Quid si inficiatur? quid si omnino non debetur? Quid? Prætor solet iudicare deberi? quid? ego Fundanio non cupio? non amicus sum? nō misericordia moueor? Nemo magis: sed via iuris eiusmodi est quibusdam in rebus, vt nihil sit loci gratiæ. Atque ita mihi dicebat Flavius scriptum in ea epistola, quam tuam esse dicebat, te aut quasi amicis tuis gratias acturum, aut quasi inimicis incommoda laturum. Quid multa? ferebat grauitè: id vehementer mecum querebatur: orabaturque vt ad te quàm diligentissime scriberem: quod facio, & te prorsus vehementer etiam atque etiam rogo, vt & procuratoribus Flauii remittas de diminuendo, & Apollonidensibus nequid præscribas, quod contra Flauium sit amplius, & Flauii causa, & scilicet Pompeii facias omnia. Nolo mediufidius ex tua iniuria in illum tibi liberalem me videri. Sed & te oro, vt tu ipse autoritatem & monimētum aliquod decreti aut literarum tuarum relinuas, quod sit ad Flauii rem & ad causam accommodatum: fert enim grauitè homo & mei obseruantissimus, & sui iuris dignitatisque retinēs, se apud te neque amicitia, neque iure valuisse: & vt opinor, Flauii aliquando rem & Pompeius & Cæsar tibi commendarunt, & ipse ad te scripserat Flavius, & ego certè. Quare si vlla res est, quam tibi me faciendam petente putes, hæc ea sit: si me amas, cura, elabora, perface vt Flavius & tibi & mihi quammaximas gratias agat. hoc te ita rogo, vt maiore studio rogare nō possim,

Quòd ad me de Hermia scribis, mihi mehercule valde molestum fuit. Literas ad te parum fraternè cōscripseram, quas oratione Diodoti Luculli liberti commotus de pactione statim, quòd audieram, iracundius scripserā, & reuocare cupiebam: huic tu epistolæ non fraternè scriptæ, fraternè debes ignoscere. De Censorino, Antonio, Cassio, Scæuola, te ab iis diligi, vt scribis, vehementer gaudeo. cætera fuerunt in eadē epistola grauiora, quàm vellem. ὀρθάν τὴν ναῦν, & ἀπαξ θανεῖν. maiora ista erunt. Mearū obiurgationes fuerunt amoris plenissimæ, quæ sunt nonnullæ, sed tamen mediocres, & paruæ potius. Ego te nunquã vlla in re dignū minima reprehensione putassem, cum te sanctissimè gereres, nisi inimicos multos haberemus. Quæ ad te aliqua admonitione aut obiurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meæ: in qua & maneo, & manebo, & idè vt facias, non desistā rogare. Attalus Iphimeneus mecum egit, vt se ne impedires quò minus, quod ad Q. Publiceni statuā decretum est, erogaretur: quòd ego te rogo & admoneo, ne talis viri, tamque nostri necessarij honorè minui per te, aut impediri velis. Præterea AEsopi tragœdi nostri familiaris, Licinius seruus tibi notus aufugit: is Athenis apud Patronè Epicureum pro libero fuit: inde in Asiã venit: postea Plauto quidã Sardinus Epicureus, qui Athenis solet esse multum, & qui tum Athenis fuerat, cum Licinius eò venisset, cum eum fugituum postea esse ex AEsopi literis cognosset, hominè comprehendit, & in custodiam Ephesi tradidit: sed in publicam, vel in pistrinum, nō fatis ex literis eius intelligere potuimus. Tu quoquo modo, quoniã Ephesi est, hominem inuestiges velim, summæque diligentia vel tecum deducas. Noli spectare, quanti homo sit: parui enim pretij est, qui iam nihili sit: sed tãto dolore AEsopus est affectus propter serui scelus & audaciam, vt nihil ei gratius facere possis, quàm si illum per te recuperarit. Nunc ea cognosce, quæ maximè exoptas. Remp. funditus amissimus, adeò vt Cato adolescens, nullius consilij, sed tamen ciuis Romanus, & Cato, vix viuus effugeret, quòd, cum Gabiniū de ambitu vellet postulare, neque Prætores diebus aliquot adiri possent, vel potestatem sui facerent, in concionè ascendit, & Pompeium priuatus Dictatorè appellauit. propius nihil est factum, quàm vt occideretur. Ex hoc, qui sit status totius Reip. videre potes. nostræ tamen causæ non videntur homines defuturi: mirandū in modū profitentur, offerunt se, pollicentur: & quidem cum spe sum maxima, tum maiore etiam animo. spero superiores fore nos: cōfido animo, vt in hac Rep. ne casum quidè vllum pertimescam. Sed tamen res sic se habet: si diè nobis Clodius dixerit, tota Italia cōcurreret, vt multiplicata gloria discedamus. sin autè vi agere conabitur, spero fore studiis nō solum amicorū, sed etiam alienorū, vt vi resistamus. omnes & se, & suos liberos, amicos, cliētes, libertos, seruos, pecunias denique suas pollicentur. nostra antiqua manus bonorū ardet studio nostri atque amore. si qui antea aut alieniores fuerant, aut læguidiores, nunc horū odio se cum bonis cōiungunt. Pompeius omnia pollicetur, & Cæsar: quibus ego ita credo, vt nihil de mea comparatione diminuā. Tribun. pl. Des. sunt nobis amici. Consules se optimè ostendunt. Prætores habemus amicissimos, & acerrimos ciueis, Domitiū, Nigidium, Memmium, Lentulum, bonos etiã alios, sed hos singulareis. Quare magnū fac animum habeas, & spem bonam. de singulis tamen rebus quæ quotidie gerantur, faciam te crebrò certiorè. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

MI FRATER, mi frater, mi frater, tunc id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus, pueros ad te sine literis miserim? aut etiã ne te videre noluerim? ego tibi irascerer? tibi ego possem irasci? scilicet tu me affixisti, tui me inimici, tua me inuidia, ac nō ego te miserè perdidi. meus ille laudatus Consulatus, mihi te, liberos, patriam, fortunas, tibi velim nequid eripuerit præter vnum me. sed certè à te mihi omnia semper honesta & iucunda ceciderunt: à me tibi luctus meæ calamitatis, metus tuæ, desiderium, mœror, solitudo. Ego te videre noluerim? immò verò me à te videri nolui: non enim vidisses fratrem tuum, non eum quem reliqueras, non eum quem noras, non eum quem flens

flentem, prosequenter proficiscens dimiseras, ne vestigium quidem eius nec simulacrum, sed quandam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius vidisses aut audisses. Utinam te non solum vitæ, sed etiam dignitatis meæ superstitem reliquisssem. Sed testor omnes deos, me hac vna voce à morte esse reuocatum, quòd omnes in mea vitâ partem aliquam tuæ vitæ repositâ esse dicebant. Quare peccaui, sceleratèque feci: nam si cecidissem, mors ipsa meam pietatè, amorèque in te facile defenderet. nunc commisi vt uiuo me careres, uiuo me aliis indigeres, mea vox in domesticis periculis potissimum occideret, quæ sæpe alienissimis præsidio fuisset. nam quòd ad te pueri sine literis venerunt, quoniam vides non fuisse iracundiæ causa, certè pigritia fuit, & quædam infinita vis lachrymarum & dolorum. Hæc ipsa me quo fletu putas scripssisse eodem, quo te legere certò scio: an ego possum aut non cogitare aliquando de te, aut vnquã sine lachrymis cogitare: cum enim te desidero, fratrè, solum desidero: ego verò suauitate propè fratrè, propè æqualè, obsequio filium, consilio parentè. Quid mihi sine te vnquam, aut tibi sine me iucundum fuit? quid, quòd eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio effigiem oris, sermonis, animi mei? quid filium venustissimum, mihi que dulcissimum? quem ego ferus ac ferreus è complexu dimisi meo, sapiètiorem puerum, quàm vellem: sentiebat enim miser iam quid ageretur. Quid verò tuum filium? quid: imaginem meam, quem meus Cicero & amabat vt fratrem, & iam, vt maiorem fratrem, verebatur. quid, quòd mulierè miseriam, fidelissimam coniugem me prosequi non sum passus, vt esset quæ reliquias communis calamitatis communis liberos tueretur? Sed tamen quoquo modo potui, scripsi, & dedi literas ad te Philogono liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse: in quibus idem te hortor & rogo, quòd pueri tibi verbis meis nuntiarunt, vt Romam protinus pergas & properes: primùm enim te præsidio esse volui, si qui essent inimici quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata: deinde congressus nostri lamentationem pertinui, digressum verò non tulissem: atque etiam id ipsum, quòd tu scribis, metuebam, ne à me distrahi non posses. His de causis hoc maximum malum, quòd te non vidi, quo nihil amantissimis & coniunctissimis fratribus acerbius ac miserius videtur accidere potuisse, minus acerbum, minus miserum fuit, quàm fuisset tum congressio, tum verò digressio nostra. Nunc, si potes, id quòd ego, qui fortis tibi semper videbar, non possum, erige te, & cõfirma, si qua subeunda dimicatio erit. Spero, si quid mea spes habet authoritatis, tibi & integritatem tuam & amorem in te ciuitatis, & aliquid etiam misericordiam nostri, præsidii laturam. sin eris ab isto periculo vacuus, ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis: de quo scribunt ad me quidem multi multa, & se sperare demonstrant: sed ego, quid sperem, non dispicio, cum inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint, qui in meo reditu fortassis reprehensionem sui sceleris pertimescant. Sed, ista qualia sint, tu velim perspicias, mihi que declares. ego tamen, quandiu tibi opus erit, si quid periculi subeundum videbis, viuam. diutius in hac vita esse non possum: neque enim tantum virium habet vlla aut prudentia aut doctrina, vt tantum dolorem possit sustinere. scio fuisse & honestius moriendi tempus, & vtilius: sed non hoc solum. multa alia prætermisi: quæ si queri velim præterita, nihil agam, nisi vt augeam dolorem tuum, indicem stultitiã meam. Illud quidem nec faciendum est, nec fieri potest, me diutius, quàm aut tuum tẽpus, aut firma spes postulabit, in tam misera, tamque turpi vita commorari: vt qui modò fratre fuerim, liberis, coniuge, copis, genere ipso pecuniæ beatissimus, dignitate, authoritate, existimatione, gratia non inferior, quàm qui vnquam fuerunt amplissimi, is nunc in tantâ afflictâ, perditâque fortuna neque me, neque meos lugere diutius possim. Quare quid ad me scripsisti de permutatione? quasi verò nunc me non tuæ facultates sustineant. qua in re ipse video miser, & sentio quid sceleris admiserim, cum de visceribus tuis, & filii tui satisfacturus sis, quibus debes, ego acceptam ex ærario pecuniam tuo nomine

frustrâ dissiparim. sed tamen & M. Antonio quantum tu scripseras, Cepioni tantundè solutum est. mihi ad id quòd cogito, hoc quòd habeo satis est. siue enim restituimur, siue desperamus, nihil amplius opus est. tu, si fortè quid erit molestiæ, te ad Crassum & ad Calidum conferas censeo. quantum Hortensio credendum sit, nescio: me summa simulatione amoris, summâque assiduitate quotidiana sceleratissimè, infidiosissimèque tractauit, adiuncto quoque Arrio: quorum ego consiliis, promissis, præceptis destitutus in hanc calamitatem incidi. Sed hæc occultabis, nequid obsint. illud caueto, & cõputo per Pomponium fouendum tibi esse ipsum Hortensium, ne ille versus, qui in te erat collatus, cum AEdilitatem petebas, de lege Aurelia falso testimonio, confirmetur: nihil enim tam timeo, quàm ne, cum intelligant homines quantum misericordiam nobis tuæ preces, & tua salus allatura sit, oppugnent te vehementius. Messalam tui studiosum esse arbitror: Pompeium etiam simulatorem puto. sed hæc utinam nõ experiare: quòd precarer deos, nisi meas preces audire desissent. veruntamen precor, vt his infinitis nostris malis contenti sint: in quibus non modò tamen nullius inest peccati infamia, sed omnis dolor est, quòd optimè factis pœna est maxima constituta. Filiam meam & tuam, Ciceronemque nostrum quid ego mi frater tibi commedem? Quin illud mœreo, quòd tibi non minorè dolorem illorum orbitas affert, quàm mihi. Sed te incolumi orbi non erunt. Reliqua ita mihi salus aliqua detur, potestasque in patria moriendi, vt me lachrymæ non sinunt scribere. Etiam Terentiam velim tueare, mihi que de omnibus rebus rescribas. Sis fortis, quoad rei natura patietur. Idib. Iun. Thessalonica.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

A M A B O te mi frater, ne si vno meo facto & tu & omnes mei corruistis, improbitati & sceleri meo potius, quàm imprudentiæ misericordiamque assignes. Nullum est meum peccatum, nisi quòd iis credidi, à quibus nefas putaram esse me decipi, aut etiã quibus ne id expedire quidem arbitraber. intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertinuit, aut mihi inuidit. Ita mihi nihil misero præter fidem amicorum cautum meum consilium fuit. Quòd si te satis innocentia tua, & misericordia hominum vindicat hoc tempore à molestia, perspicis profectò, ecquãnam nobis salutis spes relinquatur. nam me Pomponius, & Sestius, & Piso noster adhuc Thessalonicae retinuerunt, cum longius discedere propter nescio quos motus vetarèt. verum ego magis exitum illorum literis, quàm spe certa expectabam: nam quid sperem, potentissimo inimico, dominatione obtrectatorum, infidelibus amicis, pluribus inuidis: Denocius autem Trib. pleb. est ille quidem in me officiosissimus, Sestius, & (spero) Curtius, Milo, Fadius, Gratidius, sed valde aduersante Clodio: qui etiam priuatus eadem manu poterit conciones concitare: deinde etiam intercessor parabitur. Hæc mihi proficiscenti non proponebantur, sed sæpe triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus. Quid tu igitur, inquis? Quid: multa conuenerunt quæ mentem exturbarent meam, subita defectio Pompeii, alienatio Consulum, etiam Prætorum timor, publicanorum arma, lachrymæ meorum me ad mortem ire prohibuerunt: quòd certè & ad honestatem, & ad effugiendos intolerabileis dolores fuit aptissimum. Sed de hoc scripsi ad te in ea epistola, quam Phæronti dedi. nunc tu, quoniam in tantum luctum, laborem detrusus es, quantum nemo vnquam, si releuare potes communem casum misericordia hominum, scilicet incredibile quiddam assequeris. sin planè occidimus, me miserum, ego omnibus meis exitio fuero, quibus antè dedecori non eram. Sed tu, vt antè ad te scripsi, perspice rem & pertenta, & ad me, vt tempora nostra, non vt amor tuus fert, verè perscribe. Ego vitam, quoad putabo tua interesse, aut ad spem seruandam esse retinebo. tu nobis amicissimum Sestium cognosces, credo tua causa vel Lentulum, qui erit Consul. quanquam sunt facta verbis difficiliora. tu, & quid opus sit, & quid sit, videbis omnino. Si tuam solitudinem, communemque calamitatem nemo despexerit, aut

per te confici aliquid, aut nullo modo poterit: sin te quoque inimici vexare cœperint, ne cessaris: non enim gladiis tecum, sed litibus agetur. Verùm hæc absint velim, te oro vt ad me de omnibus rebus scribas, & in me animi potius aut consilii putes minus esse, quàm antea, amoris verò & officii non minus. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD
QVINTVM FRATREM LIBER II.

MARCVS QVINTO FRATRI S.



PISTOLAM quam legisti, mane dederam. Sed fecit humaniter Licinius, quòd ad me, misso Senatu, vesperi venit, vt, siquid esset actum, ad te, si mihi videretur, perscriberem. Senatus fuit frequētior, quàm putabamus esse posse mense Decēbri sub dies festos. consulares nos fuimus, & duo Cōsules delignati P. Seruilius, M. Lucullus: Lupus, Volcatius, Glabrio Prætt. sanè frequentes fuimus, omnino ad ducentos. commorat expectationē Lupus. Egit causam agri Campani sanè accuratè: auditus est magno silentio. materiā rei non ignoras. nihil ex nostris actionibus prætermisit. fuerunt nonnulli aculei in C. Cæsare, contumeliæ in Gelliū, expostulationes cum absente Pompeio. causa serò perorata, sententias se rogaturum negauit, ne quod onus simultatis nobis imponeret. ex superiorum tēporum cōiitiis, & ex præsentis silentio, quid Senatus sentiret, se intelligere dixit. Milo cœpit dimittere. tum Marcellinus, Noli, inquit, ex taciturnitate nostra Lupe, quid aut probemus hoc tēpore, aut improbemus, iudicare. Ego quòd ad me attinet, idēque arbitror cæteros: iccirco taceo, quòd nō existimo, cum Pōpeius absit, causam agri Campani agi conuenire. Tum ille se Senatum negauit tenere. Racilius surrexit, & de iudiciis referre cœpit: Marcellinum quidē primū rogauit. is cum grauitè de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiā dixit, vt ipse iudices per prætorem vrbānū fortiretur: iudicium sortitione facta, comitia haberentur: qui iudicia impediuisset, eum contra Remp. esse facturū. approbata valde sententia, C. Cato contra dixit, & Cassius, maxima acclamatione Senatus, cū comitia iudiciis anteferet. Philippus assensit Lētulo. postea Racilius de priuatis me primū sententiā rogauit. multa feci verba de toto furore, latrocinioque P. Clodii. eum tāquam reum accusaui multis & secundis admurmurationibus cuncti Senatus. orationē meam collaudauit satis multis verbis, non mehercule indifertè Seuerus Antistius, isque iudiciorū causam suscepit, antiquissimāque se habiturū dixit. ibatur in eam sententiā. tum Clodius rogatus, diē dicendo eximere cœpit. furebat, à Racilio se contumaciter, vrbāneque vexatum. deinde eius operæ repentē à Græcostasi & Gradiibus clamorem satis magnum sustulerunt, opinor in Q. Sestilium, & amicos Milonis incitatæ. eo metu iniecto, repentē magna querimonia omnium discessimus. Habes acta vnus diei. reliqua, vt arbitror, in mensem Ianuarium reiciuntur. De Tribunis pleb. longè optimum Racilium habemus. videtur etiam Antistius amicus nobis fore. nam Plautius noster totus est. Fac, si me amas, vt consideratè, diligentèrque nauiges de mense Decembri. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

NON occupatione, qua erā sanè impeditus, sed paruula lippitudine adductus sum vt dictarem hanc epistolam, & non, vt soleo, ad te ipse scriberem. Et primū me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso: me enim adhuc nemo rogauit, num quid in Sardiniam vellem: te puto sæpe habere, etsi non semper, qui, num quid Romam velis, quaerant. Quòd ad me de Lentuli & Sexti nomine scripsisti, locutus sum cum Cincio. Quomodo res se habet, nō est facillima. sed habet profectò quoddam Sardinia appo-

situm ad recordationem præteritæ memoriæ: nam, vt ille Gracchus Augur, posteaquā in istam prouinciam venit, recordatus est quid sibi in campo Martio comitia Consulium habenti, contra auspicia accidisset, sic tu mihi videris in Sardinia de forma Minuriana, & de nominibus Pomponianis in otio recogitasse. sed ego adhuc emi nihil. Culeonis auctio facta est. Tusculano emptor nemo fuit. si conditio valde bona fuerit, fortasse non omittam. De ædificatione tua Cyrum vrgere non cesso: spero eum in officio fore: sed omnia sunt tardiora propter furiosæ AEdilitatis expectationē: nam comitia sine mora futura videntur: edicta sunt ad x. Cal. Febr. te tamē sollicitum esse nolo. omne genus à nobis cautionis adhibebitur. De Rege Alexandrino factum est s. c. cū multitudine reduci, periculosum Reip. videri. reliqua cū esset in Senatu cōtentio, Lentulusne, an Pōpeius reduceret, obtinere causam Lentulus videbatur. in ea re nos & officio erga Lentulū mirificè, & voluntati Pompeii præclare satisfecimus. Sed per obtrectatores Lentuli res calūnia extracta est. consecuti sunt dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat. Quid futurū sit latrocinio Tribunorum, non diuino, sed tamē suspicor per vim rogationem Caninium perlaturum. in ea re Pompeius quid velit, nō dispicio: familiares eius quid cupiant, omnes vident. Creditores verò Regis apertè pecunias suppeditant cōtra Lentulum. sine dubio res à Lentulo remota videtur esse cum magno meo dolore: quanquam multa fecit quare, si fas esset, iure ei succensere possemus. Tu, si ita expedit, velim quamprimū bona & certa tempestate conscendas, ad meque venias: innumerabiles enim res sunt, in quibus te quotidie in omni genere desiderem. Tui nostrique valent. Vale. xiiii. Calend. Febr.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

SCRIPSI ad te antea superiora. nunc cognosce postea quæ sint acta. A Cal. Febr. legationes in Id. Febr. reiciebantur. eo die res confecta non est. ad iiii. Non. Milo affuit: ei Pompeius aduocatus venit. dixit Marcellus à me rogatus. honestè discessimus. producta dies est in v. Id. interim reiectis legationibus in Idus, referebatur de prouinciis Quæstorū, & de ornandis Prætoribus. Sed res multis querelis de Rep. interponendis nulla trāfacta est. Cato legē promulgauit de imperio Lentulo abrogādo. vestitum filius mutauit. ad v. Id. Milo affuit: dixit Pompeius, siue voluit: nā, vt surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt: idque ei perpetua oratione contigit, non modo vt acclamatione, sed vt conuitio & maledictis impediretur. qui vt perorauit (nam in eo sanè fortis fuit) non est deterritus: dixit omnia, atque interdum etiam silentio, cum autoritate peregerat: sed vt perorauit, surrexit Clodius: ei tantus clamor à nostris (placuerat enim referre gratiam) vt neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. ea res acta est, cum hora v. vix Pompeius perorasset, vsque ad horam v. cum omnia maledicta, versus etiam obscœnissimi in Clodium & Clodiam dicerentur. ille furens & exanguis interrogabat suos in clamore ipso, quis esset qui plebē fame necaret. respondebant operæ, Pompeius. quis Alexandriam ire cuperet: respondebant, Pompeius. quem ire vellent: respondebant, Crassum. is aderat tum, Miloni animo non amico. hora ferè ix, quasi signo dato, Clodiani nostros consputare cœperunt. exarsit dolor. vrgere illi, vt loco nos mouerent. factus est à nostris impetus, fuga operarū. eiectus de rostris Clodius, ac nos quoque tum fugimus, nequid in turba. Senatus vocatus in curiam, Pompeius domum. Neque ego tamen in Senatum, ne aut de tātis rebus tacerem, aut in Pompeio defendēdo (nam is carpebatur à Bibulo, Curione, Fauonio, Seruilio filio) animos bonorum offenderem. res in posterum dilata est. Clodius in Quirinalia produxit diē. ad v. Id. Senatus ad Apollinis fuit, vt Pōpeius adesset. acta res est grauitè à Pompeio. eo die nihil perfectū est. ad v. Id. ad Apollinis s. c. factū est, ea quæ facta essent ad v. Id. contra Rempub. esse facta. eo die Cato est vehementer in Pompeium inuectus, & eum oratione perpetua tanquam reum accusauit: de me multa, me inuito, cum mea summa laude dixit: cum illius in me perfidiā incre-

paret, auditus est magno silentio maleuolorum. Respondit ei vehementer Pompeius, Crassumque descripsit, dixitque aperte, se munitiorem ad custodiendam vitam suam fore, quam Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset. Itaque magnæ mihi res iam moueri videbatur. nam Pompeius hæc intelligit, nobiscumque communicat, insidias vitæ suæ fieri, Catonem à Crasso sustentari, Clodio pecuniam suppeditari: vtrunque & ab eo, & à Curione, Bibulo, cæterisque suis obrectatoribus confirmari: vehementer esse prouidendum, ne opprimatur: concionario illo populo à se propè alienato, nobilitate inimica, non æquo Senatu, iuuentute improba. itaque se comparat, homines ex agris accersit. operas autem suas Clodius confirmat. manus ad Quirinalia paratur. in eo multo sumus superiores ipsius copiis. sed magna manus ex Piceno & Gallia expectatur, vt etiam Catonis rogationibus de Milone & Lentulo resistamus. Ad IIII. Id. Sestius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus, & eodem die à quodam M. Tullio de vi. is erat æger. domum (vt debuimus) ad eum statim venimus, eique nos totos tradidimus, idque fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei iure succensere putabant, vt humanissimi, gratissimi & ipsi, & omnibus videremur: itaque faciemus. sed idem Nerius index edidit ad allegatos Cn. Lætulum Vacciam & C. Cornelium. eodem die s. c. factum est, vt sodalitates, decuriatque discederent, lexque de iis ferretur, vt qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, tenerentur. Ad III. Id. dixi pro Bestia de ambitu apud Prætorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conuentu: incidique in eum locum in dicendo, cum Sestius multis in templo Castoris vulneribus acceptis, subsidio Bestiæ seruatus esset. hic *καταφωχ=τομησπαιμη* quidem *ἀρχαίος* de iis quæ in Sestium apparabantur crimina, & cum ornavi veris laudibus, magno assensu omnium. res homini fuit vehementer grata. quæ tibi eò scribo, quòd me de retinenda Sestii gratia literis monuisti. Pridie Id. hæc scripsi ante lucem. eo die apud Pomponium in eius nuptiis eram cœnurus. Cætera sunt in rebus nostris, cuiusmodi tu mihi ferè diffidenti prædicabas, plena dignitatis & gratiæ: quæ quidem tua mi frater prudentia, paciëntia, virtute, pietate, suauitate etiam tibi mihi que sunt restituta. Domus tibi ad Lucum Pisonis Liciniana conducta est. Sed, vt spero, paucis mensibus post Calend. Quint. in tuam commigrabis. tuâ in Carinis mundi habitatores Lamia conduxerunt. A te post illam Olbientem epistolam nullas literas accepi. quid agas, & vt te oblectes, scire cupio, maximè que te ipsum videre quamprimùm. Cura mi frater vt valeas: & quamquam est hyems: tamen Sardiniam istam esse cogites. x v. Calend. Mart.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

SESTIVS noster absolutus est III. Id. Mart. & quòd vehementer interfuit Reipub. nullam videri in eiusmodi causa defensionem esse, omnibus sententiis absolutus est. Illud quod tibi sæpe curæ esse intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret, nisi illius peruersitatem quibusdam in rebus quam humanissimè ferremus, scito hoc nos in eo iudicio consecutos esse, vt omnium gratissimi iudicaremur: nam in defendendo moroso homine cumulatissimè fatiffecimus, & (id quod ille maximè cupiebat) Vatiniû, à quo palam oppugnabatur, arbitrato nostro cõcidimus, diis hominibusque plaudentibus. quinetiã Paulus noster, cum testis productus esset in Sestium, confirmavit se nomẽ Vatini delaturû, si Macer Licinius cunctaretur: & Macer à Sestiis subfelliis surrexit, ac se illi non defuturum affirmavit. Quid quæris? homo petulans & audax Vatinius valde perturbatus, debilitatusque discessit.

Quintus tuus puer optimus eruditur egregiè. hoc nunc magis animaduerto, quòd Tyrânio docet apud me. Domus vtriusque nostrum ædificatur strenuè. redemptori tuo dimidium pecuniæ curavi. spero nos ante hyemem contubernales fore. De nostra Tullia tui mehercule amantissima spero cum Crassipede nos confecisse. dies erant duo, qui post latinæ habentur religiosi. cæterum confectum erat. latiar erat exiturus. *

Ad VIII. Id. Apr. spõsalia Crassipedi præbui. huic cõiuuiio puer optimus Quintus tuus 14

meusque, quòd perleuiter cõmotus fuerat, defuit. Ad VI. Id. Apr. veni ad Quintum, eumque vidi planè integrum: multumque is mecum sermonem habuit, & perhumanum de discordiis mulierum nostrarum. Quid quæris? nihil festiuius. Pomponia autem etiam de te quæstia est: sed hæc coram agemus. A puero vt discessi, in aream tuam veni. res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorem cohortatus sum. fidem mihi faciebat se velle nobis placere. domus erit egregia: magis enim cerni iam poterat, quam quantum ex forma iudicabamus. itemque nostra celeriter ædificabatur. eo die cœnauit apud Crassipedem. cœnatus, in hortos ad Pompeium lectica latus sum. Luceium cõuenire non potueram, quòd abfuerat: videre autem volebam, quòd eram postridie Roma exiturus, & quòd ille in Sardiniam iter habebat. hominem conueni, & ab eo petiui vt quamprimùm te nobis redderet. statim, dixit. erat autem iturus (vt aiebat) ad III. Id. April. vt aut Labrone, aut Pisis conscenderet. Tu mi frater, simul ac ille venerit, primam nauigationem (dummodo idonea tempestas sit) ne omiseris.

Ad II. Id. April. ante lucem hanc epistolam dictaueram, scripseramque in itinere, vt eo die apud T. Titium in Anagnino manerè. postridie autem in Laterio cogitabam: inde, cum in Arpinati quinque dies fuisset, ire in Pompeianum, rediens aspiceremanum, vt quoniam in Nonas Maias Miloni dies producta est, prid. Non. Romæ essem, tẽque mi charissime & suauissime frater ad eam diẽ (vt sperabam) viderem, ædificationem Arcani ad tuum aduentum sustentari placebat. Fac, mi frater, vt valeas, quamprimùmque venias. Vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

OLITERAS mihi tuas iucundissimas, expectatas, ac primo quidem cum desiderio, nunc verò etiam cum timore. atque has scito literas me solas accepisse post illas, quas tuus nauta attulit Olbia datas. sed cætera, vt scribis, præsentis sermoni reseruètur. hoc tamen non queo differre. Idib. Maiis Senatus frequens diuinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. adiurat Porcilius hoc nemini accidisse. foris valde plauditur. mihi cum sua sponte iucundum, tum iucundius, quòd me absente (est enim *ἐιλικριές* iudicium) sine oppugnatione, sine gratia nostra. eram Antii. Quòd Idibus, & postridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri, non est actum. in hac causa mihi aqua hæret. Sed plura, quam constitueram: coram enim. vale mi optime ac optatissime frater, & aduola. idem te nostri rogant pueri. illud scilicet cœnabis cum veneris.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

PLACITVRVM tibi esse librum meum suspicabar: tam valde placuisse quam scribis, valde gaudeo. Quòd me admones de non curatia, suadesque vt meminerim Iouis orationẽ, quæ est in extremo illo libro: ego verò memini, & illa omnia mihi magis scripsi, quam cæteris. sed tamen postridie quam tu es profectus, multa nocte cum Vibulio veni ad Pompeium. cumque ego egissem de istis operibus atque inscriptionibus, perbenignè mihi respondit, magnam spem attulit, cum Crasso se dixit loqui velle, mihi que, vt idem facerè, suasit. Crassum c o s. ex Senatu domum reduxit. suscepit rem, dixitque esse quod Clodius hoc tempore cuperet per se & per Pompeium consequi: putare se, si ego eum non impedirem, posse me adipisci sine contentione, quod vellem. totum ei negotiû permissi, meque in eius potestate dixi fore. Interfuit huic sermoni P. Crassus, adolescens nostri (vt scis) studiosissimus. Illud autem quod cupit Clodius, est legatio aliqua, si minus per Senatum, per populum libera aut Byzantium, aut Brogitarum, aut vtrunque. plena res numerorum. Quòd ego non nimium laboro, etiam si minus assequor quod volo: Pompeius tamen cum Crasso locutus est. videntur negotium suscepisse. si perficiunt, optimè: sin minus, ad nostrum Iouem reuertamur. *ἀμφιλαφίας* autem illam, quam tu soles dicere, bono modo desidero, sic prorsus vt aduenientem excipiã libenter, latentem etiam nunc non excitem. Tribus locis ædifico, reliqua reconcinno: viuo paulò liberalius quam solebam. Opus erat, si te haberem paulisper, fabris locum dare.

fed & hæc (vt spero) breui inter nos communicabimus. Res autem Romanæ sic se habent: Consul est egregius Lentulus, non impediende collega, sic inquam bonus, vt meliorem non viderim. dies comitiales exemit omnibus: nam etiam Latinæ instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. Sic legibus perniciosissimis obstitit, maximè Catonis: cui tamen egregiè imposuit Milo noster. nam ille vindex gladiatorum & bestiariorum emerat de Colconio & Pomponio bestiarios, nec sine his armatis vnquam in publico fuerat: hos alere non poterat: itaque vix tenebat. Sensit Milo: dedit cuidam nō familiari negotium, qui sine suspitione emeret eam familiam à Catone. quæ simul atque abducta est, Racilius qui vnus est hoc tempore Trib. pleb. rem patefecit, cōsque homines sibi emptos esse dixit (sic enim placuerat) & tabulam proscripsit, se familiam Catonianam venditurum. in eam tabulam magni risus consequebantur. Nunc igitur Catonem Lentulus à legibus remouit, & eos qui de Cæsare monstra promulgarunt, quibus intercederet nemo. Nam quod de Pompeio Caninius agit, sanequam refrixit: neque enim res probatur, & Pompeius noster in amicitia P. Lentuli vituperatur, & hercule non est idem. nam apud illam perditissimam atque infimam faciem populi propter Milonem suboffendit: & boni multa ab eo desiderant, multa reprehendunt. Marcellinus autem hoc vno mihi quidem non satisfacit, quod eum nimis asperè tractat: quanquam id Senatu non inuito facit. quo ego me libentius à curia, & ab omni parte Reipub. subtraho. In iudiciis ii sumus qui fuimus: domus celebratur, ita vt cum maximè. Vnum accidit imprudentia Milonis incommodè de Sex. Calio, quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accusatoribus mihi placuit accusari. Ei tres sententiæ terribilissimæ in consilio defuerunt, itaque hominem populus reuocat, & retrahatur necesse est: non enim ferunt homines. & quia cum apud suos diceret, penè damnatus est, videt damnatum. Ea ipsa in re Pompeii offensio nobis obstitit: Senatorum enim vna copiose absoluit, equitum adæquauit, Tribuni ærarii condemnarunt. Sed hoc incommodum consolatur quotidianæ damnationes inimicorum, in quibus me perlubente Seruius allisus est, cæteri cōciduntur. Cato concionatus est comitia haberi non futurum, si sibi cum populo dies agendi essent exempti. Appius à Cæsare nondum redierat. Tuas mirificè literas expecto, atque adhuc clausum mare scio fuisse: sed quosdā venisse tamen Olbia dicebant, qui te vnice laudarent, plurimique in prouincia fieri dicerent. iidem aiebant nuntiare te prima nauigatione transmissurum. Id cupio: & quanquam te ipsum scilicet maximè, tamen etiam literas tuas antè expecto. Mi frater vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

DEDERAM ad te literas antea, quibus erat scriptum, Tulliam nostram Crassipedi prid. Non. April. esse desponsatam: cæteraque de Rep. & priuata perscripseram: postea sunt hæc acta. Nonis April. s. c. Pōpeio pecunia decreta in rem frumentariam ad HS. M. C. C. C. sed eodem die vehemèter actum de agro Campano, clamore Senatus prope cōcionali. acriorem causam inopia pecuniæ faciebat, & annonæ caritas. Non præmittam ne illud quidem, M. Furium Flaccum equitem Romanum, hominem nequam Capitolini & Mercuriales de collegio eiecerunt, præsentem ad pedes vniuscuiusque iacentem. Ad 11. Id. Maii s. c. factum est de ambitu in Afranii sententiā, quam ego dixeram, cum tu adesses: sed magno cum gemitu Senatus Consules non sunt persecuti eorum sententiā: qui Afranio cum essent assensu, addiderunt, vt Prætores ita crearentur, vt dies LX. priuati essent. eo die Catonem planè repudiarunt. Quid multa? tenent omnia: idque ita omnes intelligere volunt. Vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

TV metuis ne me interpellas? primum si in isto essem, tu scis quid sit interpellare. An te Arteius? mehercule mihi docere videbaris istius generis humanitatem: quæ quidem nihil vtor abs te. Tu verò vt me & appelles, & interpellas, & obloquare, & colloquare velim. quid enim mihi suauius? non mehercule quisquam *μυσπητακτες*

libentius sua recentia poëmata legit, quàm ego te audio quacunque de re, publica, priuata, rustica, vrbana. Sed mea factum est inuisa verecundia, vt te proficiscens non tollerem. Opposuiisti semel ἀντίεκτον causam, Ciceronis nostri valetudinem: conticui. iterum Cicerones: quicui. Nunc mihi iucunditatis plena epistola hoc asperfit molestiæ, quod videris, ne mihi molestus esses, veritus esse, atque etiam nunc vereri. Litigarem tecum, si fas esset. sed mehercule istuc si vnquam suspicatus ero, nihil dicā aliud, nisi verebor nequando ego tibi, cum sum vnà, molestus sim. Video te ingemuisse. sic fit. εἰδ' ἐν αἴα ἔγνωσας. nunquam enim dicam ἐὰ πάσας. Marium autem nostrum in lecticam mehercule coniecissem, non illam Regis Ptolemæi Anitianam. memini enim cum hominem portare ad Baias Neapoli octophoro Anitiano, machærophoris centum sequentibus, miros risus nos edere, cum ille ignarus sui comitatus, repente aperuit lecticam, & penè ille timore, ego risu corruui. Tunc, vt dico, certè sustulissem, vt aliquando subtilitatē veteris vrbanitatis & humanissimi sermonis attingerem: sed hominem infirmum in villam apertam, ac ne rudem quidem etiam nunc inuitare nolui. Hoc verò mihi peculiare fuerit, hinc etiam isto frui. nam illorum prædiorum scito mihi vicinum Marium lumen esse. apud Anitium videbimus vt paratū sit. nos enim ita philologi sumus, vt vel cum fabris habitare possimus. Habemus hanc philosophiam, non ab Hymetto, sed ab area Syra. Marius & valetudine est & natura imbecillior. De interpellatione, tantum sumam à vobis temporis ad scribendum, quantum dabitis: vti nam nihil detis, vt potius vestra iniuria, quàm ignauia mea cessem. De Repub. nimum te laborare doleo, & meliorem ciuem esse, quàm Philoctetem, qui accepta iniuria, illa spectacula quærebat, quæ tibi acerba esse video. Amabo te, aduola: consolabor te, & omnem abstergebo dolorem. & adduc, si me amas, Marium. sed appropriate. hortus domi est. Vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

EPISTOLAM hanc conuitio efflagitarunt codicilli tui. nam res quidem ipsa, & is dies, quo tu es profectus, nihil mihi ad scribendum argumenti sanè dabat. sed quemadmodum coram cum sumus, sermo nobis deesse non solet, sic epistolæ nostræ debent interdum hallucinari. Tenediorum igitur libertas securi Tenedia præcisa est, cum eos præter me, & Bibulum, & Calidium, & Fauonium nemo defenderet.

De te magis ab Sipylo mentio est honorifica facta, cum te vnum dicerent postulationi L. Sestii Pansæ restitisse. Reliquis diebus, siquid erit quod te scire opus sit, aut etiam si nihil erit, tamen scribam quotidie aliquid. Pridie Id. neque tibi, neque Pomponio deero. Lucretii poëmata, vt scribis, non ita sunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis. sed cum veneris, virum te putabo: si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo. Vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

GAVDEO tibi iucundas esse meas literas. nec tamen habuissem scribendi nunc quidem vllum argumentum, nisi tuas accepissem: nā pridie Id. cum Appius Senatum infrequentem coëgisset, tantum fuit frigus, vt populi cōuitio coactus sit nos dimittere.

De Comageno Rege quod rem discusseram, mirificè mihi & per se, & per Pomponium blādatur Appius. videt enim hoc genere dicendi si vtar in cæteris, Februariū sterilem futurum, eumque lusi iocose satis: neque solum illud extorli oppidulum, quod erat positum in Euphrate & Zeugmate, sed præterea togam sum eius prætextam, quam erat adeptus Cæsare Consule, magno hominum risu cauillatus. quod nolit inquam renouare honores eosdem, quo minus togam prætextam quotannis interpollet, decernendum nihil censeo. Vos autem homines nobiles, qui Busrenum prætextatū non ferbatis, Comagenum feretis: genus vides, & locum iocandi. Multa dixi in ignobilem Regē, quibus totus est explosus. Quo genere cōmotus (vt dixi) Appius, totum me amplexatur. nihil est enim facilius, quàm reliqua discutere. sed nō faciam vt illum offen-

dam, ne impleret fidem Iouis hospitalis, Graios omnes conuocet, per quos mecum in gratiam rediit. Theopompo satisfaciemus. De Cæsare fugerat me ad te scribere. video enim quas tu literas expectaris. Sed ille scripsit ad Balbum fasciculum illum epistolarum in quo fuerat & mea, & Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse: ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam. sed ex Balbi epistola pauca verba intellexerat, ad quæ rescripsit his verbis, DE Cicerone video te quiddam scripsisse, quod ego non intellexi: quantum autem coniectura conseq̄uebar, id erat huiusmodi, ut magis optandum, quam sperandum putarem. Itaque postea mihi eodem illo exemplo literas. Iocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus. ad quæ ego rescripsi, nihil esse, quod posthac arcæ nostræ fiducia conturbaret: lusique in eo genere & familiariter & cum dignitate. Amor autem eius erga nos perfertur omnium nuntiis singularis. Et literæ quidem ad id quod expectas, ferè cum tuo reditu iungentur: reliqua singulorum dierum scribemus ad te, si modò tabellarios tu præbebis. quanquam eiusmodi frigus impendebat, ut summum periculum esset ne Appio suæ ædes vrentur. Vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

RISI niuem atram: tæque hilari animo esse, & prompto ad iocandum valde me iuuat. De Pompeio assentior tibi, vel tu potius mihi: nam, ut scis, iam pridem istum canto Cæsarem. mihi crede, in sinu est, neque ego discingor. Cognosce nunc Idus. decimus erat Cælio dies. Domitius ad numerum iudices non habuit. Vereor ne homo teter & ferus Pola Seruius ad accusationem veniat. nam noster Cælius valde oppugnatur à gente Clodia. certi nihil est adhuc: sed veremur. Eodem igitur die Tyriis est Senatus datus frequens. frequentes contra Syriaci publicani, vehementer vexatus Gabinius: exagitati tamen à Domitio publicani, quod eum essent cum equis profecuti. Noster Lamia paulò ferocius, cum Domitius dixisset, Vestra culpa hæc acciderunt, equites Romani. dissolutè enim iudicatis: nos iudicamus, vos laudatis, inquit. actum est eo die nihil. nox diremit. Comitibus diebus qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Puppiæ, quò minus habeat Senatum: & quòd Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Calend. Febr. vsque ad Calend. Mart. legatis Senatum quotidie dari. Ita putantur detrudi comitia in mensem Martium. sed tamen his comitialibus Tribuni pl. de Gabinio se acturos esse dicunt. omnia colligo, ut noui scribam aliquid ad te: sed ut vides, res me ipsa deficit. Itaque ad Callisthenem & Philistum redeo: in quibus te video volutatum. Callisthenis quidem vulgare & notum negotium, quemadmodum Græci aliquot locuti sunt. Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis, penè pusillus Thucydides, sed utros eius habueris libros (duo enim sunt corpora) an utrosque, nescio. Me magis de Dionysio delectat: ipse est enim veterator magnus & per familiaris Philisto. Sed quod ad scribis, aggredere sine ad historiæ: me auctore potes. & quoniã tabellarios sum ministras, hodierni diei res gestas Lupercalibus habebis. Oblecta te cum Cicerone nostro quambellissimè.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

DVA adhuc à te accepi epistolas, quarum alteram in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam. plureis quas scribis te dedisse, non acceperam. Ego me in Cumanis & Pompeiano, præterquam quòd sine te, cæterum satis commodè oblectabar: & eram in eisdem locis vsque ad Calend. Iun. futurus. Scribebam illa quæ dixeram πολιτικὰ, spissum sanè opus & operosum. sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita: sin minus, in illud ipsum mare deiciemus, quod scribentes spectabamus: aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus. Tua mandata persequar diligenter, & adiungendis hominibus, & quibusdam non alienandis. Maximè verò mihi curæ erit, ut Ciceronem tuum, nostrumque videam scilicet quotidie, sed inspiciam, quid discat quamspissimè: & nisi ille contemnat, etiam magistrum me ei profitebor: cuius rei

nonnullam consuetudinem nactus sum in hoc horum dierum otio, Cicerone nostro minore perdocendo. Tu, quemadmodum scribis, quod etiam si non scriberes, facere te diligentissimè tamen sciebã, facies, scilicet ut mea mandata digeras, persequare, conficias. Ego, cum Romam venero, nullum præmittam Cæsaris tabellarium, cui literas ad te non dem. His diebus (ignosces) cui darem fuit nemo ante hunc M. Orfium equitem Romanum nostrum & per necessarium, & quòd est ex municipio Atellano, quod scis esse in fide nostra. Itaque eum tibi commendo in maiorem modum, hominem domi splendidum, gratiosum etiam extra domum: quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. est Tribunus mil. in exercitu nostro: gratum hominem obseruantemque cognosces. Trebatium ut valde ames, vehementer te rogo. Vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

AD IIII. Non. Iun. quo die Romam veni, accepi tuas literas datas Placentiæ: deinde alteras postridie datas Blandenonæ, cum Cæsaris literis refertis omni officio, diligentia, suauitate. Sunt ista quidem magna, vel potius maxima: habent enim vim magnam ad gloriam & ad summam dignitatem. sed mihi crede, quem nosti, quod in istis rebus ego plurimi æstimo, id iam habeo, te scilicet primùm tam inferuentem communi dignitati, deinde Cæsaris tantum in me amorem, quem omnibus iis honoribus, quos me à se expectare vult, antepono. Literæ verò eius vnà datæ cum tuis, quarum initium est, quàm suavis ei tuus aduentus fuerit, & recordatio veteris amoris: deinde se effecturum, ut ego in medio dolore ac desiderio tui te, cum à me abesses, potissimùm secum esse latarer: incredibiliter delectarunt. Quare facis tu quidem fraternè, quòd me hortaris: sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum vnum conferam. Ego verò ardenti quidem studio: ac fortasse efficiam quod sæpe viatoribus, cum properant, euenit, ut si serius quàm noluerunt, fortè surrexerint, properando etiã citius, quàm si de multa nocte vigilassent, perueniant quò velint: sic ego quoniam in isto homine colendo tam indormiui diu, te mehercule sæpe excitante, cursu corrigam tarditatem, tum equis, tum verò (quoniam scribis poemata ab eo nostrum probari) quadrigis poetis, modò mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. Sed quid ago? quod mihi tempus, Romæ præsertim, ut iste me rogat, manenti vacuū ostenditur: sed videro: fortasse enim (ut fit) vincet tuus amor omnes difficultates. Trebatium quòd ad se miserim, persalsè & humaniter etiam gratias mihi agit. negat enim in tanta multitudine eorum qui vnà essent, quenquam fuisse qui vadium concipere posset. M. Curtio Tribunatum ab eo petiui (nã Domitius se derideri putasset, si esset à me rogatus. hoc enim est eius quotidianum, se ne Tribunum mil. quidem facere: etiam in Senatu lusit, Appium collegam propterea isse ad Cæsarem, ut aliquem Tribunatum auferret) sed in alterum annum. id & Curtius ita volebat. Tu, quæadmodum me censes oportere esse in Rep. & in nostris inimicitis, ita & esse, & fore auricula infima scito molliorem. Res Romanæ sic se habebant. Erat nonnulla spes comitorum, sed incerta: erat aliqua suspicio Dictaturæ, ne ea quidem certa: summum otium forense, sed senescentis magis ciuitatis, quàm acquiescentis: sententia autem nostra in Senatu eiusmodi, magis ut alii nobis assentiantur, quàm nosmetipsi. *Τοιαῦτα ὁ τλήμων πόλεμος ἐξερράζεται.* Calamo & atramento temperato, charta etiam dentata res agatur: scribis enim te meas literas superiores vix legere potuisse. in quo nihil eorum mi frater fuit quæ putas: neque enim occupatus eram, neque perturbatus, neque iratus alicui. Sed hoc facio semper, ut quicumque calamus in manus meas venerit, eo sic utar, tanquam bono. Verùm attende nunc mi optime & suauissime frater, ad eadum rescribo quæ tu in hac eadem breui epistola παραματικῶς valde scripsisti. De quo petis, ut ad te nihil occultans, nihil dissimulans, nihil tibi indulgens, germanè, fraternèque rescribam, id est vtrum voles, ut dixerimus, ad expediendum te: si causa sit, commorere. Si mi Quinte parua aliqua res esset in qua sciscitarere quid vellem, tamen

cum tibi permissurus essem, ut faceres quod velles, ego ipse quid vellem, ostēderem. In hac verò re hoc profectò quæris cuiusmodi illum annum qui sequitur, expectem. plane aut tràquillum nobis, aut certè munitissimum: quod quotidie domus, quod forum, quod theatri significationes declarant: neque laborant, quòd mea cōscientia copiarum nostrarum, quòd Cæsaris, quòd Pompeii gratiam tenemus. Hæc me, ut confidam, faciunt. sin aliquis erumpet amentis hominis furor, omnia sunt ad eum frāgendum expedita. Hæc ita sentio, iudico, ad te exploratè scribo. dubitare te, non assentatoriè, sed fraternè veto. Quare suauitatis equidem nostræ fruendæ causa cuperem te ad id tem-
 37 pus venire quod dixeras: sed illud malo tamen, quod putas, magnis etiam illa (etenim magni æstimo me) ἀμφιλαφίας illam tuam & expectationem debitorum tuorum. Illud quidem sic habeto, nihil nobis expeditis, si valebimus, fore fortunatius. parua sunt quæ desunt, quo nostris quidē moribus, & ea sunt ad explicandum expeditissima, modo valeamus. Ambitus redivit immanis: nunquā fuit par. Idib. Quint. scenus fuit ZZ ex Z coitione Memmii, quam cum Domitio habuit Scaurus vnum vincere. Messala
 * flaccet, non dico ὑπερβολῶς. vel HS. centies constituunt in prærogatiua. pronuntiare. res ardet invidia. Tribunitii candidati cōpromiserunt HS. quingenis in singulos apud M. Catonem depositis, petere eius arbitratu, ut qui contrā fecisset, ab eo condemnaretur. Quæ quidem comitia gratuita si fuerint, ut putantur, plus vnus Cato fuerit,
 * quàm omnes leges, omnesque iudices. Cum à me literas librarii manu acceperis, ne paulum otii me habuisse iudicato: cum autem mea, nullum. sic enim habeto, nunquā me à causis & iudiciis districtiorem fuisse, atque id anni tempore grauiissimo & calibus maximis. Sed hæc quoniam tu ita præscribis, ferenda sunt: neque committendum ut aut spei aut cogitationi vestræ ego videar defuisse, præsertim cum tamen id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiam, magnamque dignitatem sim collecturus. Itaque, ut tibi placet, damus operam ne cuius animum offendamus, atque ut etiam ab iis ipsis, qui nos cum Cæsare tam coniunctos dolent, diligamur: ab æquis verò, aut etiam à propensis in hanc partem vehementer & colamur & amemur. De ambitu cum atrocissimè ageretur in Senatu multos dies, quòd ita erant progressi candidati consulares, ut non esset ferendum, in Senatu non fui. Statui ad nullam medicinam
 39 Reipub. sine magno præsidio accedere. quo die hæc scripsi, Drusus erat de præuaricatione à Tribunis ærariis absolutus, in summa quatuor sententiis cum Senatores & equites damnassent. Ego eodem die post meridiem Vatinius aderam defensurus. Ea res facilis est. comitia in mensem Septembrem reiecta sunt. Scauri iudicium statim exercbitur: cui nos non deerimus. αὐτοκράτωρ Γοκλέως, quanquam à te actam fabellam video esse festiuè, nullo modo probavi. Venio nunc ad id quod nescio an primum esse debuerit. O iucundas mihi tuas de Britania literas. timebam Oceanum: timebam litus insulæ. Reliqua non equidem contemno, sed plus habent tamē spei, quàm timoris, magisque sum sollicitus expectatione ea quàm metu. Te verò ἀποθεσιν scribendi egregiam habere video, quos tu situs, quas naturas rerum & locorū, quos mores, quas
 40 genteis, quas pugnas, quem verò ipsum imperatorem habes? Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis adiuuabo, & tibi versus quos rogas, γλαῦκα εἰς Ἀθήνας mittā. Sed heus tu, celari videor à te. quomodonam mi frater de nostris versibus Cæsar? primum librū se legisse scripsit ad me antè, & prima sic, ut neget se ne Græca quidem meliora legisse. Reliqua ad quēdam locum ῥαθυμώτερα: hoc enim vititur verbo. Dic mihi verum, num aut res, aut χαρακτήρ nō delectat? Nihil est quod vereare: ego enim ne pilo quidem minus me amabo. hæc de re φιλαλήθως, & ut soles, scribe fraternè. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.



GO ex magnis caloribus (nō enim meminimus maiores) in Arpinati summa cum amœnitate fluminis me refeci ludorum diebus, Philotimo tribulibus commēdatis. in Arcano ad 1111. Id. Septemb. fui. ibi Messidium cum Philoxeno, aquamque, quam ii ducebant non lōgè à villa, bellè sanè fluentem vidi, præsertim maxima siccitate: vberiorēque aliquantò sese collecturos esse dicebant. Apud Herum rectè erat. In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiozem. sed tamen nihil ei restabat præter balnearia & ambulationem & auarium. villa mihi valde placuit, propterea quòd summam dignitatem pauimentata porticus habebat: quod mihi denique apparuit, porticam & ipsa tota patet, & columnæ politæ sunt. Totum in eo est quod mihi erit curæ, tectorium ut concinnum sit. pauimenta rectè fieri videbantur. Cameras quasdam non probavi, mutarique iussi. Quo loco in porticu te scribere aiunt ut atriolum fiat: mihi, ut est, magis placebat: neque enim satis loci esse videbatur atrio, neque ferè solet nisi in iis ædificiis fieri, in quibus est atrium maius: nec habere poterat
 * adiuncta cubicula, & eiusmodi membra. Nunc hoc vel honestate testudinis, vel valde boni æstium locum obtinebit. Tu tamē si aliter sentis, rescribe quam primum. In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promoui, propterea quòd ita erant posita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, esset sub tectum cubiculi. Sub grande cubiculum autem, & hibernum altum valde probavi, quòd & ampla erant, & loco posita ambulationis vno latere, eo quòd est proximum balneariis. columnas neque rectas, neque è regione Diphilus collocarat. eas scilicet demolietur, aliquando perpendiculo & linea discet vti. omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore: curat enim diligentissimè Cæsius, qui tum mecum fuit. Ex eo loco rectà Vitularia
 3 via profecti sumus in Fufidianum fundum, quem tibi proximis nuntiis Arpini de Fufidio HS. cccc. i. c. c. emeramus. Ego locum æstate vmbrosiorem vidi nunquā, per multis locis aquam profluentem, & eam vberem. Quid quæris: iugera L. prati Cæsius irrigaturum facillè te arbitratur. Equidē hoc, quod melius intelligo, affirmo, mirifica
 * suauitate te villam habiturum, piscina, & salientibus additis, palæstra, & silua viridicata. fundum audio te hunc Bouilianum velle retinere. De eo quid videatur, ipse constitues. Caluus aiebat, aqua dempta, & eius aquæ iure constituto, & seruitute fundo illi imposita, tamen nos pretium seruare posse, si vendere vellemus. Messidium mecum habui. is se ternis numis in pedem tecum transegisse dicebat. sese autem mensum pedibus aiebat passuum ccc. Mihi plus visum est. sed præstabo, sumptum nusquam melius posse poni. Chilonem arcesseram Venafro. sed eo ipso die quatuor eius cōseruos & discipulos Venafri cuniculus oppresserat. Idib. Septemb. in Laterio fui: viā perspexi: quæ mihi ita placuit, ut opus publicū videretur esse, præter c. L. passus: sum enim ipse mensus ab eo ponticulo qui est ad Furinæ Satricū versus. eo loco puluis, non glareæ iniecta est, & mutabitur, & ea viæ pars valde accliuus est. Sed intellexi aliter duci nō potuisse, præsertim cum tu neque per Locustæ, neque Varronis velles ducere. Veluinus antè suum fundum propè munierat: Locusta non attigerat, quæ ego Romæ aggrediar, & ut arbitror, commouebo: & simul M. Taurum, quem tibi audio promisisse, qui nunc Romæ erat, de aqua per fundum eius ducenda rogabo. Nicephorum villicum tuum sanè probavi, quæsiuque ex eo ecquid ei de illa ædificatiuncula Laterii, de qua mecum locutus es, mandauisses. tum is mihi respōdit se ipsum eius operis HS. x. m. conductorem fuisse, sed te postea multa addidisse ad opus, nihil ad pretium. itaque id

se omiffisse. Mihi hercule valde placet te illa, vt cōstituebas, addere: quāquā ea villa, quæ nunc est, tanquā philosophia videtur esse, quæ obiurget cæterarū villarum insaniam. Veruntamen illud additum delectabit. Topiarium laudauit, ita omnia conuestit edera, qua basim villa, qua intercolūnia ambulationis, vt denique illi palliati topiariā facere videantur, & ederā vendere. Iam *ἀποδύμελα* nihil aliud, nihil muscolius. habes ferè de rebus rusticis. Urbanā expolationem vrget ille quidē & Philotimus & Cincius, sed etiam ipse crebrò interuiffo, quod est facile factu. quam ob rem ea te cura liberatū volo.

De Cicerone, quòd me semper rogas, ignosco equidem tibi, sed tu quoque mihi velim ignoscas. non enim concedo tibi, plus vt illum ames, quàm ipse amo. Atque vtinā his diebus in Arpinati, quod & ipse cupierat, & ego non minus, mecum fuisset. Quòd ad Pomponiā: si tibi videtur, scribas velim: cum aliquò exhibimus, eat nobiscum, puerūque ducat. clamores efficiam, si eum mecū habuero otiosum: nā Romæ respirandi non est locus. Id me scis antea gratis tibi esse pollicitum: quid nunc putas tanta abs te mihi mercede proposita? Venio nunc ad tuas literas: quas pluribus epistolis accepi, dum sum in Arpinati. nā mihi vno die tres sunt redditæ, & quidē, vt videbantur, eodē abs te datæ tēpore. vna pluribus verbis, in qua primum erat, quòd antiquior dies in tuis fuisset ascripta literis, quàm in Cæsaris. id facit Oppius nonnunquā necessariò, vt cum tabellarios constituerit mittere, literasque à nobis acceperit, aliqua re noua impediatur, & necessariò serius, quàm constituerat, mittat, neque nos datis iam epistolis diem commutari curemus. Scribis de Cæsaris summo in nos amore. hunc & tu fouebis, & nos, quibuscunque poterimus rebus, augebimus. De Pompeio & facio diligenter, & faciā, quod mones. Quòd tibi mea permissio mansionis tuæ grata est, id ego summo, meo dolore & desiderio, tamen ex parte gaudeo. In Hippodamis, & nonnullis aliis arcessendis quid cogites, non intelligo. Nemo istorum est quin abs te munus, fundi suburbani instar, expectet. Trebatium verò meum quòd istò admisceas, nihil est. Ego illum ad Cæsarem misi, qui mihi iam satisfecit: si ipsi minus, præstare nihil debeo, tēque item ab eo vindico & libero. Quòd scribis te à Cæsare quotidie plus diligi, immortallyter gaudeo. Balbum verò qui est istius rei, quemadmodum scribis, adiutor, in oculis fero. Trebonium meum à te amari, tēque ab illo, pergaudeo. De Tribunatu quod scribis, ego verò nominatim petiui Curtio, & mihi ipse Cæsar nominatim Curtio paratum esse rescripsit, meamque in rogando verecundiā obiurgauit. Sicuti præterea petiero (id quod etiā Oppio dixi, vt ad illum scriberet) facile patiar mihi negari: quoniā illi qui molesti sunt, sibi negari à me non facile patiuntur. Ego Curtium, id quod ipsi dixi, non modò rogatione, sed etiā testimonio tuo diligo, quòd literis tuis studiū illius in salutē nostrā facile perspexi. De Britannicis rebus cognoui ex tuis literis nihil esse, nec quod metuemus, nec quod gaudeamus. De publicis negotiis quæ vis ad te Tironem scribere, negligētius ad te antè scribebam, quòd omnia minima maxima ad Cæsarem mitti sciebam. Rescripsi epistolæ maximæ: audi nunc de minuscule: in qua primum est de Clodii ad Cæsare literis: in quo Cæsaris consilium probo, quòd tibi amantissimè petenti veniam non dedit, vti vllum ad illam furiā verbum rescriberet. Alterum est de Caluenti Marii oratione. quòd scribis, miror tibi placere me ad eum rescribere, præsertim cum illā nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero: meā in illum pueri omnes tanquā dictata perdiscant. Libros meos, quos expectas, inchoaui, sed cōficere nō possum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro & pro Plancio absolui. Poëma ad Cæsare quod cōposueram, incidi. tibi, quod rogas, quoniā ipsi fontes iam sitiunt, siquid habeo spatii, scribam. Venio ad tertiam. Balbum quòd ais maturè Romā bene comitatum esse venturum, mecūque assiduè vsque ad Id. Maias futurū, id mihi pergratum, pēque iucūdam erit. Quòd me in eadē epistola, sicut sæpe antea, cohortaris ad ambitionē & ad laborem, faciā equidem: sed quādo viuemus? Quarta epistola mihi reddita est Idib. Septemb. quam ad 111. Id. Sext. ex Britannia dederas. in ea nihil sanè

erat noui, præter Erigonam: quam si ab Oppio accepero, scribam ad te quid sentiam: nec dubito quin mihi placitura sit. Et quod præterii de eo, quem scripsisti de Milonis plausu scripsisse ad Cæsarem: ego verò facile patior ita Cæsare existimare, illum quàm maximum fuisse plausum, & prorsus ita fuit: & tamen ille plausus qui illi datur, quodammodo nobis videtur dari. Reddita est etiam mihi peruetus epistola, sed serò allata, in qua de adæ Telluris, & de porticu Catuli me admones. fit vtrumque diligenter. ad Telluris quidem etiam tuam statuam locaui. Item de hortis, quòd me admones, nec fui vnquam valde cupidus, & nunc domus suppeditat mihi hortorum amœnitatem. Romam cum venissem ad x111. Calen. Oct. absolutum offendi in ædibus tuis tectum, quod super conclauia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum: id nunc honestè vergit in tectū inferioris porticus. Cicero noster, dum ego adsum, non cessauit apud rhetorem. de eius eruditione quod labores nihil est, quoniā ingenium eius nosti, studium ego video: cætera eius suscipio, vt me putem præstare debere. Gabinius tres adhuc factiones postulant: L. Lentulus Flamini filius, qui iam de maiestate postulauit: T. Nero cum bonis subscriptoribus: C. Memmius Tri. pl. cum L. Capitone. ad Urbem accessit ad x11. Calen. Oct. nihil turpius, nec desertius, sed his iudiciis nihil audeo confidere, quod Cato non valebat. adhuc de pecuniis repetundis non erat postulatus. Pompeius à me valde cōtendit de reditu in gratiam, sed adhuc nihil profecit: nec si vllam partem libertatis tenebo, proficiet. Tuas literas vehementer expecto. Quòd scribis, te audisse in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est: eiusmodi enim pactiones in ea coitione factæ, quas postea Memmius patfecit, vt nemo bonus interesse debuerit: & simul mihi committendum non fuit, vt iis coitionibus interesssem, quibus Messala excluderetur: cui quidem vehementer satisfaccio rebus omnibus, vt arbitror, etiam Memmio. Domitio ipsi multa iam feci quæ voluit, quæque à me petiuit. Scaurum beneficio defensionis valde obligauit. adhuc erat valde incertum, & quando comitia, & qui Consules futuri essent. Cum hanc iam epistolam complicarem, tabellarii à vobis venerunt ad x1. Cal. Sept. vicesimo die. O me sollicitum, quantum ego dolui in Cæsaris suauissimis literis: sed quòd erant suauiores, eò maiorem dolorem illius ille casus afferebat. Sed ad tuas venio literas. Primum tuam remansionem etiam atque etiam probo, præsertim cum, vt scribis, cum Cæsare cōmunicaris. Oppium miror quicquam cum Publilio: mihi enim non placuerat. Quòd interiore epistola scribis, me Idib. Sept. Pompeio legatum iri: id ego non audiui, scripsique ad Cæsarem, Vibullium Cæsaris mandata de mea māsione ad Pompeium pertulisse, nec ad Oppium, quo consilio: Quāquam Oppium ego tenui, quòd priores partes Bibuli erant: cum eo enim coram Cæsare egerat, ad Oppium scripserat. Ego verò nullas *δευτέρας φροντίδας* habere possum in Cæsaris rebus. Ille mihi secundum te & liberos nostros ita est, vt sit penè par: videor id iudicio facere: iam enim debeo: sed tamen amore sum incensus. Cum scripsissem hæc infima, quæ sunt mea manu, venit ad nos Cicero tuus ad cœnā, cum Pomponia foris cœnaret: deditque mihi epistolam legendam tuam, quam paulò antè acceperat ab Aristophane meo, valde mehercule & suauem & grauem, qua sum admodum delectatus. Dedit etiam alteram illam mihi, qua iubet eum mihi esse affixū tanquam magistro. quàm illum epistolæ illæ delectantur: quàm me: nihil puero illo suauius, nihil nostri amantius. Hæc inter cœnam Tironi dictaui, ne mirere alia manu esse. Annali literæ tuæ pergratæ fuerunt, quòd & curares de se diligenter, & tamen consilio seuerissimo iuuares. P. Seruilius pater ex literis, quas sibi à Cæsare missas esse dicebat, significat valde te sibi gratum fecisse, quòd de sua voluntate erga Cæsarem humanissimè diligentissimèque locutus esses. Cum Romam ex Arpinati reuertissem, dictum mihi est Hippodamū ad te profectum esse. non possum scribere me miratum esse illū tam inhumaniter fecisse, vt sine meis literis ad te proficisceretur: illud scribo, mihi molestum fuisse: iam enim diu cogitaueram ex

eo, quod tu ad me scripseras, ut si quid esset quod ad te diligentius perferri vellem, illi darem: quod mehercule hisce literis, quas vulgo ad te mitto, nihil ferè scribo, quod, si in alicuius manus inciderit, molestè ferendū sit. Minutio me & Saluio & Labeoni referuabam. Labeo autè tardè proficiscetur, aut hic manebit. Hippodamus ne num quidem quid velim rogauit. T. Pinarius amabileis ad me de te literas mittit, se maximè literis, sermonibus, cœnis denique tuis delectari. Is homo semper me delectauit, fraterque eius mecum est multum. Quare, ut instituisti, complectere adolescentem.

Quòd multos dies epistolam in manibus habui propter commorationem tabellariorum: ideo multa coniecta sunt, aliud alio tempore, velut hoc, T. Anitius mihi saepe iam dixit, sese tibi suburbanum, si quod inuenisset, nò dubitaturum esse emere. In eius sermone ego vtrunque soleo admirari, & te de suburbano emendo, cum ad illum scribas, non modò ad me non scribere, sed etiam aliam in sententiam scribere: & cum ad illū scribas, nihil te recordari de se, de epistolis illis, quas in Tusculano eius mihi ostendisti, nihil de præceptis Epicharmi. *ἡ ἀδελφὴ πᾶσι ἀλλὰ καὶ ἐκρηταί.* totum denique vultum, animum, sermonem eius, quemadmodum conicio, quasi. Sed hæc tu videris. De suburbano, cura ut sciam quid velis: & simul nequid ille turbet, vide. Quid præterea: Quid etiam Gabinius ad IIII. Calen. Oct. noctu in Urbem introiuit: & hodie hora octaua, cum edicto C. Alfi de maiestate cum adesse oporteret, concursu magno & odio vniuersi populi penè afflictus est. nihil illo turpius. proximus est tamen Piso. itaque mirificum *ἐμβολίον* cogito in secundum meorum librorum inducere, dicentē Apollinem in consilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset: quorum alter exercitum perdidisset, alter vendidisset. Ex Britania Cæsar ad me Cal. Sept. dedit literas, quas ego accepi ad IIII. Cal. Oct. satis commodas de Britanicis rebus: quibus ne admirer, quòd ad te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse, cum ad mare accesserit. Ad eas ego literas nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa, propter eius luctum.

Te oro etiam atque etiam mi frater, ut valeas.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

AD VI. Id. Oct. Saluius Ostiam vesperi naui profectus cum iis rebus, quas tibi domo mitti volueras. eodem die Gabinium ad populum luculentè calefecerat Memmius, sic ut Calidio verbum facere pro eo non licuerit. postridie autem eius diei, qui erat tum futurus, cum hæc scribebam ante lucem, apud Catonem erat diuination in Gabinium futura inter Memmium & T. Neronem, & C. L. Antonios M. F. putabamus fore, ut Memmio daretur, etsi erat Neronis mira contentio. Quid quæris? probè premittur, nisi noster Pompeius diis, hominibusque inuitis, negotium inuertit. Cognosce nunc hominis audaciam, & aliquid in Rep. perdita delectare. cum Gabinius, quacunque veniebat, triumphum se postulare dixisset, subitoque bonus imperator noctu Urbem hostium planè inuasisset, in Senatum se non committebat. Interim ipso decimo die, quo ipsum oportebat hostium numerum, & militum renuntiare, in re hæsit, summa in frequentia: cum vellet exire, à Consulibus retentus est. introducti publicani. Homo vndique actus, cum à me maximè vulneraretur, nò tulit, & me trementi voce exullem appellauit. Hic, ò dii, nihil vnquam honorificentius nobis accidit. consurrexit Senatus cum clamore ad vnum, sic, ut ad corpus eius accederet: pari clamore atque impetu publicani. Quid quæris? omnes, tanquam si tu esses, ita fuerunt. nihil hominum sermone foris clarius. ego tamè teneo ab accusando vix mehercule, sed tamen teneo, vel quòd nolo cum Pompeio pugnare (satis est quod instat de Milone) vel quòd iudices nullos habemus, *ἀποτρογμὰ* formido: addo etiam malevolentiam hominum: & timeo, ne illi me accusante aliquid accidat: nec despero rem & sine me, & nò nihil per me confici posse. De ambitu postulati sunt omnes qui Consulatum petūt, à Memmio Domitius, à Q. Curtio bono & erudito adolescente Memmius, à Q. Pompeio Messala, à Triario Scaurus. Magna res in motu est, propterea quòd aut hominum, aut

legum interitus ostenditur. opera datur ut iudicia ne fiant. res videtur spectare ad interregnum. Consules comitia habere cupiunt, rei nolunt, & maximè Memmius, quòd Cæsar aduentu sperat se futurum Consulè: sed mirū in modum iacet. Domitius cum Messala certus esse videbatur. Scaurus refrixerat. Appius sine lege Curiata cōfirmat se Lentulo nostro successurum: qui quidem mirificus illo die (quòd penè præterii) fuit in Gabiniū: accusauit maiestatis: nomina data, cum ille verbum nullum. Habes forensia.

Domini rectè, & ipsa domus à redemptoribus tractatur non indiligenter. Vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

OCCUPATIONVM mearum signum tibi sit librarii manus. diem scito esse nullū, quo die non dicam pro reo. Ita, quicquid conficio aut cogito, in ambulationis ferè tēpus confero. Negotia nostra sic se habent: domestica verò, ut volumus. valent pueri, studiosè discunt, diligenter docentur: & nos, & inter se amant. Expolitiones vtriusque nostrū sunt in manibus, sed tua ad perfectum iam res est rustica Arcani & Laterii. Præterea de aqua & via nihil prætermisi quadā epistola, quin enucleatè ad te perscriberem. Sed me illa cura sollicitat, angitque vehementer, quòd dierum iam amplius 2. interuallo nihil à te, nihil à Cæfare, nihil ex istis locis nò modò literarum, sed ne rumoris quidem affluxit. me autem iam & mare istuc, & terra sollicitat: neque desino (ut fit in amore) ea, quæ minimè volo, cogitare. Quare non equidem iam te rogo, ut ad me de te, de rebus istis scribas (nunquam enim, cum potes, prætermittis) sed hoc te scire volo, nihil ferè me vnquam ita expectasse, ut, cum hæc scribebam, literas tuas. Nūc cognosce ea quæ sunt in Repub. Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus magna voluntate bonorum omnium. tanta inuidia sunt Cōsules propter suspicionem pactorum à candidatis præmiorum. candidati consulares quatuor, omnes rei: causæ sunt difficiles: sed enitemur ut Messala noster saluus sit: quod est etiam cum reliquorum salute cōiunctum. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sylla subscribente priuigno Memmio, fratre Cæcilio, Sylla filio. contra dixit L. Torquatus, omnibusque libētibus non obtinuit. Quæris quid fiet: sciemus de maiestate triduo: quo quidem in iudicio odio premitur omnium generum, maximè testibus ceditur: accusatoribus frigidissimis vitur. cōsiliū variū, quæsitō grauis, & firmus Alfius, Pompeius vehemens in iudicibus rogandis. quid futurum sit, nescio: locum tamen illi in ciuitate non video. animum præbeo ad illius perniciem moderatum, ad rerum euetum lenissimum. Habes ferè de omnibus rebus. vnum illud addam, Cicero tuus, nostrerque summo studio est Pæonii sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati & boni: sed nostrum instituendi genus esse paulò eruditius, & *ἡρετικώτερον* non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronis iter, atque illam disciplinam volo, & ipse puer magis illo declamatorio genere duci & delectari videtur. in quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus: eodem enim peruenturum esse confidimus. sed tamè si nobiscum eum rus aliquò eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinēque inducemus. magna enim nobis à te proposita merces est: quam certè nostra culpa nūquam minus assequemur. Quibus in locis, & qua spe hyematurus sis, ad me quam diligentissimè scribas velim. Vale.

MARCUS QUINTO FRATRI S.

GABINIUS absolutus est. omnino nihil accusatore Lentulo, subscriptoribusque eius infantius, nihil illo consilio fordidius. Sed tamen, nisi incredibilis contentio, & preces Pompeii, Dictaturæ etiam rumor plenus timoris fuisset, ipsi Lentulo non respondisset, qui cum illo accusatore, illoque consilio sententiis cōdemnatus sit xxxii, cum lxx tulissent. Est omnino tam graui fama hoc iudicium, ut videatur reliquis iudiciis periturus, & maximè de pecuniis repetundis. Sed vides nullam esse Rempub. nullam Senatū, nullā iudicia, nullam in vllō nostrū dignitatē. Quid plura de iudiciis: duo prætorii sederunt, Domitius Caluinus, is apertè absoluit, ut omnes viderent: & Cato, is

diruptis tabellis de circulo se subduxit, & Pópeio primus nuntiauit. Aiunt nonnulli, Sallustius item, me oportuisse accusare. Iis ego iudicibus committerem: quid essem, si me agente esset elapsus: Sed me alia mouerūt. non putasset sibi Pópeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamē: in Urbem introisset: ad inimicitias res venisset: cum AEternino Samnite Pacideianus cōparatus viderer: auriculam fortasse mordicus abstulisset: cum Clodio quidem certē rediisset in gratiam. Ego verò meum consilium (si præsertim tu non improbas) vehemēter approbo. ille cum à me singularibus meis studiis ornatus esset, cumque ego illi nihil deberē, ille mihi omnia, tamen in Rep. me à se dissentientem non tulit (nihil dicam grauius) & minus potēs eo tempore, quid in me florentem posset, ostendit. nunc, cum ego ne curem quidem multum posse, res quidem publica certē nihil possit, vnus ille omnia: cum illo ipso cōtenderem: sic enim faciendum fuisset. Non existimo te putare id mihi suscipiēdum fuisse. alterutrum, inquit idem Sallustius, defendisses, idque Pompeio contendenti dedisses: etenim vehementer orabat. Lepidum amicū Sallustium, qui mihi aut inimicitias putet periculis subeūdas fuisse, aut infamiam sempiternam. Ego verò hac mediocritate delector. ac mihi illud iucundum est, quòd, cum testimonium secundum fidem & religionem grauius dixissem, reus dixit, si in ciuitate licuisset sibi esse, mihi se satisfacturū, neque me quicquam interrogauit. De verbis, quos tibi à me scribi vis, deest mihi quidem opera: quæ non modò tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam ἐνθουσιασμός: non enim sumus omnino sine cura venientis anni, etsi fumus sine timore. simul & illud, (sine vlla mehercule ironia loquor) tibi istius generis in scribendo priores parteis tribuo, quàm mihi. De bibliotheca tua Græca suppleta, libris commutandis, latinis comparandis, valde velim ista confici, præsertim cum ad meum quoque vsum spectent. sed ego, mihi ipsi ista per quem agam, non habeo: neque enim venalia sunt, quæ quidem placeant, & confici nisi per hominē & peritum & diligentem non possunt. Chrylippo tamen imperabo, & cum Tyrannione loquar. De fisco quid egerit Scipio, quæram. quod videbitur rectum esse, curabo. De Ascanione, tu verò quod voles, facies: me nihil interpono. De suburbano, quòd non properas, laudo: vt tu habeas, hortor. Hæc scripsi ad v i i i. Cal. Nou. quo die Iudi committebantur, in Tusculanum proficiscens, ducensque mecum Ciceronem meum in ludum discēdi, non lusionis: ea re non longius quàm vellem, quòd Pomptino ad triumphum ad i i i. Non. Nou. volebā adesse: etenim erit nescio quid negotioli: nam Cato & Seruilius Prætt. prohibituos se minantur: nec quid possint, scio: ille enim & Appiūcos. secum habebit, & Prætores, & Tribunos pleb. sed minantur tamen, in primisque ἀπὸ πνέων Q. Scauola. Cura, mi suauissime & charissime frater, vt valeas.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

QVOD quæris quid de illis libris egerim, quos, cum essem in Cumano, scribere institui: non cessauit, neque cesso, sed sæpe iam scribendi totum consilium rationemque mutauit: nam iam duobus factis libris (in quibus nouendialibus iis feriis quæ fuerunt Tuditano & Aquilio coss. sermo est à me institutus Africani, paulò ante mortē, & Lælii: Philii, Manilii, Q. Tuberonis, & Lælii generorum Fannii, & Scauolæ: sermo autem in nouem & dies & libros distributus de optimo statu ciuitatis & de optimo ciue: sanè texebatur opus luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi pōderis afferebat) hi libri cum in Tusculano mihi legerētur audiente Sallustio, admonitus sum ab illo, multò maiore authoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de Rep. præsertim cum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, & is qui in maximis versatus in Rep. rebus essem: quæ tam antiquis hominibus attribuerē, ea visum iri ficta esse: oratorum sermonem in illis nostris libris, quòd esset de ratione dicendi, belle à me remouisse, ad eos tamen retulisse, quos ipse vidissem. Aristotelem denique, quæ de Rep. & præstante viro scribat, ipsum loqui. Commouit me, & cò magis, quòd maximos

motus nostræ ciuitatis attingere non poteram, quòd erant inferiores, quàm illorū ætas qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. nunc & id vitabo, & loquar ipse tecum, & tamen illa quæ institueram, ad te, si Romam venero, mittam: puto enim te existimaturū, à me libros illos nō sine aliquo meo stomacho esse relictos. Cæsaris amore, quem ad me perscribit, vnice delector: promissis iis quæ ostendit, non valde pendeo: nec honores sitio, nec desidero gloriam, magisque eius voluntatis perpetuitatem, quàm promissorū exitum expecto: viuo tamen in ea ambitione & labore, tanquam id quod non postulo, expectem. Quod me de faciendis verbis rogas: incredibile est mi frater, quàm egeam tempore: nec sanè satis commoueor animo ad ea quæ vis, canenda. ἄποθέσεις verò, & ea quæ ipse ego ne cogitando quidem consequor, tu, qui omnis isto eloquendi & exprimendi genere superasti, à me petis: Facerem tamen vt possem: sed (quod te minime fugit) opus est ad poëma quadā animi alacritate, quam planè mihi tēpora eripiūt. abduco equidem me ab omni Reip. cura, dedoque literis: sed tamē indicabo tibi quod mehercule in primis te cælatum volebam: Angor mi suauissime frater, angor, nullam esse Remp. nulla iudicia, nostrumque hoc tempus ætatis, quod in illa authoritate senatoria florere debebat, aut forensi labore iactari, aut domesticis literis sustentari: illud vero quod à puero adamaram, αἰεὶ ἀριστεύειν, καὶ ἄποθέσεις ἐπιμένειν ἄλλων, totum occidisse: inimicos à me partim non oppugnatos, partim etiam esse defensos: meum non modò animum, sed ne odium quidem esse liberum: vnūque ex omnibus Cæsarem esse inuentum, qui me tantum, quantum ego vellem, amaret: aut etiam (sicut alii putāt) hunc vnum esse, qui vellet. Quorum tamen nihil est eiusmodi, vt ego me non multa consolatione quotidie leniam, sed illa erit consolatio maxima, si vnā erimus. nunc ad illa vel grauius accedit tui desiderium. Gabinium si, vt Panfa putat oportuisse, defendissem, concidissem. qui illum oderunt (ii sunt toti ordines) propter quem oderunt, me ipsum odisse cœpissent. tenui me, vt puto, egregiè: tantum vt facerem, quātum omnes viderent: & in omni summa, vt mones, valde me ad otium pacemque conuerto.

De libris, Tyrannio est cessator: Chrylippo dicā: sed res operosa est, & hominis per diligentis: sentio ipse, qui in summo studio nihil assequor. de latinis verò quòd me vertam, nescio: ita mendose & scribuntur, & vaneunt: sed tamen, quod fieri poterit, non negligam. Cerbrius, vt antè ad te scripsi, Romæ est: & qui omnia adiurant, debere tibi valde renuntiant. Ab ærario puto confectum esse, dum absunt. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

QVATVOR tragædias xvi. diebus absoluisse cum scribas, tu quicquam ab alio mutuaris? & πλέον quæris, cum Electrā & Troadem scripseris: Cessator esse noli, & illud, γὰρ σεαυτὸν, noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam, vt bona nostra norimus. sed & istas, & Erigonam mihi velim mittas. Habes duas epistolas proximas. Vale.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

ROMAE, & maximè Appia ad Martis, mira proluuius. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna vis aquæ vsque ad piscinam publicam. viget illud Homeri, ἢ μὰ τ' ὀπαρινῶ (cadit enim in absolutionē Gabini) ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Σθῆς, ὅτε δὴ γ' ἀνέρεαι κοτεσάμειος χαλεπήη. Οἱ βίη ἐν ἀγροῦ σκολιάς κρίνωσι θεμιστας, Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσσωσι θεῶν ὅππῃ δὲ ἀλέγοντες. Sed hæc non curare decreui. Romam cum venero, quæ perspexero, scribam ad te, & maximè de Dictatura, & ad Labienum, & ad Ligurium literas dabo. hanc scripsi antè ad lychnuchum ligneolū, qui mihi erat periuicundus, quòd eū te aiebant, cum esses Sami, curasse faciendū. Vale mi suauissime & optime frater.

MARCVS QVINTO FRATRI S.

SUPERIORI epistolæ quod respondeam nihil est, quæ plena stomachi & querelarum est: quo in genere alteram quoque te scribis pridie Labieno dedisse, qui adhuc

non venerat: deleuit enim mihi omnem molestiam recentior epistola. Tantum te & moneo & rogo, ut in istis molestiis & laboribus & desideriiis recordere, consilium nostrum quod fuerit profectiois tuae: non enim commoda quaedam sequebamur parua ac mediocria. quid enim erat quod discessu nostro emendum putarem? Praesidium firmissimum petebamus ex optimi & potentissimi viri beneuolentia ad omnem statum nostrae dignitatis. plura ponuntur in spe, quam in pecuniis: reliqua ad iacturam struentur. Quare, si crebro referes animum tuum ad rationem & veteris consilii nostri & spei, facilius istos militiae labores, caeteraque, quae te offendunt, feres: & tamen, cum voles, depones. Sed eius rei maturitas nequedum venit, & tamen iam appropinquat. Etiam illud te admoneo, ne quid vllis literis committas, quod si prolatum sit, molestè feramus. Multa sunt quae ego nescire malo, quam cum aliquo periculo fieri certior. Plura ad te vacuo animo scribam, cum (ut spero) se Cicero meus bellè habeat. Tu velim cures, ut sciam quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde literas mittemus, Caesari sine tabellariis, ut is ad te protinus mittat: an Labieno, ubi enim isti sint Neruii, & quam longè absint, nescio. De virtute & grauitate Caesaris, quam in summo dolore adhibuisset, magnam ex epistola tua accepi voluptatem. Quod me institutum ad illum poema iubet perficere: etsi dissentens cum opera, tum animo sum multò magis, quoniam tamen ex epistola, quam ad te miseram, cognouit Caesar me aliquid esse exorsum, reuertar ad institutum: idque perficiam his supplicationum otiosis diebus, quibus Messalam iam nostrum, reliquosque molestia leuatos vehemèter gaudeo: eumque quod certum Consulem cum Domitio numeraris, nihil à nostra opinione dissentis. Ego Messalam Caesari praestabo: sed Memmius in aduentu Caesaris habet spem: in quo illum puto errare. hic quidem friget. Scaurum autem iam pridem Pompeius abiecit: res prolatae: ad interregnum comitia adducta: rumor Dictatoris, iniucundus bonis, mihi etiam magis quae loquuntur. Sed tota res & timetur & refrigescit. Pompeius planè se negat velle: antea ipse mihi non negabat. Hirrus author fore videtur. odii, quam ineptus, quam se ipse amans sine rivali. Crassum Iunianum hominem mihi deditum per me deterruit: velit, nolit, scire difficile est. Hirro tamen agente nolle se non probabit. Aliud hoc tempore de Rep. nihil loquebantur: agebatur quidem certè nihil.

Serrani Domesticii filii funus perlucentuosum fuit. ad 1111. Calen. Decemb. laudauit pater scripto meo. Nunc de Milone. Pompeius ei nihil tribuit, & omnia Guttæ: dicitque se perfecturum, ut in illo Caesar incumbat. Hoc horret Milo, nec iniuria: & si ille Dictator factus sit, penè diffidit. intercessorem Dictaturae si iuuerit manu & praesidio suo, Pompeium metuit inimicum: si non iuuerit, timet ne per vim perferatur. Ludos apparat magnificentissimos, sic inquam, ut nemo sumptuosiores: stultè, bis, terque non postulatus: vel quia munus magnificum dederat, vel quia facultates non erant, vel quia magister, vel quia potuerat magistrum se, non Aedilem putare. omnia ferè scripsi. Cura, mi charissime frater, ut valeas. De Gabinio nihil fuit faciendum istorum quae amantissimè cogitata sunt, ἵνα μοι χάρις. feci summa cum grauitate, ut omnes sentiant, & summa cum lenitate quae feci. Illud neque vrsi, neque leuauit: testis vehemèns fui, praeterea quicui: exitum iudicii foedum & perniciosum leuissimè tuli. quod quidem bonum mihi nunc denique redundat, ut his malis Reip. licentiæque audacium, qua antè rumpebar, nunc ne mouear quidem. nihil est enim perditius his hominibus, his temporibus. Itaque ex Rep. quoniam voluptatis nihil iam capi potest: cur stomacher, nescio. litera me & studia nostra & otium, villaeque delectant, maximèque pueri nostri. angit vnus Milo: sed velim finè afferat Consulatus, in quo enitar non minus, quam sum enifus in nostro: tuncque istinc, quod facis, adiuuabis. de quo caetera (nisi planè vis eripuerit) rectè sunt. De re familiari timeo, ὅ δὲ μάλιστα ἐστὶ ἀνεκτόν, qui ludos HS. CCC. cōparet, cuius in hoc vno considerantiam & ego sustinebo ut potero: & tu, ut possis, est tuorum neruorum. De motu temporum venientis anni, nihil te intelligere volueram

domestici timoris, sed de cōmuni Reip. statu. in quo etiā si nihil procuro, tamen nihil curare vix possum. quàm autè te velim cautum esse in scribendo, ex hoc coniecito, quod ego ad te ne hæc quidè scribo, quae palam in Rep. turbatur, ne cuiusquam animum meae literae interceptae offendat. Quare domestica cura te leuatum volo. in Rep. scio quàm sollicitus esse soleas: video Messalam nostrum c o s. si per interregem, sine iudicio: si per Dictatorem, tamen sine periculo. odii nihil habet. Hortensii calor multum valebit. Gabini absolutio lex impunitatis putatur ἐν παρέργω. de Dictatore tamen actum adhuc nihil est. Pompeius abest: Appius miscet, Hirrus parat: multi intercessores numerantur, populus non curat, principes nolunt, ego quiesco. De mancipiis quod mihi polliceris, valde te amo: & sum equidem, ut scribis, & Romae, & in praediis infrequens. Sed caue, amabo, quicquam, quod ad meum commodum attineat, nisi maximo tuo commodo & maxima tua facultate mi frater cogitaris. De epistola Vatini risi. sed me ab eo ita obseruari scio, ut eius ista odia non forbeam solum, sed etiam concoquam.

Quod me hortaris ut absoluam, habeo absolutum, suaue, mihi quidem ut videtur, ἔπος ad Caesarem. Sed quaero locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigonae tuae, cui soli Caesare imperatore iter ex Gallia tutum non fuit. Quid, si camentum bonum non haberem, deturbem aedificium? Quod quidem quotidie mihi magis placet, in primisque inferior porticus, & eius conclauia fiunt rectè. De Arcano, Caesaris opus est, vel mehercule etiā elegantioris alicuius: imagines enim istae, & palæstra, & piscina, & nilus multorum Philotimorum est, non Diphilorum. Sed & ipsi ea adibimus, & mittimus, & mandabimus. De Felicis testamento, tum magis quaerere, si scias: quas enim tabulas se putauit obsignare, in quibus in vnciis firmissimum tenuerat (lapsus est per errorè & suum, & Sicuræ serui) non obsignauit: quas noluit, eas obsignauit. ἀλλ' ὁ μὲν ζήτησ, nos modò valeamus. Ciceronem, & ut rogas, amo, & ut meretur, & ut debeo: dimitto autem à me, & ut à magistris ne abducam, & quod mater Pomponia discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco. Sed fumus vnà tamen valde multum. Rescripsi ad omnia. Mi suauissime & optime frater vale.

AD OCTAVIUM EPISTOLA.

SI PER tuas legiones mihi licitum fuisset, quae nomini meo, populoque R. sunt inimicissimae, venire in Senatum, coramque de Rep. disputare, fecissem: neque tam libèter, quàm necessariò. nulla enim remedia, quae vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quae sunt salutaria. Sed quoniam cohortibus armatis circumseptus Senatus, nihil aliud verè potest decernere, nisi timere (in Capitolio signa sunt, in vrbe milites vagantur, in campo castra ponuntur, & Italia tota legionibus ad libertatem nostram cōscriptis, ad seruitutem adductis, equitatuque exterarum nationum distinetur) cedam tibi in praesentia foro, curia, & sanctissimis deorum immortalium templis: in quibus, reuiuifcente iam libertate, deinde rursus oppressa, Senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. Post etiam paulò, temporibus ita postulatis, cedam Vrbe: quam per me conseruatam, ut esset libera, in seruitute videre non potero. cedam vita, quae quanquam sollicita est, tamen si profectura est Reip. bona spe posteritatis me consolatur: qua sublata, non dubitater occidam: atque ita cedam, ut fortuna iudicio meo, non animus mihi defuisse videatur. Illud verò, quod & praesentis doloris est indicium, & praeteritae iniuriae testimonium, & absentium sensus significatio: nō praetermittam quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens prosum. siquidem mea salus aut utilis Reipub. est, aut coniuncta certè publicae saluti. nam per deum immortalium fidem (nisi forte frustra eos appello, quorum aures atque animus à nobis abhorret) perque fortunam populi R. (quae quanquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia, & ut spero, futura est) quis tam expers humanitatis, quis huius vrbs nomini ac sedibus vsque adeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum vitet? Nā ut ordiar ab

initio, & perducam ad extremum, & nouissima conferam primis, quæ non posterior dies acerbior priore, & quæ non insequens hora antecedente calamitosior populo R. il luxit: M. Antonius, vir animi maximi (vtinam etiam sapiētis consilii fuisset) C. Cæsare fortissimè, sed parū feliciter à Reip. dominatione semoto, concupierat magis regium, quàm libera ciuitas pati poterat, principatum: publicam dilapidabat pecuniam: ærariū exhauriebat: minucebat vectigalia, donabat ciuitates ex commentario, Dictaturā gerebat: leges imponebat, prohibebat Dictatorem creari legibus: s. c. ipse repugnabat in Senatu, prouincias vnus omneis concupiebat: cui sordebat Macedonia prouincia, quam victor sibi sumpserat Cæsar. Quid de hoc sperare aut expectare nos oportebat: extitisti tu vindex nostræ libertatis, vt tunc quidem, optimus (quod vtinā neque nostra nos opinio, neque tua fides sefellisset) & veteranis in vnū conductis, & duabus legionibus à pernicie patriæ ad salutē auocatis, subito propè iam affectam ac prostratā Rempub. tuis opibus extulisti. Quæ tibi non antè quàm postulares, maiora quàm velles, plura quàm sperares, detulit Senatus: dedit fasces, vt cum authoritate defensorem haberet, non vt imperio se aduersum armaret: appellauit imperatorem, hostium exercitu pulso tribuens honorem, non vt sua cæde cæsus ille fugiens exercitus te nominaret imperatorem: decreuit in foro statuam, locum in Senatu, summum honorem ante tempus: siquid aliud est, quod dari possit, addat. Quid aliud est maius quod velis sumere: sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnia tributa, cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficii sceleratè circumscribis Senatum? quò te misimus? à quibus reuerteris? contra quos armauimus? quibus arma cogitas inferre? à quibus exercitum abducis? aduersus quos aciem struis? Cur hostis relinquitur, ciuis hostis loco ponitur? cur castra medio itinere longius aduersariorum castris, & propius Urbem mouentur? O me nunquam sapientem, & aliquando, id quod non erat frustra, existimatum. Quantum te popule Ro. de me sefellit opinio! O meam calamitosam, ac præcipitem senectutem. O turpem exacta, dementique ætate canitiem. Ego Patres Conscriptos ad parricidium induxi: ego Rempub. sefelli: ego ipse Senatum sibi manus afferre coëgi, cum te Iunonium puerum, & matris tuæ partum aureum esse dixi. At te fata patriæ Paridem futurum prædicabant, qui vastares Urbem incendio, Italiam bello: qui castra in templis deorum immortalium, Senatum in castris habiturus esses. O miseram, & in breui tam celem, & tam variam Reipub. commutationem. Quisnam tali futurus ingenio est, qui possit hæc ita mandare literis, vt facta, non ficta videantur esse? Quis erit tanta animi facilitate, qui, quæ verissimè memoria propagata fuerint, non fabulæ similia sit existimaturus? Cogita enim Antonium hostem iudicatum, ab eo circuncessum Consulē designatum, eundemque Reipub. parentem: te profectum ad Consulē liberandum, & hostem opprimendum, hostemque à te fugatum, & Consulē obsidione liberatum: deinde paulò post, fugatum illum hostem accersitum, tanquam cohæredem mortua Repub. ad bona populi Ro. capienda: Consulē des. rursus inclusum eo, vbi se non mœnibus, sed fluminibus & montibus tueretur. Hæc quis conabitur exponere: quis credere audebit? Liceat semel impunè peccare: sit erranti medicina confessio: verum enim dicam: vtinam te potius Antoni dominum non expulsemus, quàm hunc reciperemus: nō quòd vlla sit opranda seruitus, sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna serui. in duobus autem malis cum fugiendum maius sit, leuius est eligendū. Ille ea tamen exorabat, quæ volebat auferre: tu extorques. Ille Consul prouinciam petebat: tu priuatus concupisti. Ille ad malorum salutem iudicia constituebat, & leges ferebat: tu ad perniciem optimorū. Ille à sanguine & incendio feruorum Capitolium tuebatur: tu cruore & flamma cuncta delere vis. Si, qui dabat prouincias Cassio & Brutis, & illis custodibus nominis nostri, regnabat, quid faciet qui vitam adimit: si, qui Vrbe eiiciebat, tyrannus erat, quem hūc vocemus, qui ne locum quidem

47 reliquit exilio? Itaque siquid illæ maiorum nostrorum sepulcræ reliquæ sapiunt, si non vnà cum corpore sensus omnis vno atque eodem consumptus est igni: quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus Ro. respōdebit aliquis nostrum, qui proximus in illam æternam domum discesserit: aut quem accipient de suis posteris nuntium illi veteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? Quid de sua patria audient, quam spoliis, triumphisque decorarunt: an esse quendā annos x x i i i. natū, cuius auus fuerit argentarius, ad stipulator pater, vterque verò precariū quæstum fecerit, sed alter vsque ad senectutem, vt non negaret: alter à pueritia, vt non posset non confiteri, eum agere, rapere Rempub. cui nulla virtus, nullæ bello subactæ, & ad imperium adiunctæ prouinciæ, nulla dignitas maiorum conciliaffet opem potentium, sed forma per dedecus pecuniam & nomen nobile consceleratum impudicitæ dedisset: veteres vulneribus & ætate confectos Iulianos gladiatores, egenteis reliquias Cæsaris ludi ad rudem compulisset: quibus ille septus omnia misceret, nulli parceret, sibi viueret. Qui tāquam in dotali matrimonio Rempub. testamento legatam sibi obtineret. Audient duo Decii seruire eos ciueis, qui vt hostibus imperarent, victoriæ se deuouerunt. Audiet C. Marius impudico domino parere nos, qui ne militem quidē habere voluit nisi pudicum. Audiet Brutus eum populum, quem ipse primò, post progenies eius à Regibus liberauit, pro turpi stupro datum in seruitutem. Quæ quidem si nullo alio, me tamen internuncio celeriter ad illos deferentur. Nam si viuis ista subterfugere non potero, vnà cum istis vitam simul fugere decreui.

M. Tullii Ciceronis Epistolarum

AD T. POMPONIVM ATTICVM LIB. I.

CICERO ATTICO S.



DITIONIS nostræ, quam tibi summæ curæ esse scio, huiusmodi ratio est, quòd adhuc coniectura prouideri possit. Prensat vnus P. Galba, sine fuce ac fallaciis more maiorum. negatur. Vt opinio est hominum, non aliena rationi nostræ fuit illius hæc præpropera présatio. nā illi ita negant vulgò, vt mihi se debere dicant. ita quiddam spero nobis profici, cum hoc percrebrescit, plurimos nostros amicos inueniri. nos autē initium prensandi facere cogitamus eo ipso tempore, quo tuū puerum cum his literis proficisci Cincius dicebat. In campo, comitiis tribunitiis ad x v i. Cal. Sext. competitores, qui certi esse videbātur, Galba & Antonius & Q. Cornificius. puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse, vt frōtem ferias. sunt qui etiam Cæsonium putent. Aquilium non arbitramur: qui denegat, & iurauit morbum, & illud suum regnum iudiciale opposuit. Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. de Aufidio & Palicano, non puto te expectare, dum scribam. de iis qui nunc petunt, Cæsar certus putatur. Thermus cum Syllano contendere existimatur: qui sic inopes & ab amicis & existimatione sunt, vt mihi videatur non esse ἀδύατον Curium obducere: sed hoc præter me nemini videtur. nostris rationibus maximè conducere videtur, Thermū fieri cum Cæsare. nemo est enim ex iis qui nunc petunt, qui si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur, propterea quòd curator est viæ Flaminiae: quæ cum erit absoluta, sanè facilè eum libenter nunc cæteri Consuli acciderint. Petitorum hæc est adhuc informata cogitatio. nos in omni munere candidatorio fungendo summā adhibebimus diligētiam: & fortasse, quoniam videtur in suffragiis multum posse Gallia,

(cùm Romæ à iudiciis forum refrixerit) excurremus mense Septembri legati ad Pisonem, vt Ianuario reuertamur. Cùm perspexero voluntates nobilium, scribam ad te. cætera spero proluxa esse, his duntaxat vrbanis competitoribus. illam manum tu mihi cura vt præstes, quoniam propius abes, Pompeii nostri amici. nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non venerit. atque hæc huiusmodi sunt. Sed est, quod abs te mihi ignosci peruelim, Cæcilius auunculus tuus, à P. Vario, cùm magna pecunia fraudaretur, agere cœpit cum eius fratre Caninio Satyro de iis rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. vnà agebant cæteri creditores, in quibus erat Lucullus & P. Scipio, & is quem putabant magistrum fore, si bona vanirent, L. Pontius. verùm hoc ridiculum est de magistro nunc cognoscere. rogauit me Cæcilius, vt adefsem contra Satyrum. dies ferè nullus est, quin hic Satyrus domum meam ventitet. obseruat L. Domitium maximè: me habet proximum. fuit & mihi & Quinto fratri magno vsui in nostris petitionibus. sanè sum perturbatus, cùm ipsius Satyri familiaritate, tum Domitii, in quo vno maximè ambitio nostra nititur. demonstraui hæc Cæcilio: simul & illud ostendi, si ipse vnus cum illo vno contenderet, me ei satisfacturum fuisse. nunc in causa vniuersorum creditorum, hominum præsertim amplissimorum, qui sine eo, quem Cæcilius suo nomine perhiberet, facile communem causam sustinerent, æquum esse, eum & officio meo consulere, & tempori. durius accipere hoc mihi visus est, quàm vellem, & quàm homines belli solent: & postea prorsus ab instituta nostra paucorum dierum cõsuetudine longè refugit. Abs te peto, vt mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem miserrimo eius tempore venirem, cùm is omnia sua studia & officia in me contulisset. quòd si voles in me esse durior, ambitionem mihi putabis obtulisse. Ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscendum esse. *ἴσως γὰρ ἀγαθὸν ἢ βέλτιον.* vides enim in quo cursu sumus, & quàm omnes gratias non modò retinendas, verùm etiam acquirendas putemus. spero tibi me causam probasse, cupio quidem certè.

Hermathena tua valde me delectat, & posita ita bellè est, vt totum gymnasium ἐρημῶς esse videatur. Multum te amamus. L. Iulio Cæsare, C. Martio Figulo c o s s. filiolo me auctum scito, salua Terentia.

CICERO ATTICO S.

ABS TE tam diu nihil literarum? ego de meis ad te rationibus scripsi antea diligenter. Hoc tempore Catilinam competitorem nostrum defendere cogitamus. iudices habemus quos volumus, summa accusatoris voluntate. spero, si absolutus erit, cõiunctiorem nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. Tuo aduentu nobis opus est maturo. nam prorsus summa hominum est opinio, tuos familiares nobiles homines aduersarios honori nostro fore. ad eorum voluntatem mihi conciliandam maximo te mihi vsui fore video. quare Ianuario ineunte, vt constituisti, cura vt Romæ sis. Auam tuam scito desiderio tui mortuam esse, & simul quòd verita sit, ne Latinæ in officio non manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent. eius rei consolationem ad te L. Saufeium missurum esse arbitror. Nos hic te ad mensem Ianuarium expectamus, ex quodam rumore, an ex literis tuis ad alios missis: nam ad me de eo nihil scripsisti. Signa, quæ nobis curasti, ea sunt ad Caietam exposita: nos ea non vidimus. neque enim exeundi Roma potestas nobis fuit. misimus, qui pro vectura solueret. te multum amamus, quòd ea abs te diligenter, paruòque curata sunt. Quòd ad me sæpe scripsisti de nostro amico placãdo, feci, & expertus sum omnia, sed mirandum in modum est animo abalienato: quibus de suspicionibus, etsi audisse te arbitror, tamen ex me, cùm veneris, cognoscas. Sallustium præsentem restituere in eius veterem gratiam non potui. hoc eò ad te scripsi, quòd is me accusare de te solebat, in se expertus est illum esse minus exorabilem, meum studium nec tibi defuisse. Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus. Vale.

CICERO ATTICO S.

8 CREBRAS expectationes nobis tui commoues. Nuper quidem, cùm te iam aduentare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilem reiecti sumus. nunc verò sentio (quod commodo tuo facere poteris) venias ad id tempus, quod scribis. obieris Q. fratris comitia, nos longo interuallo viseris, Acutilianam controuersiam transegeris. Hoc me etiam Peduceus, vt ad te scriberem, admonuit. putamus enim vtile esse, te aliquando iam rem transigere. mea intercessio & est & fuit parata. Nos hîc incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus. cui cùm æqui fuisset, tamen multò maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus, quàm ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus. Quòd ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est ornamentum Academiae proprium meæ, quòd & Hermes commune

9 omnium, & Minerua singulare est eius gymnasii. Quare velim, vt scribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes. Quæ mihi antea signa misisti, ea nondum vidi. in Formiano sunt: quò ego nûc proficisci cogitabam. illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietam, si quando abudare cœpero, ornabo. Libros tuos conserua, & noli desperare eos meos facere posse. quod si assequor, supero Crassum diuitiis, atque omnium vicos & prata contemno. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVANTVM dolorem acceperim, & quanto fructu sim priuatus & forensi & domestico Lucii fratris nostri morte, in primis pro nostra consuetudine tu existimare potes. nam mihi omnia quæ iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accedere possunt, ex illo accidebant. quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, cùm & meo dolore moueare, & ipse omni virtute officioque ornatissimum, tuique & sua sponte & meo sermone amantè, affinem, amicumque amiseris. Quòd ad me scribis de sorore tua, testis erit tibi ipsa, quantæ mihi curæ fuerit, vt Q. fratris animus in eâ esset is, qui esse deberet. quem cùm esse offensorem arbitrarer, eas literas ad eum misi, quibus & placarem vt fratrem, & monerem vt minorem, & obiurgarem vt errantem. Itaque ex iis, quæ postea sæpe ab eo ad me scripta sunt, confido ita esse omnia, vt & oporteat, & velimus. De literarum missione, sine causa abs te accusor. nunquam enim à Pomponia nostra certior sum factus, esse cui literas dare possem. porrò autem neque mihi accidit, vt haberem qui in Epeirum proficisceretur: neque dùm te Athenis esse audiebamus. De Acutiliano autem negotio quod mihi mãdaras, vt primum à tuo digressu Romam veni, confeceram. sed accidit, vt & contentione nihil opus esset, & ego qui in te satis consilii statuerim esse, mallet Peduceum tibi consilium per literas, quàm me dare. etenim cùm multos dies aures meas Acutilio dedissem, cuius sermonis genus tibi notum esse arbitror, non mihi graue duxi scribere ad te de illius querimoniis, cùm eas audire (quod erat subdiosum) leue putassem. sed abs te ipso, qui me accusas, vnas mihi scito literas redditas esse: cùm & otii ad scribendum plus, & facultatem dandi maiorè habueris. Quod scribis, etiã si cuius animus in te esset offensior, à me recolligi oportere: quid dicas: neque id neglexi: sed est miro quodã modo affectus. ego autè quæ dicenda fuerunt de te, non præterii. Quid autem cõtendendum esset, ex tua putabam volûtate statuere oportere: quam si ad me perscripseris, intelliges me neque diligētiorē esse voluisse, quàm tu esses: neque negligentiorē fore, quàm tu velis.

12 De Tadiana re mecum Tadius locutus est, te ita scripsisse, nihil esse iam quod laboraret, quoniam hæreditas vsucapta esset. id mirabamur te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil vsucapi posse. Epeiroticam emptionem gaudeo tibi placere. Quæ tibi mãdaui, & quæ tu intelliges conuenire nostro Tusculano, velim, vt scribis, cures, quod sine molestia tua facere poteris. nã nos ex omnibus molestiis & laboribus vno illo in loco conuiescimus, quo fratrem quotidie expectamus. Teretia magnos articulorum dolores habet, & te, sororēque tuam, & matrē maximè diligit, Q.iii.

salutemque tibi plurimam ascribit, & Tulliola deliciae nostrae. Cura ut valcas, & nos ames, & tibi persuadeas, te à me fraternè amari.

CICERO ATTICO S.

NON committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis. tu modo videto, in tanto otio ut par mihi sis. Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam & exadificatam animo habebas, M. Fontius emit HS CCC LXXX. id te scire volui, siquid fortè ea res ad cogitationes tuas pertineret. Q. frater (ut mihi videtur) quo volumus animo est in Pomponiam, & cum ea nunc in Arpinati praedio erat, & secum habebat hominem *χρησιμα*. S. D. Turranium. Pater nobis decessit ad VII. Calend. Decemb. Hæc habebam ferè, quæ te scire vellem. tu velim, si qua ornamenta *γυμνασιῶν* reperire poteris, quæ loci sint eius, quem tu non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismetipsis tamen denique, cum illò venimus, placeamus. Quid agas omnibus de rebus, & quid acturus sis, fac nos quam diligentissimè certiores. Apud matrem rectè est, eaque nobis curæ est. L. Cincio HS. XXXD. constitui me curaturum Idib. Feb. Tu velim, ea quæ nobis emisse & parasse scribis, des operam, ut quamprimùm habeamus: & velim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis. omnem spem delectationis nostræ, quam cum in otium venerimus, habere volumus, in tua humanitate positam habemus. Vale.

CICERO ATTICO S.

APUD te est, ut volumus: mater tua, & soror à me, Quintoque fratre diligitur. Cum Acutilio sum locutus: is sibi negat à suo procuratore quicquam scriptum esse, & miratur istam controuersiam fuisse, quòd ille recusat satisfdari, amplius abs te non peti. Quòd te de Tadiano negotio decepisse scribis, id ego Tadio & gratum esse intellexi, & magnopere iucundum. Ille noster amicus, & mehercule vir optimus, & mihi amicissimus, sanè tibi iratus est. hoc si quanti tu aestimes, sciam, tum quid mihi elaborandum sit, scire possim. L. Cincio HS. CCC LXXX. CCC LXXX. CCCC. pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras, curavi. Hermæ tui Pentelici, cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti, iam nunc admodum delectant. Quare velim & eos, & signa, & cætera quæ tibi eius loci & nostri studii & tuæ elegantiae esse videbuntur, quamplurima, quamprimùmque mittas, & maximè quæ tibi gymnasii xystique videbuntur esse. nam in eo genere sic studio efferimur, ut abs te adiuuandi, ab aliis propè reprehendendi simus. si Lentuli naus non erit, quòd tibi placebit, imposito. Tulliola, deliciae nostræ, tuum munusculum flagitat, & me ut sponforem appellat. mihi autem abiurare certius est, quam dependere. Vale.

CICERO ATTICO S.

NIMIVM rarò nobis abs te literæ afferuntur, cum & multò tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quam ego qui Athenas: & certius tibi sit, me esse Romæ, quam mihi te Athenis. Itaque propter hanc dubitationem meam breuior hæc ipsa epistola est, quòd cum incertus essem ubi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus deuenire. Signa Megarica & Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer expecto. quicquid eiusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere, & arcæ nostræ cõfido. Genus hoc est voluptatis meæ: quæ *γυμνασιῶν* maximè sunt, ea quæro. Lentulus naues suas pollicetur. peto abs te, ut hæc cures diligenter. Chilius te rogat, & ego eius rogatu *ὁμολεπίδων πάτρια*. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM essem in Tusculano, (erit hoc tibi pro illo tuo, cum essem in Ceramico) venuntamè cum ibi essem, Roma puer à sorore tua missus epistolam mihi abs te allatam dedit, nuntiauitque eo ipso die post meridiem missuram eum qui ad te proficisceretur. eo factum est, ut epistolæ tuæ rescriberè aliquid, breuitate temporis tam pauca cogere scri-

bere. Primùm tibi de nostro amico placado, aut etiã planè restituendo polliceor. quod ego, etsi mea sponte antè faciebã, eò nunc tamè & agã studiosius, & contendã ab illo vehementius, quòd tantã ex epistola voluntatè eius rei tuã perspicere videor. hoc te intelligere volo, pergrauiter illum esse offensum. sed quia nullã video graue subesse causam, magnopere cõfido illum fore in officio & in nostra potestate. Signa nostra, & Herme-
18 raclas, ut scribis, cum cõmodissimè poteris, velim imponas, & siquod aliud *οὐκ εἶναι* eius loci, què non ignoras, reperies: & maximè quæ tibi palæstræ, gymnasique videbuntur esse. etenim ibi sedes hæc ad te scribebã, ut me locus ipse admoneret. præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrio possim includere, & putealia figillata duo. Bibliothecã tuam caue cuiquã despondeas, quanuis acrem amatorè inueneris. nam ego omnèis meas vindemiolas eò reseruo, ut illud subsidiũ senectuti parem. De fratre cõfido ita esse, ut semper volui & elaboravi. multa signa sunt eius rei: non minimũ, quòd foror prægnas est. De comitiis meis, & tibi me permisisse memini, & ego iam pridè hoc communibus amicis, qui te expectat, prædico, & te non modò non accersam, sed prohibebo, quòd intelligã multò magis interesse tua, te agere quod agendum est hoc tempore, quam mea, te adesse comitiis. Proinde eo animo te velim esse, quasi mei negotii causa in ista loca missus esses. me autè eũ & offendes erga te, & audies, quasi mihi siqua parta erũt, non
19 modò te præfente, sed per te parta sint. Tulliola tibi diè dat, sponforem appellat. Vale.

CICERO ATTICO S.

ET MEA sponte faciebam antea, & post duabus epistolis tuis per diligenter in eandem rationem scriptis, magnopere sum commotus. eò accedebat hortator assiduus Sallustius, ut agerem quam diligentissimè cum Luceio de vestra vetere gratia reconciliada. Sed cum omnia fecissem, non modò eam voluntatem eius, quæ fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne causam quidem elicere immutatæ voluntatis. tamen si
10 iactat ille quidem illud suum arbitrium, & ea quæ iam tum, cum aderas, offendere eius animum intelligebam: tamen habet quiddam profectò quod magis in animo eius infederit, quod neque epistolæ tuæ, neque nostra legatio tam potest facile delere, quam tu præfens non modò oratione, sed tuo vultu illo familiari tolles, si modò tanti putabis id: quod si me audies, & si humanitati tuæ constare voles, certè putabis. ac ne illud mirere, cur cum ego antea significarem tibi per literas, me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem videar diffidere: incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatio, & in hac iracundia obfirmatio. sed hæc aut sanabuntur, cum veneris, aut ei molesta erunt, in vtro culpa erit. Quod in epistola tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse, scito nihil tam exercitum esse nunc Romæ, quam candidatos omnibus iniquitatibus, nec quando futura sint comitia, sciri. Verum hæc audies de Philadelpho. tu velim, quæ Academiae nostræ parasti, quamprimùm mittas. mirum, quam illius loci non modò usus, sed etiam cogitatio delectat. Libros verò tuos caue cuiquam tradas: nobis eos, quemadmodum scribis, conserua. summum me eorum studium tenet, sicut odium iam cæterarum rerum: quas tu, incredibile est, quam breui tempore, quanto deteriores offensurus sis, quam reliquisti.

TEVCRI illa, lentum sanè negotium, neque Cornelius ad Terentiam postea rediit. opinor ad Confidium, Axium, Selicium confugiendum est. nam à Cecilio propinqui minore centesimis numum mouere non possunt. Sed ut ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, astutius, lentius vidi. Libertum mitto. Titò mandavi *πέρας* atque *ἀναβολὰς*. sed nescio an *τὸ ἴματιν ἡμῶν*. nam mihi Pompeiani prodromi nuntiant, apertè Pompeium acturum, Antonio succedi oportere: eodè tempore aget Prætor ad populũ. res eiusmodi est, ut ego nec per bonorum, nec per popularem existimationem honestè possim hominè defendere, nec mihi libeat, quod vel maximum est. etenim accidit hoc, quod totũ cuiusmodi sit, mando tibi, ut perspicias. Libertum ego habeo, sanè nequam hominè, Hilarum dico, ratiocinatorem & cliẽtem.

tuum. de eo mihi Valerius interpres nuntiat, Chiliusque se audisse scribit hæc, esse hominem cum Antonio, Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare partem mihi quæri, & à me custodem communis quæstus libertum esse missum. Non sum mediocriter commotus, neque tamen credidi: sed certè aliquid sermonis fuit. totum inuestiga, cognosce, perspice, & nebulonem illum, si quo pacto potes, ex istis locis amoue. huius sermonis Valerius authorem Cn. Plancium nominabat. mando tibi planè, totum vt videas cuiusmodi sit. Pompeium nobis amicissimum constat esse. diuortium Mutiæ vehementer probatur. P. Clodium Appii filium te credo audisse cum veste muliebri deprehensum domi C. Cæsaris, cum pro populo fieret, eumque per manus seruula seruatum & eductum: rem esse insigni infamia: quod te moleste ferre certò scio. Quod præterea ad te scribam, non habeo: & mehercule eram conturbatior. nam puer festiuus anagnostes noster Solitheus decesserat, meque plus, quam serui mors debere videbatur, commouerat. Tu velim sæpe ad nos scribas, si rem nullam habebis, quod in buccam venerit, scribito. Vale. Calend. Ianuar. M. Messala & M. Pifone c o s s.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI tuas tres iam epistolas, vnam à M. Cornelio, quam à Tribus ei Tabernis (vt opinor) dedisti: alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit: tertiam, quam (vt scribis) anchoris solutis de phaselo dedisti. quæ fuerunt omnes rhetorum: purè loquuntur, cum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis. Quibus epistolis sum equidem abs te lacesitus ad scribendum: sed iccirco sum tardior, quòd non inuenio fidelem tabellarium. quotus enim quisque est qui epistolam paulò grauiorem ferre possit, nisi eam per lectionem releuarit? Accedit eò quod mihi non est notum, vt quisque in Epeirum proficiscatur. ego enim te arbitror cæsis apud Amaltheam tuam victimis, statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum: neque id ipsum tamen certum habeo, quãdo ad Antonium proficiscare, aut quid in Epeiro temporis ponas. ita neque Achaicis hominibus, neque Epeioticis paulò liberiores literas committere audeo. Sunt autem post discessum à me tuum res dignæ literis nostris, sed non committendæ eiusmodi periculo, vt aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint. Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam, præpositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante Senatu, neque me inuito esse factum. sum enim & ab obseruando homine peruerso liber, & ad dignitatem in Rep. retinendam contra illius voluntatem solutus: & ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem penè principis, & voluntatem non nimis deuinctam beneficio Consulis. tertius est Catulus: quartus (si etiam hoc quæris) Hortensius. Consul autem ipse paruo animo & prauo, tantum cauillator genere illo moroso, quòd etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quam facetiis ridiculus, nihil agens cum Repub. seunctus ab optimatibus, à quo nil speres boni Reipub. quia non vult. nil metuas mali, quia non audet. eius autè collega & in me perhonorificus, & partium studiosus, ac defensor bonarum: quinimmo leuiter inter se diffidēt. Sed vereor ne hoc quod infectum est, serpat longius, credo enim te audisse, cum apud Cæsarem pro populo fieret, venisse eò muliebri vestitu virum, idque sacrificium cum virgines instaurassent, mentionem à Q. Cornificio in Senatu factam (is fuit princeps, ne tu fortè aliquem nostrum putes) postea rem ex s. c. ad virgines & Pontifices relatum, idque ab iis nefas esse decretum: deinde ex s. c. Consules rogationem promulgasse, vxori Cæsarem nuntium remisisse. In hac causa Pifo amicitia P. Clodii ductus operam dat, vt ea rogatio, quam ipse fert, & fert ex s. c. & de religione, antiquetur. Messala vehementer adhuc agit seuerè. boni viri precibus Clodii remouentur à causa. operam comparantur. nosmetipsi, qui Lycurgei à principio fuissetus, quotidie demitigamur. instat & vrget Caro. Quid multa? vereor, ne hæc neglecta à bonis, defensa ab improbis, magnorum Reipub. malorum causa sit. Tuus autem ille amicus, scin' quem dicam? de quo tu ad me scripsisti, posteaquam non aude-

ret reprehendere, laudare cœpisse: nos (vt ostendit) admodum diligit, amplectitur, amat, apertè laudat: occultè (sed ita vt perspicuum sit) inuidet. nihil come, nihil simplex, nihil *ἐν τοῖς πολιτικῶν* honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum: sed hæc ad te scribam aliàs subtilius. nam neque adhuc mihi satis nota sunt, & huic terræ filio nefcio cui committere epistolam tantis de rebus non audeo. Prouincias Prætores nõdum sortiti sunt. res eodem est loci, quo reliquisti. *Το πορθείαι*, quam postulas, Miseni & Puteolorum includam orationi meæ. ad III. Non. Decemb. mendosè fuisse animaduertentem. Quæ laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant: sed non audebam antea dicere. nunc verò, quòd à te probata sunt, multò mihi *Ἀπικώτερα* videntur. In illam orationem Metellinam addidi quædam. liber tibi mittetur, quoniam te amor nostri *φιλοφρότιον* reddidit. Noui tibi quidnam scribam? quid? etiam. Messala cos. Antronianam domum emit HS. C C C X X V I I. Quid id ad me, inquires? tatum, quòd ea emptione & nos bene emisse iudicati sumus, & homines intelligere cœperunt licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam peruenire. Teucris illa lentum negotium: sed tamen est in spe. Tu ista confice. à nobis liberiolem epistolam expecta. Vale. v i. Calend. Febr. M. Messala & M. Pifone c o s s.

CICERO ATTICO S.

VEREOR ne putidum sit, scribere ad te, quam sim occupatus. sed tamen ita distinebar, vt vix huic tantulæ epistolæ tempus habuerim, atque id ereptum è summis occupationibus. Prima concio Pompeii qualis fuisset, scripsi ad te antea: non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non grauis. itaque frigebat tum Pisonis c o s. impulsu leuissimus Trib. pl. L. Fufius in concionem produxit Pompeium. res agebatur in circo Flaminio: & erat in eo ipso loco die nundinarum *πατήριος*. Quæ fuit ex eo, placeretne ei iudices à Prætorè legi, quo cõsilio idem Prætor vteretur. id autem erat de Clodiana religione ab Senatu constitutum. tum Pompeius *μὲν ἀεισηρατικῶς* locutus est, Senatusque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam videri, semperque visam esse respondit, & id multis verbis. Postea Messala c o s. in Senatu de Pompeio quæsiuit, quid de religione & de promulgata rogatione sentiret. Locutus ita est in Senatu, vt omnia illius ordinis consulta *γενικῶς* laudaret, mihi que vt assedit, dixit se putare satis ab se etiam de istis rebus responsum. Crassus posteaquam vidit illum excepisse laudem, ex eo quòd hi suspicarentur homines ei Consulatum meum placere, surrexit, ornatissimè que de meo Consulatu locutus est, vt ita diceret, se quòd esset Senator, quòd ciuis, quòd liber, quòd viueret, mihi acceptum referre: quoties coniugè, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium meum videre. Quid multa? totum hunc locum, quem in Aristocratia ego variè meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flamma, de ferro (nostri illas *λακύνθας*) valde grauiter pertexuit. proximus Pompeio sedebam: intellexi hominem moueri, vtum Crassum inire eam gratiam, quam ipse prætermisisset, an esse tantas res nostras, quæ tam libenti Senatu laudarentur, ab eo præsertim qui mihi laudem illam eo minus deberet, quòd meis omnibus literis in Pompeiana laude perstrictus esset. Hic dies me valde Crasso adiunxit: & tamen ab illo apertè, rectè quicquid est datum, libenter accepi. Ego autem ipse, dii boni, quomodo *ἀπὸ τετραχρησάμελλο* nouo auditori Pompeio: si vnquam mihi *ἐπιχρηματὰ* suppeditauerunt, illo tempore. Quid multa? Clamores (etenim hæc erat *ἰσοφροσύνη* de grauitate ordinis, de equestri cõcordia, de consensione Italia, de immortalis reliquii coniuurationis, de vilitate, de otio. Nostri iam in hac materia sonitus nostros) tanti fuerunt, vt ego eo breuior sim, quòd eos vsque istinc exauditos putem. Romana autem res sic se habent, Senatus *ἀρῶς πάρος*. nil constantius, nil seuerius, nil fortius. nam cum dies venisset rogationi ex s. c. ferendæ, concursabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis, & populum vt antiquaret, rogabant. Pifo autem Consulator rogationis, idem erat dissuasor. operam Clodiana præteis occupant, ta-

bellæ ministrabantur, ita vt nulla daretur, Vti rogas. Hic tibi Rostra Cato aduolat, conuitium Pisoni c o s. mirificum facit, si id est conuitium, vox plena grauitatis, plena authoritatis, plena denique salutis. accedit eodem etiam noster Hortensius, multi præterea boni. inignis verò opera Fauonii fuit. Hoc concursu optimatum comitia dimittuntur: Senatus vocatur. cum decerneretur frequenti Senatu, contra pugnante Pi-
35 fone, ad pedes omnium sigillatim accidente Clodio, vt Consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam: homines ad x v. Curioni nullum s. c. facienti assenserunt: facile ex altera parte c c c. affuerunt. acta res est. Fufius tertium concessit: Clodius conciones miseræ habebat: in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messalam c o s. contumeliosè lædebat, me tantùm comperisse omnia criminabatur. Senatus & de prouincijs Prætorum, & de legationibus, & de cæteris rebus decernebat, vt antequam rogatio lata esset, nequid ageretur. Habes res Romanas. sed tamen etiam illud quod ego non speraram, audi. Messala c o s. est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator. ille alter vno vitio minus vitiosus, quòd iners, quòd somni plenus, quòd imperitus, quòd ἀπαραπότατος, sed voluntate ita καλκίς, vt Pompeium post illam concionem, qua ab eo Senatus laudatus est, odisse cœperit. ita-
36 que mirum in modum omnes à se bonos alienauit, neque id magis amicitia Clodii adductus fecit, quàm studio perditarum rerum atque partium. sed habet sui similem in magistratibus præter Fufium, neminem. bonis vtimur Tribunis pleb. Cornuto verò pseudoCatone. Quid quæris? num ad priuata redeat? Τὸ ξυρις promissa patrauit. tu mandata effice, quæ recepisti. Quintus frater, qui Argiletani ædificii reliquum dodrantem emit HS. D C C X V. Tusculanum venditat, vt, si possit, emat Pacilianam domum.

Cum Luceio in gratiam redi. videro hominem, valde petitur. renouabo operam. Tu quid agas, vbi sis, cuiusmodi istæ res sint, fac me quàm diligentissimè certiosem. Idibus Febr. Vale.

CICERO ATTICO S.

ASIAM Quinto suauissimo fratri obtigisse audisti: non enim dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quàm vllius nostrum litera nuntiarint. Nunc quoniam & laudis auidif-
34 simi semper fuimus, & præter cæteros φιλέλληνες & sumus & habemur, & multorum odia atque inimicitias Reip. causa suscepimus, παντοίως ἀρετῆς μινύσκειο: curaque, & effice, vt ab omnibus & laudemur & amemur. his de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quàm ipsi Quinto dabo. Tu me velim certiosem facias, quid de meis mandatis egeris, atque etiam quid de tuo negotio. nam, vt Brudusio profectus es, nullæ mihi abs te sunt redditæ literæ. valde aueo scire quid agas. Idibus Mart. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVAERIS ex me, quid acciderit de iudicio, quod tam præter opinionem omnium factum sit: & simul vis scire, quomodo ego minus, quàm soleam, præliatus sim. respondebo tibi ὑστερον ἔτερον Ομηρικῶς. Ego enim, quandiu Senatus authoritas mihi
35 defendenda fuit, sic acriter & vehementer præliatus sum, vt clamor, concursusque maxima cum mea laude fierent. quòd si tibi vnquàm sum visus in Reip. fortis, certè me in illa causa admiratus esses. cum enim ille ad conciones confugisset, in hisque meo nomine ad inuidiam vteretur: dii immortales, quas ego pugnæ, & quantas strages edidi! quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci! quomodo sum infectatus leuitatem senum, libidinem iuuentutis! Sæpe, ita me dii iuuent, te non solum authorem consiliorum meorum, verum etiam spectatorem pugnarum mirificaram desideravi. Postea verò quàm Hortensius excogitauit, vt legem, de religione Fufius Trib. pleb. ferret, in qua nihil aliud à consulari rogatione differēbat, nisi iudicium genus (in eo autem erant omnia) pugnauitque vt ita fieret, quòd & sibi & aliis persuaserat, nullis illum iudicibus effugere posse: contraxi vela perspicuens ino-
36 piam iudicium, neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat. ita notum atque

testatum, vt non possem præterire. Itaque si causam quæris absolutionis, vt iam ἄρῃς ἄρῃς reuertar, egestas iudicum fuit & turpitudine. id autè vt accideret, commissum est Hortensii consilio: qui dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quæ ex s. c. ferrebatur, non vidit illud, satius esse illum in infamiae relinqui sordibus, quàm infirmo iudicio committi: sed ductus odio, properauit rem deducere in iudicium, cum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. Sed iudicium, si quæris, quale fuerit, incredibile exitu: sic vti nunc ex euentu ab aliis, à me tamen ex ipso initio cōsiliū Hortensii reprehendatur. nā vt reiectio facta est, clamoribus maximis, cum accusator, tanquam Censor bonus, homines nequissimos reiiceret, reus, tanquam clemens lanista,
37 frugalissimū quēque fecerneret: vt primū iudices confederunt, valde diffidere boni cœperunt. non enim vnquam turpior in ludo talario confessus fuit. maculosi senatores, nudi equites, Tribuni non tā ærarii, vt appellantur, quàm ærati. pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat, qui mœsti inter sui dissimileis & mœrentes sedebant, & contagione turpitudinis vehementer permouebantur. Hic vt quæque res ad cōsiliū primis petitionibus referebatur, incredibilis erat seueritas nulla varietate sententiarum: nihil impetrabat reus: plus accusatori dabatur, quàm postulabat: triumphabat (quid quæris?) Hortensius se vidisse tantum. nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. me verò teste producto, credo te ex acclamatione Clodii aduocatorum audisse, quæ confurrectio iudicum facta sit, vt me
38 circumfeterint, vt apertè iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarent. quæ mihi res multò honorificentior visa est, quàm aut illa, cum iurare tui ciues Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt, aut cum tabulas Metelli Numidici, cum hæc (vt mos est) circumferrentur, nostri iudices aspicere noluerunt. multò hæc inquam nostra res maior. Itaque iudicum vocibus, cum ego sic ab his, vt salus patriæ, defenderer, fractus reus, & vnà patroni omnes conciderunt. Ad me autem eadem frequentia postridie conuenit, quacum abiens Consulatu sum domum reductus. clamare præclari Ariopagita se non esse venturos, nisi præsidio constituto. refertur ad consilium: vna sola sententia præsidium non desiderauit. defertur res ad Senatum: grauissimè, ornatissimèque decernitur. laudantur iudices. datur negotium magistratibus. responsurum
39 hominem nemo arbitratur. ἔσπετε νῦν μοι μῦσαι, ὅπως δὴ παρῶν πῦρ ἔμπεσε. nosti Caluum ex Nanneianis, illum laudatorem meum: de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. biduo per vnum seruum, & eum ex ludo gladiatorio, confecit totum negotium: accersiu ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam verò (ò dii boni rem perditam) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. ita summo discessu bonorum, pleno foro seruorum, x x. iudices ita fortes tamen fuerunt, vt summo proposito periculo vel perire maluerint, quàm perdere omnia. x x x i fuerunt, quos fames magis, quàm fama commouerit. quorum Catulus cum vidisset quendam, Quid vos (inquit) præsidium à nobis postulabatis: an, ne numi vobis eriperentur, timebatis? Habes, vt breuissimè potui, genus iudicii, & causam absolutionis. Quæris deinceps, qui nunc sit status Reipub. & qui meus. Reipub. statum illum, quem tu meo consilio, ego di-
40 uino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione & autoritate Cōsulatus mei fixus & fundatus videbatur, nisi quis nos Deus respexerit, elapsum scito esse de manibus vno hoc iudicio: si iudicium est, triginta homines populi R. leuissimos ac nequissimos numulis acceptis ius & fas omne delere: & quod omnes nō modò homines, verum etiam pecudes factum esse sciebant, id Caluū, & Plautum, & Spongam, & cæteras huiusmodi quisquillas statuere nunquam esse factum. Sed tamen vt te de Reipub. consoles, non ita, vt sperarunt mali, tanto imposito Reipub. vulnere, alacris exultat improbitas in victoria. nam planè ita putauerunt, cum religio, cum pudicitia, cum iudiciorum fides, cum Senatus authoritas concidisset, fore vt apertè victrix

nequitia, ac libido pœnas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat feueritas Consulatus mei. Idem ego ille (non enim mihi videor insolenter gloriari, cum de me apud te loquor, in ea præsertim epistola, quam nolo aliis legi) idem inquam, ego recreaui afflictos animos bonorum, vnumquenque cõfirmans & excitans. insectandis verò, exagitandisque numariis iudicibus, omnẽ omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriæ *παρρησίαν* eripui. Pisonem c o s. nulla in re consistere vnquã sum passus: despõsam homini iam Syriam ademi: Senatũ ad pristinam suam feueritatem reuocaui, atque abiectũ excitaui: Clodium præsentẽ fregi in Senatu cum oratione perpetua plenissima grauitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes. nam cætera non possunt habere eandẽ neque vim, neque venustatẽ, remoto illo studio contentionis, quem *ἀγῶνα* vos appellatis. Nam, vt Idib. Maii in Senatũ conuenimus, rogatus ego sententiã, multa dixi de summa Rep. atque ille locus inductus est à me diuinitus, Ne vna plaga accepta Patres Conscripti conciderent, ne deficerent: vulnus esse eiusmodi, quod mihi neque dissimulandum, neque pertimescendum videretur, ne aut ignorando stultissimi iudicaremur: bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium iam esse à iudicibus in Rempub. immissum. Erras Clodi: non te iudices vrbi, sed carceri referuarunt, neque retinere in ciuitate, sed exilio priuare voluerunt. Quamobrem Patres Conscripti erigite animos, retinete vestram dignitatem: manet illa in Rep. bonorum consensio: dolor accessit bonis viris, virtus non est immutata: nihil est damni factum noui, sed quod erat, inuentum est in vnus hominis perditio iudicio. plures similes reperti sunt. Sed quid ago? penè orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. surgit pulchellus puer: obiicit mihi, me ad Baias fuisse. Falsum: sed tamen quid huic simile est inquam? quasi in operto dicas fuisse. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? Narra inquam patrono tuo, qui Arpinatensibus aquas concupiuit. nosti enim marinas. Quousque, inquit, hunc Regem feremus? Regem appellas inquam, cum Rex tui mentionem nullam fecerit: ille autem Regis hæreditatem spe deuorarat. Domum, inquit, emisti. Putas, inquam, dicere, iudices emisti? Iuranti, inquit, tibi nõ crediderunt. Mihi verò inquam x x. iudices crediderunt: x x x i, quoniam numos antè acceperunt, tibi nil crediderunt. magnis clamoribus afflictus conticuit & concidit. Noster autem status est hic. apud bonos iidẽ sumus, quos reliquisti: apud fordem vrbis, & faciem multò melius nũc, quàm reliquisti. nam & illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse: missus est sanguis inuidiæ sine dolore, atque etiam hoc magis, quòd omnes illi fautores illius flagitii rem manifestam illam redemptam esse à iudicibus consententur. accedit illud, quòd illa concionalis hircudo ærarii, misera & ieiuna plebecula, me ab hoc Magno vnice diligi putat. & hercule multa, & iucunda cõsuetudine coniuncti inter nos sumus, vsque eò, vt nostri isti comefatores coniurationis, barbatuli iuuenes illũ in sermonibus Cneum Ciceronem appellent. itaque & ludis & gladiatoribus mirandas *ἐπισημασίας* sine vlla pastoritia fistula auferebamus. Nunc est expectatio comitorum, in quæ omnibus inuitis trudit noster Magnus Auli filiũ, atque in eo neque authoritate, neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere. Consul autem ille deterioris histrionis similis suscepisse negotium dicitur, & domi diuifores habere: quod ego non credo. sed s. c. duo iam facta sunt odiosa, quòd in Consulem facta putantur, Catone & Donitio postulante: vnum, vt apud magistratus inquiri liceret: alterum, cuiusmodi diuifores haberent, aduersus Remp. Lurco autem Trib. pl. qui magistratum simul cũ lege AElia iniit, solutus est & AElia & Fusia, vt legem de ambitu ferret, quam ille bono auspicio claudus homo promulgauit. ita comitia in ante v i. Calend. Sex. dilata sunt. noui est in lege hoc, vt qui numos in tribu pronunciauerit, si non dederit, impunẽ sit: si dederit, vt, quoad viuat, singulis tribubus HS ∞ ∞ ∞ debeat. dixi, hæc legem P. Clodium iam antea seruasse. pro-

nunciare enim solitũ esse, & non dare. Sed heus tu, vidẽsne Consulatu illum nostrum, quẽ Curio antea *ἀποθέωσιν* vocabat, si hic factus erit, fabã mimum futurum? quare, vt opinor, *φιλοσοφητέον*, id quod tu facis: & istos Cõsulatus non *ἐλαφιντέον*: Quòd ad me scribis, te in Asiã statuisse non ire: equidẽ mallet, vt ires: ac vereor, nequid in ista re minus commodẽ fiat: sed tamen non possum reprehendere consilium tuum, præsertim cum egomet in prouinciam non sim profectus. Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo posuisti, cõtenti erimus, præsertim cum & Chilius nos reliquerit, & Archias nil de me scripserit. ac vereor, ne Lucullus, quoniam Græcum poëma condidit, nũc ad Cæcilianam fabulam spectet. Antonio tuo nomine gratias egi, eamque epistolam Mælio dedi. ad te ideo antea rarius scripsi, quòd non habebam idoneum, cui darem, nec satis sciebam quid darem. te valde vindicaui. Cincius siquid ad me tui negotii detulerit, suscipiam: sed nunc magis in suo est occupatus, in quo ego ei non desum. tu, si vno in loco es futurus, crebras à nobis literas expecta, aut plures etiã ipse mittito. Velim ad me scribas, cuiusmodi sit *Ἀμαλθίων* tuum, quo ornatu, qua *ῥηποθεσία*: & quæ poëmata, quæque historias de *Ἀμαλθία* habes, ad me mittas. lubet mihi facere in Arpinati. ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. nihil erat absoluti. Vale.

CICERO ATTICO S.

47 MAGNA mihi varietas voluntatis, & dissimilitudo opinionis, & iudicii Quinti fratris mei demonstrata est ex literis tuis, in quibus ad me epistolarũ illius exẽpla misisti. qua ex re & molestia sum tãta affectus, quãtam mihi meus amor summus erga vtrũque vestrũ afferre debuit, & admiratione, quidnam accidisset, quod afferret Quinto fratri meo aut offensionẽ tam grauẽ, aut cõmutationem tãtam voluntatis. Atque illud à me iam antè intelligebatur, quòd te quoque ipsum discedentem à nobis suspicari videbam, subesse nescio quid opinionis incõmoda, fauciũque eius animum, & infedisẽ quãsdã odiosas suspiciones: quibus ego mederi cum cuperẽ, & antea sæpe, & vehementius etiã post fortitionẽ prouinciæ: nec tãtum intelligebã ei esse offensionis, quantum litera tuã declarant: nec tantum proficiebã, quantum volebam. sed tamen hoc me ipse cõsolabar, quòd non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachii, aut in istis locis vsquam visurus esset. Quod cum accidisset, confidebam, ac mihi persuaserã fore, vt omnia placarentur inter vos nõ modò sermone ac disputatione, sed conspectu ipso, congressuque vestro. nam quãta sit in Quinto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quàm mollis animus & ad accipiendam, & ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. Sed accidit perincommodẽ, quòd eum nusquam vidisti. valuit enim plus quod erat illi nonnullorum artificijs inculcatum, quàm aut officium, aut necessitudo, aut amor vester ille pristinus, qui plurimum valere debuit. Atque huius incommodi culpa vbi resideat, facilius possum existimare, quàm scribere. vereor enim, ne, dum defendam meos, non parcã tuis. nam sic intelligo, vt nil à domesticis vulneris factum sit, illud quidẽ, quod erat, eos certè sanare potuisse. sed huiusce rei vitium totius, quod ali-

48 quanto etiã latius patet, quàm videtur, præsentì tibi cõmodius exponam. De his literis, quas ad te Thessalonicam misit, & de sermonibus, quos ab illo & Romæ apud amicos tuos, & in itinere habitos putas, ecquid tantum causã sit ignoro, sed omnis in tua posita est humanitate mihi spes huius leuandæ molestiæ. nam si ita esse statueris, & irritabiles animos esse optimorum sæpe hominum, & eosdem placabiles, & esse hanc agilitatẽ, vt ita dicam, mollitiẽque naturæ plerunque bonitati, & id quod caput est, nobis inter nos nostra siue incõmoda, siue vitia, siue iniurias esse tolerandas: facile hæc, quemadmodũ spero, mitigabuntur. quod ego, vt facias, te rogo. nã ad me, qui te vnice diligo, maximè pertinet, neminem esse meorum, qui aut te non amet, aut abs te non ametur.

49 Illa pars epistolæ tuæ minimè fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut prouincialium, aut vrbanoꝝ cõmodorum & aliis temporibus, & me ipso Consule prætermiseris. mihi enim perspecta est & integritas & magnitudo animi tui: neque ego

inter me atque te quicquam interesse vnquam duxi, præter voluntatem instituta vitæ: quod me ambitio quædam ad honorum studium, te autem alia minimè reprehendenda ratio ad honestum otium duxit: vera quidem laude probitatis, diligentia, religionis neque me tibi, neque quenquam antepono: amoris verò erga me, cum à fraterno amore, domesticoque discessi, tibi primas defero. vidi enim, vidi, penitusque perspexi in meis variis temporibus & solitudines & læticias tuas. fuit enim mihi sæpe & laudis nostræ gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. Quin mihi nunc te absente non solum consilium, quod tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quæ mihi suauissima tecum solet esse, maximè deest. quid dicam, in publica re? quo in genere mihi negligenti esse non licet. an in forensi labore, quem antea propter ambitionem sustinebam, nunc ut dignitatem tueri gratia possim? an in ipsis domesticis negotiis, in quibus ego cum antea, tum verò post discessum fratris te, sermonesque nostros desidero? postremò non labor meus, non requies: non negotium, non otium: non forenses res, non domesticæ: non publicæ, non priuata carere diutius tuo suauissimo atque amatissimo consilio ac sermone possunt. Atque harum rerum commemorationem verecundia sæpe impediuit vtriusque nostrum. nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolæ tuæ, per quam te ac mores tuos mihi purgatos ac probatos esse voluisti. Atque in ista incommodatione alienati illius animi & offensi, illud inest tamen commodi, quod & mihi & cæteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando testificata tua voluntas omittendæ prouinciæ: ut quod vnà non estis, non dissensione ac dissidio vestro, sed voluntate ac iudicio tuo factum esse videatur. quare & illa quæ violata expiabuntur: & hæc nostra, quæ sunt sanctissimè cõseruata, suam religionem obtinebunt. Nos hinc in Repub. infirma, misera, commutabilique versamur. credo enim te audisse, nostros equites penè à Senatu esse disiunctos. qui primum illud valde grauitulerunt, promulgatum ex s. c. fuisse, ut de iis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quæreretur. qua in re decernenda cum ego casu non affuissem, sensissimèque id equestrem ordinem ferre molestè, neque apertè dicere, obiurgauit Senatum, ut mihi visus sum, summa cum autoritate, & in causa non verecunda, admodum grauis & copiosus fui. Ecce alia delicia equitum vix ferendæ, quas ego non solum tuli, sed etiã ornauit. Afiani, qui de Censoribus conduxerunt, questi sunt in Senatu, se cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse: ut induceretur locatio, postulauerunt. ego princeps in adiutoribus, atque adeò secundus. nã, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. inuidiosa res, turpis postulatio & confessio temeritatis. summum erat periculum, ne si nihil impetrassent, planè alienarentur à Senatu. huic quoque rei subuentum est maximè à nobis, perfectumque ut frequentissimo Senatu & libentissimo vterentur: multaque à me de ordinum dignitate & concordia dicta sunt Cal. Decemb. & postridie: neque adhuc res confecta est, sed voluntas Senatus perspecta. vnus enim contradixerat Metellus c. o. s. des. diu erat dicturus (ad quem propter diei breuitatem peruentum non est) heros ille noster Cato, sic ego conseruans rationem, institutionemque nostram, tueor, ut possim, illam à me conglutinatam cõcordiam. sed tamen quoniam ista sunt infirma, munitur quædam nobis ad retinendas opes nostras tuta, ut spero, via, quam tibi literis satis explicare non possum, significatione parua ostendam tamen. vtor Pompeio familiarissimè. video quid dicas. cauebo quæ sunt cauenda, ac scribam aliàs ad te de meis consiliis capessendæ Reip. plura. Luceium scito Consulatum habere in animo statim petere: duo enim soli dicuntur petitori. Cæsar cum eo coire per Arrium cogitat, & Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse coniungi. Rides? non sunt hæc ridicula, mihi crede. quid aliud scribam ad te? quid? multa sunt, sed in aliud tempus. te si expectari velis, cures ut sciam. iam illud molestè rogo, quod maximè cupio, ut quamprimum venias. Non. Decemb. Vale.

55 Nihil mihi nunc scito tam deesse, quam hominem eum, quicum omnia, quæ me cura aliqua afficiunt, vnà communicem, qui me amet, qui sapiat, quicquid loquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. abest enim frater ἀφελεστος, & amantissimus Metellus, non homo, sed litus atque ær, & solitudo mera. Tu autem qui, sæpissime curam & angorem animi mei sermone & consilio leuasti tuo: qui mihi & in publica re socius, & in priuatis omnibus conscius, & omnium meorum sermonum & consiliorum particeps esse soles, vbinam es: ita sum destitutus, ut tantum quietis habeam, quantum cum vxore & filiola & mellito Cicerone consumitur. nam illæ ambitionis nostræ, fuscæque amicitia sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent. itaque cum bene completa domus est, tempore matutino, cum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quocum aut iocari liberè, aut suspirare familiariter possumus. Quare te expectamus, te desideramus, te iam etiam accersimus. multa sunt enim, quæ me sollicitat, anguntque: quæ mihi videor, aureis nactus tuas, vnus ambulationis sermone exhaurire posse, ac domesticarum quidem solitudinum aculeos omnes & scrupulos occultabo, neque ego huic epistolæ, atque ignoto tabellario committam. atque hi (nolo enim te permoueri) non sunt permolesti, sed tamen insident & vrgent, & nullius amantis consilio aut sermone requiescunt. In Repub. verò, quãquam animus est præfens, tamen voluntas etiam atque etiam ipsa me deficit. nam ut ea breuiter, quæ post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse. etenim post profectionem tuam primus (ut opinor) introitus fuit in causam fabulæ Clodianæ: in qua ego nactus, ut mihi videbar, locum refecandæ libidinis, & coercendæ iuuentutis, vehemens fui, & omneis profudi vires animi atque ingenii mei: non odio adductus alicuius, sed spe non corrigendæ, sed sanandæ ciuitatis. Afflicta Resp. est empto, constupratoque iudicio. vide quæ sint postea consecuta. Consul est impositus is nobis, quem nemo præter nos philosophos aspicere sine suspirio posset. Quantum hoc vulnus, facto s. c. de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata: exagitatus Senatus, alienati equites Romani. sic ille annus duo firmamenta Reip. per me vnà constituta euertit. nam & Senatus autoritatem abiecit, & ordinum concordiam diiunxit. Instat hic nunc ille annus egregius. eius initium eiusmodi fuit, ut anniuerfaria sacra iuuentutis non committerentur. nam M. Luculli vxorem Memmius suis sacris initiauit. Menelaus ægrè id passus diuortium fecit: quanquam ille pastor Idæus Menelaum solum contempserit: hic noster Paris tam Menelaum, quam Agamemnonem liberum non putauit. Est autem C. Herennius quidam Trib. pl. quem tu fortasse nosti quidem, tamen si poteris nosse: tribulis enim tuus est, & Sextus pater eius numos vobis diuidere solebat. is ad plebem P. Clodium traducit, idemque fert, ut vniuersus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat. hunc ego accepi in Senatu, ut soleo: sed nihil est illo homine lentius. Metellus est Consul egregius, & nos amat, sed imminuit autoritatem suam, quod habere dicit causam promulgatam. illud idem de Clodio. Auli autem filius, o dii immortales, quàm ignauus ac sine animo, milièsque dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad malè audiendum quotidie præbeat! Agraria autem promulgata est à Flauio sanè leuis, eadem ferè, quæ fuit Plotia. sed interea ἀλλήλους ἀντιπρόσθεντες quisquam inueniri potest: qui poterat, familiaris noster (sic est enim: volo te hoc scire) Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. Crassus verbum nullum cõtra gratiam. cæteros iam nosti: qui ita sunt stulti, ut amissa Rep. piscinas suas fore saluas sperare videantur. vnus est, qui curet, constantia magis & integritate, quam (ut mihi videtur) consilio aut ingenio, Cato, qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem vexat, neque iis à Senatu responsum dari patitur: ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere antè, quam publicanis respon-

sum sit. quare etiam legationes reiectum iri puto. Nunc vides quibus fluctibus iactemur: & si ex iis quæ scripsimus, tamen etiã à me non scripta perspicias: reuise nos aliquãdo: & quanquam sunt hæc fugienda, quò te voco, tamen fac vt amorem nostrum tanti æstimes, vt eò vel cum his molestiis peruenire velis. nam ne absens censere, curabo edicendum & proponendum locis omnibus. sub iustrum autem cēseri, germani negotiatoris est. Quare cura, vt te quamprimùm videamus. Vale. x i. Calend. Feb. Q. Metello & L. Afranio c o s s.

C I C E R O A T T I C O S.

NON modò, si mihi tantum esset otii, quantum est tibi: verùm etiam, si tam breuicis epistolas velim mittere: (quod tu soles facere) te superarem, & in scripto multò essem crebrior, quàm tu. sed ad summas atque incredibiles occupationes meas accedit, quò nullam à me epistolam ad te sino absque argumento ac sententia venire. & primùm tibi (vt æquum est) ciui amanti patriam, quæ sunt in Repub. exponam: deinde quoniam tibi amore nos proximi sumus, scribemus etiam de nobis ea, quæ scire te nò nolle arbitramur. Atque in Repub. nunc quidem maximè Gallici belli versatur metus. nam Edui fratres nostri pugnant. Sequani malè pugnarūt: & Heluetii sine dubio sunt in armis, excursionēque in prouinciam faciunt. Senatus decreuit, vt Consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum autoritate mitterentur, qui adirent Gallia ciuitates, darētque operā ne hæc cum Heluetiis se iungerent. Legati sunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, & ῥὸ ἐπὶ τῇ φωνῇ μύθῳ, Lentulus Clodia filius. Atque hoc loco illud non queo præterire, quod cum de cōsularibus mea primà fors exisset, vna voce Senatus frequens retinendū me in Vrbe censuit. hoc idem post me Pōpeio accidit, vt nos duo quasi pignora Reip. retineri videremur. quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα expectem, cum hæc domi innascentur? Urbanæ autem res sic se habent. Agraria lex à Flauio Trib. pl. vehemēter agitabatur authore Pompeio: quæ nihil populare habebat, præter authorem. Ex hac ego lege, secunda concionis voluntate omnia illa tollebam, quæ ad priuatorum incommodum pertinebant: liberabam agrum eū, qui P. Mutio, L. Calphurnio c o s s. publicus fuisset: Syllanorum hominum possessiones confirmabam: Volaterranos & Armetitanos, quorum agrum Sylla publicarat, neque diuiserat, in sua possessione retinebam: vnam rationem non reiciebam, vt ager hac aduentitia pecunia emeretur, quæ ex nouis vectigalibus per quinquennium reciperetur. Huic toti rationi agrariæ Senatus aduersabatur, suspicans Pompeio nouam quandam potentiam quæri. Pompeius verò ad voluntatem perferendæ legis incubuerat. Ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium priuatorum possessiones. is enim est noster exercitus, hominum, vt tute scis, locupletium. Populo autem, Pompeioque (nam id quoque volebam) satisfaciebam emptione: qua constituta diligenter, & sentinam Urbis exhauriri, & Italia solitudinem frequentari posse arbitrabar. Sed hæc tota res interpellata bello refrixerat. Metellus est Consul sanè bonus, & nos admodum diligit. ille alter ita nihil est, vt planè, quid erit, nesciat. Hæc sunt in Rep. nisi illud etiam ad Remp. putes pertinere: Herennium quandam Trib. pl. tribulem tuum, sanè hominem nequam atque egentem, sæpe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere cœpisse. huic frequenter interceditur. hæc sunt (vt opinor) in Rep. Ego autem, vt semel Nonarum illarum Decembrium iunctam inuidiæ, ac multorum inimicitiiis eximiam quandam, atque immortalē gloriam consecutus sum: non destiti eadē animi magnitudine in Rep. versari, & illam institutam ac susceptam dignitatem tueri. sed postea quàm primùm Clodii absolute leuitatem, infirmitatēque iudiciorū perspexi: deinde vidi nostros publicanos facile à Senatu disiungi, quanquam à me ipso non diuellerentur: tum autem beatos homines (hos piscinarios dico, amicos tuos) non obscurè nobis inuidere: putavi mihi maiores quasdam opes & firmiora præsidia esse quærēda. itaque primum cum qui nimium diu de

rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, vt in Senatū nò semel, sed sæpe, multisque verbis suis mihi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicaret: quòd nò tam interfuit mea (neque enim illæ res aut ita sunt obscuræ, vt testimonium: aut ita dubiæ, vt laudationem desiderent) quàm Reipub. quòd erant quidam improbi, qui contētionem fore aliquam mihi cum Pompeio, ex illarum rerum dissensione arbitrarētur. Cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, vt vterque nostrum in sua ratione munitior, & in Repub. firmior hac coniunctione esse possit. odia autem illa libidinosa & delicatæ iuuetutis, quæ erant in me incitata, sic mitigata sunt quadam comitate mea, me vnum vt omnes illi colant. nihil iam denique à me asperum in quenquam fit, nec tamē quicquam populare ac dissolutum, sed ita temperata tota ratio est, vt Reipub. constātam præstem: priuatis rebus meis propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malorum, odium in me improborum adhibeam quādam cautionem & diligentiam. atque ita tamen nouis amicitiiis implicati sumus, vt crebrò mihi vafer ille Siculus insufurret Epicarmus cantilenam illam suam, ἢ φε, καὶ μέμνησθ' ἀπίστῳ, ἄρ. Ἰθα Ἰωῦτα Ἰθ' φρενῶν. ac nostræ quidem rationis ac vitæ quasi quandam formam (vt opinor) vides. De tuo autem negotio sæpe ad me scribis, cui mederi nunc non possumus. est enim illud s. c. summa pedariorum voluntate, nullius nostrum autoritate factum. nam quòd me non esse adscriptum vides, ex ipso s. c. intelligere potes, aliam rem tum relatam. Hoc autem, De populis liberis, sine causa additum, & ita factum est à P. Seruilio filio, qui in postremis sententiam dixit: sed immutari hoc tempore non potest. Itaque conuentus, qui initio celebrabantur, iandiu fieri desierunt. Tu si tuis blanditiis tamen à Sicyoniis numulorum aliquid expresseris, velim me facias certiozem. Commentarium Cōsulatus mei Græcè compositum misi ad te. in quo siquid erit, quòd homini Attico minus Græcum, eruditumque videatur, non dicam, quòd tibi (vt opinor) Panormi Lucullus de suis historiis dixerat, se quo facilius illas probaret Romani hominis esse, iccirco barbara quædam & obsoleta dispersisse: apud me siquid erit eiusmodi, me imprudente erit, & inuito. Latinum si perfecero, ad te mittam. tertium poemata expectato, nequod genus à me ipso laudis meæ prætermittatur. Hic tu caue dicas, τίς πατέρ' ἀγνός. si est enim apud homines quicquam, quòd potius sit, laudetur, nos vituperemur, qui non potius alia laudemus: quanquam non ἐγκωμιστικὰ sunt hæc, sed ἰσοεικὰ quæ scribimus. Quintus frater purgat se mihi per literas, & affirmat nil à se cuiquam de te secus esse dictum. verùm hæc nobis coram summa cura & diligentia sunt agenda. tu modò nos reuise aliquando. Cossinius hic, cui dedi literas, valde mihi bonus homo, & non leuis, & amans tui visus est, & talis qualem esse eum tuæ mihi literæ nuntiarant. Vale. Idib. Martiis.

C I C E R O A T T I C O S.

CVM è Pompeiano me Romam recepissem ad IIII. Id. Maii, Cincius noster eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu Idib. Febr. dederas. ei nunc epistolæ literis his respōdebo. Ac primùm tibi perspectum esse iudicium de te meum laetor. deinde te in iis rebus, quæ mihi asperius à nobis atque à nostris, & iniucundius actæ videbātur, moderatissimum fuisse, vehemētissimè gaudeo: idque neque amoris mediocris & ingenii summi ac sapientiæ iudicio. qua de re cum ad me ita suauiter, diligēter, officiosè, & humaniter scripseris, vt nò modò hortari te amplius non debeā, sed ne expectare quidem abs te, aut ab vllò homine tantū facilitatis ac mansuetudinis potuerim: nihil duco esse cōmodius, quàm de his rebus nihil iā amplius scribere. cum erimus congressi, tū siquid res feret, coram inter nos cōferemus. Quòd ad me de Rep. scribis, disputas tu quidem & amāter & prudenter, & à meis consiliis ratio tua non abhorret. nā neque de statu nobis nostræ dignitatis est recedendum, neque sine nostris copiis intra alterius præsidia veniendum: & is de quo scribis, nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum atque populare. verū tamen fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatē meorum

temporū non inutilis, sed mehercule Reip. multò etiā vtilior, quàm mihi, ciuium improborum impetus in me reprimi, cum hominis amplissima fortuna, autoritate, gratia fluctuantē sententiam confirmassem, & à spe malorum ad mearum rerum laudem cōuertissem. quòd si cum aliqua leuitate mihi faciendū fuisset, nullā rem tanti aestimasset: sed tamē à me ita acta sunt omnia, nō vt ego illi assentiēs leuior, sed vt ille me probans grauior videretur. reliqua sic à me aguntur & agentur, vt non committamus, vt ea quæ gessimus, fortuito gessisse videamur. eos bonos viros, illos quos significas, & cā quam mihi dicis obtigisse, *σπαρτάν*, non modò nunquam deseram, sed etiam, si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo. Illud tamen velim existimes, 70 me hanc viam optimatum post Catuli mortem nec præsidio vllò, nec comitatu tenere. nā vt ait Rhinton, vt opinor, *οἱ μὲν παρ' ἑδὲν εἰσι, οἷς δ' ἑδὲν μέλει*. mihi verò vt inuideant piscinarii nostri, aut scribam ad te aliās, aut in congressum nostrum referuabo. à curia autem nulla me res diuellet, vel quòd ita rectum est, vel quòd rebus meis maximè consentaneum, vel quòd à Senatu quanti fiam, minimè me pœnitet. De Sicyoniis (vt scripsi ad te antea) non multum spei est in Senatu. nemo est enim iam, qui queratur. quare si id expectas, lōgum est: alia via, si qua potes, pugna. cum est actum, neque animaduersum est ad quos pertineret, & raptim in eam sententiā pedarii concurrerunt. inducendi s. c. maturitas nondum est: quòd neque sunt, qui querantur: & multi partim malevolentia, partim opinione æquitatis delectantur. Metellus tuus est egregius Con- 71 sul. vnū reprehendo, quòd otium è Gallia non magnopere nuntiari gaudet. cupit, credo, triumphare. hoc vellem mediocrius: cætera egregia. Auli filius verò ita se gerit, vt eius Consulatus non Consulatus sit, sed Magni nostri *ἑσώπιον*. De meis scriptis misi ad te Græcè perfectum Consulatum meum. eum librum L. Cossinio dedi. puto te Latinis meis delectari, huic autem Græco Græcum inuidere. alii si scripserint, mittemus ad te: sed, mihi crede, simulatque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardātur. Nunc (vt ad rem meam redeam) L. Papirius Pætus, vir bonus, amatorque noster, mihi libros eos, quos Ser. Clodius reliquit, donauit. cum mihi per legem Cinciam licere capere Cincius amicus tuus diceret, libenter dixi me accepturum, si attulisset. nunc si me amas, si te à me amari scis, enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique ac seruos tuos, vt scheda nequa depereat. nam & Græcis his libris, quos suspicor, & Latinis, 72 quos scio illum reliquisse, mihi vehementer opus est. Ego autem quotidie magis, quod mihi de forensi labore temporis datur, in his studiis conuiuesco. Per mihi, per inquam gratum feceris, si in hoc tam diligēs fueris, quàm soles in his rebus, quas mevalde velle arbitraris. ipsiusque Pæti tibi negotia commendo: de quibus tibi ille aget maximas gratias. & vt iam inuisas nos, non solum rogo, sed etiam suadeo. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER II.

CICERO ATTICO S.



AL. Iun. eunti mihi Antium, & gladiatores M. Metelli cupidè relinquenti, venit obuiam tuus puer. is mihi literas abs te, & commentariū Consulatus mei Græcè scriptum reddidit. in quo lætatus sum, me aliquatò antè de iisdem rebus Græcè item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendū dedisse. nam si ego tuum antè legissem, furatum me abs te esse diceres. quanquam illa tua (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quòd ornamenta neglexerant: & vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. meus autem liber totum Isocratis *μυεθῆκιον*, atque omnis eius discipulorum arculas, ac non nihil

etiam Aristotelica pigmenta consumpsit: quem tu Corcyra, vt mihi aliis literis significas, strictim attigisti. post autē, vt arbitror, à Cossinio accepisti. quem tibi ego nō essem ausus mittere, nisi eum lentè ac fastidiosè probauissem. quanquā ad me rescriptit iam Rhodo Possidonius, se nostrum illud *ῥωμῆμυ* cum legeret, quòd ego ad eum, vt ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modò nō excitatum esse ad scribendum, sed etiam planè perterritum. Quid quæris? conturbauī Græcam nationem. ita, vulgò qui instabant, vt darem sibi quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt. tu, si tibi placuerit liber, curabis, vt & Athenis sit, & in cæteris oppidis Græciæ. videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. Oratiunculas autem & quas postulas, & plures etiam mittam, quoniam quidem ea quæ nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectāt. fuit enim mihi cōmodum, quòd in eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerit ciuis ille tuus Demosthenes, & quòd se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiūxerit, vt *σεμότερος τις καὶ πολιτικώτερος* videretur, 3 curare vt meæ quoque essent orationes, quæ consulares nominarētur. quarum vna est in Senatu Calēd. Ian. altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta cum prouinciam in concione deposui: septima, qua Catilinam emisi: octaua, quam habui ad populum postridie, quàm Catilina profugit: nona in concione quo die Allobroges inuocarunt: decima in Senatu Non. Decemb. sunt præterea duæ breues, quasi *ἄποσπυμάτια* legis agrariæ: hoc totum *σῶμα* curabo vt habeas. & quoniam te cum scripta, tum res meæ delectant, iisdem ex libris perspicies, & quæ gesserim, & quæ dixerim. at ni prospicies, ego me tibi non offerbam. Quòd quæris, quid sit, quò te accersam, ac simul impeditum te negotiis esse significas: neque recusas, quin non modò si opus sit, sed etiā si velim, accurras: nihil sanè est necesse: veruntamē videbare mihi tempora peregrinationis commodius posse distribuere. nimis abes diu, præsertim cum sis in propinquis locis. neque nos te fruimur, & tu nobis cares. ac nunc quidem otium est. sed si paulò plus furor Pulchelli progredi posset, valde te ego istinc excitarem. verum præclarè Metellus impedit & impedit. Quid quæris? est Consul *φιλόπατρις*, & (vt semper iudicauī) natura bonus. ille autem non simulat, sed planè Tribunus pleb. fieri cupit. qua de re cum in Senatu ageretur, fregi hominem, & inconstantiam reprehendi, qui Romæ Tribunatum pleb. peteret, cum in Sicilia AEdilitatem sæpe dictitasset. sed neque magnopere dixi esse nobis laborandum, quòd nihilo magis ei licitum esset plebeio Rempub. perdere, quàm similibus eius me Consule patriciis esset licitum. Iam cum se ille septimo die venisse à freto, neque sibi obuiam quēquam prodire potuisse, & noctu se introisse dixisset, in eoque se in cōcione iactasset, nihil ei noui dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam, tribus 5 horis Roma Interamnam noctu introisse, item antè: non esse itum obuiam, ne tum quidem, cum iri maximè debuit. quid quæris? hominem petulantem, modestum reddo, non solum perpetua grauitate orationis, sed etiam hoc genere dictorū. Itaque iam familiariter cum ipso cauillor etiam, ac iocor. quin etiam cum candidatum deducerē, is quærit ex me, Num cōfueissem Siculis locum gladiatoribus dare. Negauī. At ego, inquit, nouos patronos instituā. sed soror, quæ tantum habeat cōsularis loci, vnum mihi solum pedē dat. Noli, inquam, de vno pede sororis queri, licet etiā alterum tollas. Non consulare inquires dictum: Fateor. sed ego odi illam malè cōsulare. ea est enim seditiosa, ea cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quòd eos mihi esse amicos molestè fert. Quòd de agraria lege quæris, sanè iam videtur refrixisse. Quòd me quodammodo molli brachio de Pōpeii familiaritate obiurgas, nolim ita existimes, me mei præsidii causa cum illo coniunctū esse: sed ita res erat instituta, vt si inter nos esset aliqua fortè dissensio, maximas in Repub. discordias versari esset necesse: quòd à me ita præcautum atque ita prouisum est, non vt ego de optima illa mea ratione decederē, sed vt ille esset melior, & aliquid de populari leuitate deponeret.

quem de meis rebus, in quas eū multi incitarant, multò scito gloriofius, quàm de suis prædicare. sibi enim bene gesta, mihi conseruatæ Reipub. dat testimonium. hoc facere illum, mihi quàm proficit, nescio, Reipub. certè prodest. Quid si etiam Cæsarem, cuius nunc venti valde sunt secundi, reddo meliorem? num tantū obsum Reipub? quin etiam si mihi nemo inuideret, si omnes, vt erat æquum, fauerent, tamen non minus esset probanda medicina, quæ sanaret vitiosas partes Reipub. quàm quæ execaret. Nunc verò cum equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino te signifero ac principe collocaram, Senatum deseruerit: nostri autem principes digito se cælum putent attingere, si muli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant, alii autem negligant: nonne tibi fati prodesse videor, si perficio, vt nolint obesse, qui possunt? nā Catonem nostrum non tu amas plus quàm ego: sed tamen ille optimo animo vtens, & summa fide, nocet interdum Reipub. dicit enim tanquam in Platonis πολιτεία, non tanquam in Romuli face sententiam. Quid verius quàm in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? censuit hoc Cato. assensit Senatus. equites curiæ bellum, non mihi: nam ego dissenfi. Quid impudētius publicanis renuntiātibus? fuit tamen retinendi ordinis causa facienda iactura. restitit, & peruicit Cato. itaque nūc Consule in carcere in- cluso, sæpe item seditione commota, aspirauit nemo eorum, quorum ego concursu, itémque Consules, qui post me fuerunt, Remp. defendere solebāt. Quid ergo istos, in- quies, mercede cōductos habebimus? Quid faciemus, si aliter non possumus? an libertinis atque etiam seruis seruiamus: sed, vt tu ais, ἀλλῆς ἀσθενείας. Fauonius meā tribum tulit honestius, quàm suam, Luceii perdidit, accusauit Nasicam inhonestè, ac modestè ta- men dixit, vt Rhodi videretur molis potius quàm Moloni operam dedisse. mihi quòd defendissem, leuiter succensuit. nunc tamen petit iterum Reipub. causa. Luceius quid agat, scribam ad te, cum Cæsarem videro, qui aderit biduo. Quòd Sicyonii te lædunt, Catoni, & eius æmulatori attribuas Seruilio. Quid: ea plaga nonne ad multos bonos vi- ros pertinet: sed si ita placuit, laudemus, deinde in dissenfionibus soli relinquamur.

Amalthea mea te expectat, & indiget tui. Tusculanum & Põpeianum valde me de- lectant, nisi quòd me illum ipsū vindicem æris alieni ære non Corinthio, sed hoc cir- cunforaneo obruerunt. In Gallia speramus esse otium. Prognostica mea cum orati- unculis propediem expecta: & tamen quid cogites de aduentu tuo, scribe ad nos. nam mihi Pomponia nuntiarum iussit, te mense Quintili Romæ fore. id à tuis literis, quas ad me de accessu tuo miseris, discrepabat. Patus, vt antea ad te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donauit. hoc illius munus in tua diligētia positum est. si me amas, cura vt conseruentur, & ad me perferantur. hoc mihi nil potest esse gra- tius. & tum Græcos, tum verò Latinos diligenter vt conserues, velim. tuū esse hoc mu- nusculum putabo. Ad Octauium dedi literas: cum ipso nil eram locutus. neque enim ista tua negotia prouincialia esse putabam: neque te in Toculionibus habebā. sed scri- psi, vt debui, diligenter. Vale.

CICERO ATTICO S.

C V R A, amabo te, Ciceronem nostrum. ei nos θεοὶ videmur. πελινάων in manibus tenebam. & hercule magnum aceruum Dicæarchi mihi ante pedes extruxerā. O ma- gnum hominem, & à quo multò plura didiceris, quàm de Procillio. Κοελυθίων καὶ Ἀθη- ναίων puto me Romæ habere. mihi hæredes. lege. hoc doceo. mirabilis vir est. Ηρώδης si homo esset, eum potius legeret, quàm vnam literam scriberet: qui me epistola petiuit, ad te, vt video, comminus accessit. coniurasse mallet, quàm restitisse coniurationi, si illum mihi audiendum putassem. De lolio sanus non es. de vino laudo. sed heus tu, ecquid vides Cal. venire, Antonium non venire? iudices cogit: nam ita ad me mittunt, Nigidium minari in concione, se iudicem, qui non affuerit, compellaturum. velim ta- men, siquid est de Antonii aduentu, quod audieris, scribas ad me. & quoniam huc non venis, cœnes apud nos ytique prid. Cal. caue aliter facias. Cura vt valeas.

CICERO ATTICO S.

PRIMUM, vt opinor, διαγάγια. Valerius absolutus est Hortensio defendente. id iu- diciū Atilio condonatum putabatur, & Epicratem suspicor, vt scribis, lasciuum fu- isse. etenim mihi caligæ eius, vt fasciæ cretata, non placebant. quid sit sciemus, cum ve- neris. Fenestrarum angustias quòd reprehendis, scito te Κύρις παρὰ εἰς reprehendere. nam cum ego idem istuc dicerem, Cyrus aiebat, radiatorum πὰς ἀγαθότης latis lumi- nibus, non tam esse suaues. etenim ἔγω ὄφεις μὲν, ἢ α: ὅ δὲ ὀρώλων β, γ: ἀκτίνες δὲ δ, καὶ ε: vides enim cætera. nā si κατ' εἰδῶλων ἐμπασιώσης videremus, valde laborarēt εἰδῶλα in an- gustiis. nunc fit lepidè illa ἐκχυσις radiatorum. cætera si reprehēderis, non feres tacitum, nisi siquid erit eiusmodi, quod sine sumptu corrigi possit. Venio nunc ad mensē Ianuariū, & ad ὑπόστασιν nostram, ἀσ πολιτείας, in qua σωκρατικῶς εἰς ἐκείτερον, sed ta- men ad extremum, vt illi solebant, πρὸς ἑσέως σπυ. Est res sanè magni consilii: nam aut fortiter resistendum est legi agrariæ, in quo est quædam dimicatio, sed plena laudis: aut quiescendum, quod est non dissimile, atque ire in Solonium aut Antium: aut etiam adiuuandum, quod à me aiunt Cæsarem sic expectare, vt non dubitet: nam fuit apud me Cornelius, hunc dico Balbum Cæsaris familiarem: is affirmabat illum omnibus in- rebus meo & Pompeii consilio vsurum, daturumque operam, vt cum Pompeio Craf- sum coniungeret. Hic sunt hæc: coniunctio mihi summa cum Pompeio, si placet, etiā cum Cæsare, reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium. sed me κατὰ χρισίς mea illa commouet, quæ est in libro I I I,

Interea cursus, quos prima à parte iuuentæ,

Quosque adeò Consul virtute, animoque petisti,

Hos retine, atque auge famam, laudisque bonorum.

Hæc mihi cū in eo libro, in quo multa sunt scripta δημοκρατικῶς, Calliope ipsa præscri- pserit, nō opinor esse dubitandū, quin semper nobis videatur εἰς δίκαιος δημοσ, ἀμύνησθαι πρὸς πάσης. sed hæc ambulationibus compitalitiis reseruemus. Tu pridie Compitalia memento. balneum calferi iubebo: & Pomponiam Terētia rogat: matrem adiunge- mus. Θεοφράστου πρὸς φιλομαθίας affer mihi de libris Quinti fratris. Vale.

CICERO ATTICO S.

FECISTI mihi pergratum, quòd Serapionis librum ad me misisti: ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) millesimam partem vix intelligo. pro eo tibi præ- sentem pecuniam solui imperaui, ne tu expensum muneribus ferres. At quoniam numorum mentio facta est, amabo te, cura vt cum Ticinio, quoquomodo poteris, transigas. si in eo, quod ostenderat, non stat, mihi maximè placet ea, quæ malè empta sunt, reddi, si voluntate Pomponiæ fieri poterit: si ne id quidem, numi potius reddan- tur, quàm vllus sit scrupulus. valde hoc velim antequam proficiscare, amanter, vt so- les, diligenterque conficias. Clodius ergo, vt ais, ad Tigranem: velim, Syriæ condi- tione: sed facilè patior. accommodatius enim nobis est ad liberā legationem tempus illud, cum & Quintus noster iam, vt speramus, in otio cōfederit, & iste sacerdos Bonæ Deæ cuiusmodi futurus sit, sciri possit. interea quidē cum musis nos delectabimus ani- mo æquo, immò verò etiam gaudenti ac libenti. neque mihi vnquā veniet in mentem Crasso inuidere neque pœnitere, quòd à me ipse non desciuērim. De geographia, da- bo operam, vt tibi satisficiam: sed nihil certi polliceor. magnum opus est: sed tamen, vt iubes, curabo, vt huius peregrinationis tibi opus extet. tu quicquid indagaris de Re- pub. & maximè quos Cōsules futuros putes, facito vt sciam. tamen si minus sum curio- sus: statui enim nihil iam de Rep. cogitare. Terētia saltum perspeximus. quid qua- ris: præter quercū Dodonæam nihil desideramus, quo minus Epeirū ipsam possidere videamur. Nos circiter Cal. aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. tu, si in For- miano non erimus (si nos amas) in Põpeianum venito. id & nobis erit periucūdum, & tibi nō sanè deuiū. De muro, imperaui Philotimo, ne impediret quo minus id fieret,

quod tibi videretur. cenfeo tamen adhibeas Vectiū. his tēporibus, tam dubia vita optimi cuiusque, magni æstimo vnus æstatis fructum palæstræ Palatinæ, sed ita tamen, vt nihil minus velim, quàm Pomponiam & puerum versari in timore ruinæ. Vale.

CICERO ATTICO S.

CUPPIO equidem, & iam pridem cupio Alexandriam, reliquāque Aegyptum videre, & simul ab hac hominū fatietate nostri discedere, & cum aliquo desiderio reuer-
ti. sed hoc tempore, & iis mittentibus, αἰδέομαι πρῶτας καὶ πρῶταδας ἐλασιπέπλους, quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo præmio de sententia esse deductum? πολυδάμας μοι ἄνωπος ἐλεγχέω ἄνα. Σησι Cato ille noster, qui mihi vnus est pro centum millibus: quid verò historix de nobis ad annos D C. prædicarint: quas quidem ego multò magis vereor, quàm eorum hominum, qui hodie viuunt, rumusculos. sed opinor excipiamus & expectemus. si enim deferretur, erit quædam nostra potestas, & tum deliberabimus. & iam hercule est in non accipiendo nonnulla gloria. Quare siquid Θεοφάνης tecum fortè cōtulerit, ne omnino repudiaris. de istis rebus expecto tuas literas, quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat, & qui Consules parentur, vtrum (vt populi sermo) Pompeius & Crassus, an vt mihi scribitur, cum Gabinio Ser. Sulpitius, & num quæ nouæ leges, & num quid noui omnino: & quoniam Nepos proficiscitur, cuinam Auguratus deferatur: quo quidem vno ego ab istis capi possum. videte ciuitatem meam. Sed quid ego hæc, quæ cupio deponere, & toto animo atque omni cura φιλοσοφῆν: sic inquam in animo: sic vellem ab initio. Nunc verò, quoniā quæ putauī esse præclara, expertus sum quàm essent inania: cum omnibus musis rationem habere cogito. tu tamen de Curtio ad me rescribe certius, & num quis in eius locum paretur, & quid de P. Clodio fiat, & omnia, quemadmodum tu polliceris, ἐπι γολῆς scribe: & quo die Roma te exiturum putes, velim ad me scribas, vt certio-
rem te faciam, quibus in locis futurus sim: epistolamque statim des de his rebus, de quibus ad te scripsi. valde enim expecto literas tuas. Vale.

CICERO ATTICO S.

QUOD tibi superioribus literis promiseram, fore vt opus extaret huius peregrinationis: nihil iam magnopere confirmo. sic enim sum complexus otium, vt ab eo diuelli non queam. itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antii festiuam copiam: aut fluctus numero: nam ad lacertas captandas tēpestates non sunt idoneæ. à scribendo prorsus abhorret animus. etenim γεωγραφικὰ quæ cōstitueram, magnum opus est: ita valde Eratosthenes, quem mihi proposueram, à Serapione & ab Hipparcho reprehenditur. quid censes, si Tyrannio accesserit? & hercule sunt res difficiles ad explicandum, & ὁμοφθεῖς: nec tam possunt ἀπὸ γεωγραφῶν, quàm videbantur: & quod caput est, mihi quæuis satis iusta causa cessandi est. Quinetiam dubitem, an hîc Antii confidam, & hoc tempus omne cōsumam: vbi quidem ego mallem diu nimirum, quàm Romæ fuisse. tu verò sapientior Buthroti domum parasti. sed mihi crede, proxima est illi municipio hæc Antiatum ciuitas. esse locum tam prope Romam, vbi multi sint, qui Vatinium nunquam viderint: vbi nemo sit, præter me, qui quenquā ex vigintiuiris vnum esse saluum velit: vbi me interpellat nemo, diligant omnes. hîc, hîc nimirum πολιτεύ-
τεον. nam istic non solum nō licet, sed etiā tædet. itaque ἀνέκδοτα à nobis, quæ tibi vni legamus, Theopompino genere, aut etiam asperiore multo pāgentur. neque aliud iam quicquam πολιτεύομαι, nisi odisse improbos, & id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi voluptate. Sed vt ad rē, scripsi ad Quæstores vrb. de Quinti fratris negotio. vide quid narrent, & quæ spes sit denarii, an cistophoro Pompeiano iaceamus. Præterea de muro, statue quid faciendum sit. Aliud quid: etiam. quando te proficisci istinc putes, fac vt sciam. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Geographia etiā atque etiā deliberabimus. Orationes à me autē duas postulas:

quarum alteram non libebat mihi scribere, quia abscideram: alterā, ne laudarem eum, quem non amabam. sed id quoque videbimus. denique aliquid extabit, ne tibi planè cessasse videamur. De Publio quæ ad me scribis, sanè mihi iucūda sunt: eaque etiam velim omnibus vestigiis indagata ad me afferas, cum venies: & interea scribas, siquid intelliges, aut suspicabere, & maximè de legatione quid sit acturus. equidē antè quàm tuas legiliteras, in hominem ire cupiebam, non mehercule vt differrem cum eo vadi-
monium. nam mira sum alacritate ad litigandum: sed videbatur mihi, siquid esset in eo popolare, quòd plebeius factus esset, id amissurus. Quid enim? ad plebem transfisti, vt Tigranem ires salutatum? narra mihi, Reges Armenii patricos salutare non solent? quid quæris? acueram me ad exagitantam hanc eius legationem. quam si ille contem-
nit, & si (vt scribis) bilem id commouet & latoribus & auspibus legis curiatæ, spectaculum egregium. hercule, verum vt loquamur, sub contumeliosè tractatur noster Publius: primum qui cum in domo Cæsaris quondam vnus vir fuerit, nunc ne in viginti
quidem esse potuerit: deinde alia legatio dicta erat, alia data est: illa opima ad exigen-
das pecunias Drusio: vt opinor, Pisfaurensis nebuloni Vatinio reseruatur: hæc ieiuna, ac bella relegatio datur ei, cuius Tribunatus ad istorum tempora reseruatur. incende
hominem, amabo te, quoad potes. Vna spes est salutis, istorum inter istos dissensio, cuius ego quædam initia sensi ex Curione. iam verò Arrius Consulatum sibi ereptum fre-
mit. Megabocchus, & hæc sanguinaria iuuentus inimicissima est. accedat verò, accedat
etiam ista rixa Auguratus. spero me præclaras de istis rebus epistolas ad te sæpe missu-
rum. Sed illud quid sit, scire cupio, quòd iacis obscurè, iam etiam ex ipsis quinquevi-
ris loqui quosdam. quidnam id est? si est enim aliquid, plus est boni, quàm putaram. at-
que hæc sic velim existimes, nō me abs te καὶ τὸ ἀπακτικὸν quærere, quòd gestiat animus
aliquid agere in Rep. iam pridem gubernare me tædebat, etiam cum licebat. nunc ve-
rò, cum cogar exire de naui non abiectis, sed ereptis gubernaculis, cupio istorum nau-
fragia ex terra intueri: cupio, vt ait tuus amicus Sophocles, καὶ τὸ ἀπὸ γῆς Πυκνὰς ἀκ-
σαι ψεύδος διδύσση φρενί. De muro, quid opus sit, videbis. Castritianū mendum nos cor-
rigemus, & tamen ad me Quintus C L O. C C L O O. L O O O. scripserat, non ad sororem
tuam H S. X X X. Terentia tibi salutem dicit. Cicero tibi mandat, vt Aristodemo idem
de se respondeas, quod de fratre suo sororis tuæ filio respondisti. De Amalthea quòd
me admones, non negligemus. Cura vt valeas.

CICERO ATTICO S.

EPISTOLAM cum à te auidè expectarem ad vesperum, vt soleo, ecce tibi nuntius, pueros venisse Roma. voco, quæro, Ecquid literarum? negant. Quid ais, inquam, nihilne à Pomponio? perterriti voce & vultu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in
via. quid quæris? permolestè tuli. nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua
re utili & suauī. nunc siquid in ea epistola, quam ante diem x v i. Calend. Maii dedi-
sti, fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus. sin nihil præter ioca-
tionem, redde id ipsum. & scito Curionem adolescentem venisse ad me salutatum:
valde eius sermo de Publio cum tuis literis congruebat. ipse verò mirandum in mo-
dum Reges odisse superbos. peræquè narrabat incensam esse iuuentutem, neque hæc
ferre posse. bene habemus. nos, si in iis spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do hi-
storix: quanquam licet me Saufeium putes esse. nihil me est inertius. Sed cognosce
itinerā nostra, vt statuas, vbi nos visurus sis. In Formianum volumus venire Parilibus,
inde (quoniam putas prætermittendum nobis esse hoc tempore cratera illum delica-
tum) Calend. Maii de Formiano proficiscemur, vt Antii simus ad v. Non. Maii. ludi
enim Antii futuri sunt à 1111. Calend. ad prid. Non. Maii: eos Tullia spectare vult. in-
de cogito in Tusculanum, deinde Arpinum, Romā ad Calend. Jun. te aut in Formia-
no, aut Antii, aut in Tusculano, cura vt videamus. Epistolam superiorem restitue
nobis, & appinge aliquid noui. Vale.

CICERO ATTICO S.

SVBITO cum mihi dixisset Cæcilius Quæstor puerum se Romam mittere, hæc scripsi raptim, ut tuos elicerem mirificos cum Publio dialogos, cum eos, de quibus scribis, tum illum, quem addis, & ais longum esse quæ ad ea responderis, perscribere: illum verò, qui nondum habitus est, quem illa βοώπις, cum è Solonio redierit, ad te est relatura: sic velim putes, nihil hoc posse mihi esse iucundius, si verò quæ de me pacta sunt, ea non seruantur, in cælo sum, ut sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiã retulerit: quarum expecta diuinam 16 *παλινοδία*. etenim quantum coniectura auguramur, si erit nebulo iste cum iis dynastis in gratia, non modò de Cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare. non enim poterimus vlla esse in inuidia spoliati opibus, & illa senatoria potentia. sin autem ab iis dissentiet, erit absurdum in nos inuehi. veruntamen inuehatur. Festiuè, mihi crede, & minore sonitu, quàm putaram, orbis hic in Re- pub. est conuersus: citius omnino quàm potuit, id culpa Catonis: sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui AEliam legem, qui Iuniam & Liciniam, qui Cæciliam & Didiam neglexerunt, qui omnia remedia Reipub. effuderunt: qui regna, qui prædia tetrarchis, qui immanis pecunias paucis dederunt. Video iam quò inuidia transeat, & vbi sit habitatura. nihil me existimaris neque vsu, neque à Theophrasto didicisse, nisi 17 breui tempore desiderari nostra illa tempora videris. etenim si fuit inuidiosa Senatus potentia, cum ea non ad populum, sed ad tres homines immoderatos redacta sit, quidnam censes fore? proinde isti licet faciant, quos volent, Consules, Tribunos pleb. denique etiam Vatini strumam sacerdotii διαφω vestiant: videbis breui tempore magnos non modò eos, qui nihil titubarunt, sed etiam illum ipsum, qui peccauit, Catonem. nam nos quidem, si per istum tuum sodalem Publium licebit, σφιτέμεν cogitamus: si ille cogitat, tantum duntaxat nos defendere, & quod est proprium artis huius, *επαγγέλλομαι ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι ὅτε τις πρὸς τερος χαλεπήνη*. patria propitia sit: habet à nobis etiam si non plus, quàm debitum est, plus certè, quàm postulatum est. Malè vehi malo alio gubernante, quàm tam ingratis vectoribus bene gubernare. sed hæc coràm commodius. nunc audi quod quæris. Antium me ex Formiano recipere cogito ad v. Non. Maias. Antio volo Non. Maiis proficisci in Tusculanum, sed cum è Formiano rediero (ibi esse volo vsque ad prid. Calend. Maias) faciam statim te certio- 18 rem. Terentia tibi salutem. *Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεταιται Τίτον Ἀθηναῖον.*

CICERO ATTICO S.

VOLo ames constantiam meam. ludos Antii spectare non placet: est enim *ὑσπόλοισιν*, cum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repente *ἀναφαιέσθαι* non solum delicatè, sed etiam ineptè peregrinantem. quare vsque ad Non. Maias te in Formiano expectabo. nunc fac ut scia, quo die te visuri sumus. Ab Appii foro hora quarta: dederam aliam paulò antè à Tribus Tabernis. Vale.

CICERO ATTICO S.

NARRO tibi, planè relegatus mihi videor, posteaquam in Formiano sum. dies enim 19 nullus erat, Antii cum essem, quo die non melius scirem Romæ quid ageretur, quàm ii, qui erant Romæ. etenim literæ tuæ non solum quid Romæ, sed etiam quid in Rep. neque solum quid fieret, verum etiam quid futurum esset, indicabant. nunc nisi siquid ex præcedente viatore exceptum est, scire nihil possumus. quare quanquã iam te ipsum expecto, tamen isti puero, quem ad me statim iussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modò actorum, sed etiam opinionum tuarum: ac diem, quo Roma sis exiturus, cura ut sciam. Nos in Formiano esse volumus vsque ad prid. Non. Maias, eò si ante eam diem non veneris, Romæ te fortasse videbo. nam Arpinum quid ego te inuitem? *τηχηί' ἀλλ' ἀγαθὴ χυροσφόρος ἔτι ἐγγυγέης γαίης δυνάμει γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι*. Hæc igitur. Cura ut valeas.

CICERO ATTICO S.

NEGENT illi Publium Trib. pl. factum esse. hoc verò regnum esse, ferri nullo pacto potest. emittat ad me Publius, qui obsignent. iurabo Cneum nostrum, collegã Balbi Antii mihi narrasse, in auspicio fuisse. O suaues epistolas tuas vno tempore mihi datas duas: quibus *βιαγγέλια* quæ reddam, nescio, deberi quidem planè fateor. sed vide *συγκύρημα*. emerferam commodè ex Antio in Appiam ad Treis Tabernas, ipsis Cerealibus, cum in me incurrit Roma veniens Curio meus. ibidem illico puer abs te cum epistolis. ille ex me, nihilne audissem noui? ego negare. Publius inquit, Tribunatum pl. petit. Quid ais? & inimicissimus quidè Cæsar, & ut omnia, inquit, ista rescindat. Quid Cæsar, inquam? Negat se quicquam de illius adoptione tulisse: deinde suum, Memmii, Metelli Nepotis exprompsit odium. complexus iuuenem dimisi, properans ad epistolas. Vbi sunt, qui aiunt *ζώσης φωνῆς μείζω ἐέργειαν εἶναι*; quanto magis vidi ex tuis literis, quàm ex illius sermone, quid ageretur, de ruminacione quotidiana, de cogitatione Publii, de lituis βοώπιδος, de signifero Athenione, de literis missis ad Cneum, de Theophranis, Memmiique sermone. quantam porrò mihi expectationem dedisti conuiuii istius *ἀσελγῶς*? sum in curiositate *ἔξυπνείος*. sed tamen faciliè patior te id ad me *συμπόσιον* non scribere: præsentem audire malo. Quòd me, ut scribam aliquid, hortaris: crescit mihi quidem materies, ut dicis: sed tota res etiam nunc fluctuat *καὶ ὀπίρταιν πράχης*: quæ si defecerit, magis erunt iudicata, quæ scribam: quæ si statim à me ferre non potueris, primus habebis tamen, & aliquandiu solus. Dicæarchum rectè amas: luculentus homo est, & ciuis haud paulò melior, quàm isti nostri *ἀδικήαρχοι*. Literas scripsi hora decima Cerealibus, statim ut tuas legeram: sed eas eram daturus, ut putaram, postridie ei, qui mihi primus obuiã venisset. Terentia delectata est tuis literis, & impertit tibi multum salutis. *καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τῷ πολιτικῷ Τίτον ὡσπάζεται*.

CICERO ATTICO S.

FACINVS indignum: epistolam *ἀφωρεῖ* tibi à Tribus Tabernis rescriptam ad tuas suauissimas epistolas neminem reddidisse: at scito eum fasciculum, quò illam conieceram, domum eo ipso die latum esse quo ego dederã, & ad me in Formianum relatum esse. itaque tibi tuam epistolam iussi referri, ex qua intelligeres, quàm mihi tum illæ gratæ fuissent. Romæ quod scribis fileri, ita putabam: at hercule in agris non filetur: nec iam ipsi agri regnum vestrum ferre possunt. si verò in hanc *πιλέπυλον* veneris *λαίφυρην*, (Formias dico) qui fremitus hominum? quàm irati animi? quanto in odio noster amicus Magnus? cuius cognomen vnà cum Crassi Diuitis cognomine cōsenescit. cre- 33 das mihi velim, neminem adhuc offendi, qui hæc tam lètè, quàm ego fero, ferret. quare, mihi crede, *φιλοσοφῶμεν*. iuratus tibi possum dicere, nihil esse tanti. Tu si literas ad Sicyonios habes, aduola in Formianum, vnde nos prid. Non. Maii cogitamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

QUANTAM tu mihi moues expectationem de sermone Bibuli? quantam de colloquio βοώπιδος? quantam etiam de illo delicato conuiuiò? proinde ita fac venias ad sitientes aures. quanquam nihil est iam quod magis timendum nobis putem, quàm ne ille noster Sampficeram, cum se omnium sermonibus sentiet vapulare, & cum has actiones *βιαναστέπης* videbit, ruere incipiat. ego autem vsque eò sum eneruatus, ut hoc otio, quo nūc tabescimus, malim *ἐντυραννεῖσθαι*, quàm optima spe dimicare. De pando 34 gendo quòd me crebrò adhortaris, fieri nihil potest. basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum. at comparem basilicæ? tribum AEmiliam. sed omitto vulgus. post horam quartam molesti cæteri nò sunt. C. Arrius proximus est vicinus, immò ille quidem iam contubernalis. qui etiam se iccirco Romam ire negat, ut hic mecum totos dies philosophetur. Ecce ex altera parte Sebofus ille Catuli familiaris. quò me veram statim mehercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodissimè expectari viderè, duntaxat ad prid. Non. Mai. vide enim quibus hominibus aures sint deditæ meæ.

occasionem mirificam, si quis nunc, dum ii apud me sunt, emere de me fundum Formianum velit, & tamen illud probem. magnum quid aggrediamur, & multæ cogitationis atque otii. sed tamen satisfiet à nobis, neque parceretur labori. Vale.

CICERO ATTICO S.

VT SCRIBIS, ita video, non minus incerta in Rep. quàm in epistola tua: sed tamen ista ipsa me varietas sermonum, opinionumque delectat. Romæ enim videor esse, cum tuas literas lego, & ut fit in tantis rebus, modò hoc, modò illud audire: illud tamè explicare non possum, quidnam inueniri possit, nullo recusante, ad facultatem agrariam. Bibuli autem ista magnitudo animi in comitorum dilatione quid habet, nisi ipsius iudicium sine vlla correctione Reip: nimirum in Publico spes est. fiat, fiat Tribunus pl. si nihil aliud, ut eo citius tu ex Epeiro reuertare. nam ut illo tu careas, non video posse fieri, præsertim si mecum aliquid volet disputare, sed id quidem nõ dubium est, quin, siquid erit eiusmodi, sis aduolaturus. verum ut hoc non fit, tamen seruet Remp. præclarum spectaculum mihi propono, modò te concessore spectare liceat. Cum hæc maximè scriberem, ecce tibi Sebosus. nondum planè ingemueram, Salue, inquit Arius. hoc est Roma decedere? quos ego homines effugi, cum in hos incidi: ego verò in mōtes patrios, & ad incunabula nostra pergami: denique si solus non potuero, cum rusticis potius, quàm cum iis perurbanis, ita tamen, ut quoniã tu certi nihil scribis, in Formiano tibi præstoler vsque ad III. Non. Maias. Terentiæ pergrata est assiduitas tua, & diligentia in controuersia Muluiana. nescit omnino te cõmunem causam defendere eorum, qui agros publicos possideant. sed tamen tu aliquid publicanis pendis: hæc etiam id recusat. ea tibi igitur, & Κικέρων δεῖσσοκρατικῶτατος παῖς salutem dicunt.

CICERO ATTICO S.

COENATO mihi, & iam dormitanti prid. Calend. Maias epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis. quid quæris? primùm ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis, quàm molestia. Cogitanti autem hæc ferè succurrebant. primùm ex eo, quod superioribus literis scripseras ex familiari te illius audisse, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret. maius aliquid timueram: hoc mihi eiusmodi non videbatur. deinde, ut me ego consolere, omnis expectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum videtur esse deriuata. qui ager, ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere. reliqua omnis multitudo ab illis abalienatur, necesse est. præterea, si vlla res est, quæ bonorum animos, quos iam video esse commotos, vehementius possit incendere, hæc certè est, & eò magis, quòd portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diuiso, quod vectigal superest domesticum, præter vicissimam: quæ mihi videtur vna conciuncula, clamore pedisequorum nostrorum esse peritura. Cneus quidem noster iam planè quid cogitet, nescio. φυσᾶ γὰρ ὁ μικροῖσιν ἀλλήλοισι ἐστὶ, ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβείας ἀτερ, qui quidem etiam istuc adduci potuerit. nam adhuc hoc ἐσοφίλοτο, se leges Cæsaris probare, actiones ipsum præstare debere: agrariam legem sibi placuisse: potuerit intercedi necne, nihil ad se pertinere: de Rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici: Bibulus de cælo tū seruasset necne, sibi quærendum non fuisse: de publicanis, voluisse illi ordini commodare: quicquid futurum fuerit, si Bibulus tum in forū descendisset, se diuinare nõ potuisse. Nunc verò Sampscerame quid dices? vectigal te nobis in mōte Antilibano cõstituisse, agri Campani abstulisse: quid, hoc què admodum obtinebis? Oppressos vos, inquit, tenebo exercitu Cæsaris: non me hercule me tu quidem tam isto exercitu, quàm ingratis animis eorum hominum, qui appellantur boni: qui mihi non modò præmiorum, sed ne sermonū quidem vnquam fructum vllum aut gratiam retulerunt. Quòd si in eam me partem incitarem, profectò iam aliquam reperirè resistendi viam. nunc prorsus hoc statui, ut quoniam tanta cõtrouersia est Dicæarcho familiari tuo cum Theophrasto amico meo, ut ille tuus τῶν ὀρακτικῶν βίον longè omnibus anteponat, hic autè τῶν θεωρητικῶν, vtrique à me

mos gestus esse videatur. puto enim me Dicæarcho affatim satisfecisse: respicio nunc ad hanc familiam, quæ mihi non modò vt requiescam, permittit, sed reprehendit quia non semper quierim. quare incubamus ò noster Tite ad illa præclara studia, & eò vnde discedere non oportuit, aliquando reuertamur. Quod de Quinti fratris epistola scribis, ad me quoque fuit τῶν αὐτῶν λέων, ὅτι γεν δέ. Quid dicam, nescio. nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemuis mouere possit: ita rursus remittit, ut me roget vt annales suos emendem & edam. illud tamè quod scribit, animaduertas velim, de portorio circunuectionis. ait se de consilii sententia rem ad Senatum reiecissee. nõdum videlicet meas literas legerat, quibus ad eum re consulta & explorata perscripseram non deberi. velim siqui Græci iam Romam ex Asia de ea causa venerunt, videas, & (si tibi videbitur) iis demonstras quid ego de ea re sentiã. si possum discedere, ne causa optima in Senatu pereat, ego satisfaciam publicanis: εἰ δὲ μὴ, (verè tecum loquar) in hac re malo vniuersæ Asiæ, & negotiatoribus. nam eorum quoque vehementer interest. hoc ego sentio valde nobis opus esse. sed tu id videbis. Quæstores autem, quæso, num etiam de cistophoro dubitant? nam si aliud nihil erit, cum erimus omnia experti, ego illud ne quidem contemnam quod extremum est. Te in Arpinati videbimus, & hospitio agresti accipiemus, quoniam maritimum hoc contempsisti. Vale.

CICERO ATTICO S.

PRORSVS, vt scribis, ita sentio. turbatur Sampsceramus. nihil est, quod non timendum sit. ὁ μολογὸς μέγας τυραννὶς ἀσσοκλυδᾶζεται. quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid ager Cāpanus, quid effusio pecuniæ significant? quæ si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut hæc extrema esse non possint. quid enim eos hæc ipsa per se delectare possunt: nõquam huc venissent, nisi ad alias res pestiferas aditus sibi compararent. Dii immortales. verum, ut scribis, hæc in Arpinati ad v. i. circiter Id. Maias non deslebimus, ne & opera, & oleum philologiæ nostræ perierit, sed confitemur tranquillo animo. neque tam me βέλπιστα cõsolatur, ut antea, quam ἀδιαφορία, qua nulla in re tam vtor, quàm in hac ciuili & publica. quinetiã quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον, (bellum est enim sua vitia nosse) id afficitur quadam delectatione. solebat enim me pungere, ne Sampscerami merita in patriam ad annos D C. maiora viderentur, quàm nostra. Hac quidem cura certè iam vacuus sum. iacet enim ille sic vt Phocis Curiana stare videatur. Sed hæc coram. tu tamen videris mihi Romæ fore ad nostrum aduentum. quod sanè facillè patiar, si tuo commodo fieri possit. sin, ut scribis, ita venies: velim è Theophane expiscere, quoniam in me animo sit Arabarches, quæ res scilicet κατὰ τὸ κηδεμνηκόν, & ad me ab eo quasi ὑποθήκας afferes, quemadmodum me geram. aliquid ex eius sermone poterimus περὶ τῶν ὄλων suspicari. Vale.

CICERO ATTICO S.

ACCEPTI aliquot epistolas tuas, ex quibus intellexi quàm suspensio animo & sollicito scire aueres, quid esset noui. Tenemur vndique, neque iam quo minus seruiamus, recusamus: sed mortem & eiectionem, quasi maiora, timemus: quæ multò sunt minoræ. atque hic status, qui vna voce omnium gemitur, neque verbo cuiusquam subleuatur, σκοπὸς est, ut suspicor illis, qui timēt vllam cuiusquã largitionem relinquere. vnus loquitur, & palàm aduerfatur adolescēs Curio. Huic plausus maximi, consalutatio forensis perhonorifica, signa præterea beneuolentiæ permulta à bonis impertiuntur. Fusium clamoribus & conuitiis & sibilis consectantur. his ex rebus non spes, sed dolor est maior, cum videas ciuitatis voluntatem solutam, virtutem alligatam. Ac ne fortè quæras καὶ λεπτόν de singulis rebus, vniuersa res est eò deducta, spes vt nulla sit aliquando non modò priuatos, verum etiam magistratus liberos fore. attamen in oppressione sermo in circulis duntaxat, & in conuiujs est liberior, quàm fuit. vincere incipit timorem dolor, sed ita, ut omnia sint plenissima desperationis. Habet etiam Campana lex execrationem in coitione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possi-

deatur, atque ut ex legibus Iulii. non dubitant iurare ceteri. Laterensis existimatur re-
 cte fecisse, quod Tribunatum pl. petere destitit ne iuraret. sed de Repub. non libet plu-
 ra scribere. Displicco mihi, nec sine summo scribo dolore, me tueor, ut oppressis
 omnibus, non demisse: ut tantis rebus gestis, parum fortiter. A Casare valde liberali-
 ter inuitor in legationem illam, sibi ut sim Legatus: atque etiam libera legatio voti
 causa datur. sed hæc & præsidii apud furorem Pulchelli non habet satis, & à fratris ad-
 uentu me ablegat: illa & munitior est, & non impedit quo minus ad sim, cum velim: &
 hanc ego teneo, sed vsurum me non puto. neque tamen scit quisquam. non libet fu-
 gere. aueo pugnare. magna sunt hominum studia. sed nihil affirmo. tu hæc filebis. De
 Statio manumisso, & nonnullis aliis rebus angor equidem: sed iam prorsus occalui. tu, 45
 vellem ego & cuperem, adesses: nec mihi consilium nec consolatio deesset. sed ita te
 para, ut si in clamaro, aduoles. Vale.

CICERO ATTICO S.

MULTA me sollicitant, & ex Reipub. tanto motu, & ex his periculis, quæ mihi ipsi
 inteduntur, & sexcenta sunt: sed mihi nil est molestius, quam Statium manumissum.
 nec meum imperium, ac mitto imperium, non simultatem meam reuereri saltem: nec
 quid faciam scio: neque tantum est in re, quantus est sermo. Ego autem ne irasci qui-
 dem possum iis, quos valde amo. tantum doleo, ac mirifice quidem. cætera in magnis
 rebus, minæ Clodii, contentionesque, quæ mihi proponuntur, modicè me tangunt.
 etenim vel subire eas videor mihi summa cum dignitate, vel declinare nulla cum mo-
 lestia posse. Dices fortasse, Dignitatis alius tanquam *δρῶς*: saluti, si me amas, consule.
 Me miserum, cur non ades: nihil te profecto præteriret. ego fortasse *το φλώπῳ*, & nimium 45
τῷ κελῷ πρῶτον πονηρῶ. scito nihil vnquam fuisse tam infame, tam turpe, tam peræque
 omnibus generibus, ordinibus, ætatibus offensum, quam hunc statum, qui nunc est:
 magis mehercule, quam vellem, non modò quam putaram. populares isti iam etiam
 modestos homines libilare docuerunt. Bibulus in cælo est: nec quare, scio: sed ita lauda-
 tur, quasi vnus homo nobis cunctando restituit rem. Pompeius, nostri amores, quod
 mihi summo dolori est, ipse se afflixit. neminem tenet. voluntate an metu necesse sit
 iis uti, vereor. Ego autem neque pugno cum illa causa propter illam amicitiam: ne-
 que approbo, ne omnia improbem, quæ antea gessi. vtor via. populi sensus maximè in
 teatro & spectaculis perspectus est. nam gladiatoribus quæ dominus, quæ aduoca-
 ti sibilis cõcissi: ludis Apollinaribus Diphilus tragædus in nostrum Pompeium petu- 47
 lanter inuectus est. Nostra miseria tu es Magnus: millies coactus est dicere eadem.

Virtutem istam, veniet tempus, cum grauitur gemes: totius theatri clamore dixit,
 itemque cætera. nam eiusmodi sunt ii versus, uti in tempus ab inimico Pompeii scri-
 pti esse videantur. Si neque leges, neque mores cogunt, & cætera, magno cum fremitu
 & clamore sunt dicta. Casar cum venisset mortuo plausu, Curio filius est infecutus.
 huic ita plausum est, ut salua Reipub. Pompeio plaudi solebat. tulit Casar grauitur. lite-
 ræ Capuam ad Pompeium volare dicebantur. inimici erant equitibus, qui Curioni stan-
 tes plauserant: hostes omnibus: Rosciæ legi, etiam frumentariæ minitabantur. sanè res
 erat perturbata. equidem malueram quod erat susceptum ab illis, silentio transiri: sed
 vereor ne non liceat. non ferunt homines, quod videretur esse tamen ferendum. sed est
 iam vna vox omnium magis odio firmata, quam præsidio. Noster autem Publius 48
 mihi minitatur, inimicus est, impendet negotium: ad quod tu scilicet aduolabis. Vi-
 deor mihi nostrum illum consularem exercitum bonorum omnium, etiam satis bo-
 norum, habere firmissimum. Pompeius significat studium erga me non mediocre.
 Idem affirmat verbum de me illum non esse facturum. in quo non me ille fallit, sed ip-
 se fallitur. Cosconio mortuo, sum in eius locum inuitatus. id erat vocari in locum
 mortui. Nil me turpius apud homines fuisse: neque verò ad istam ipsam *ἀσφάλειαν*
 quicquam alienius. sunt enim illi apud bonos inuidiosi: ego apud improbos meam

retinuissem inuidiam, alienam assumpsissem. Casar me sibi vellet esse legatum. ho-
 nestior hæc declinatio periculi. sed ego hoc non repudio. Quid ergo est? pugnare ma-
 lo, nihil tamen certi. iterum dico, Utinam adesses: sed tamè, si erit necesse, arcessemus.
 49 Quid aliud? quid? hoc, opinor. certi sumus perisse omnia. quid enim *ἀκχιζόμεθα* tan-
 diu: sed hæc scripsi properans, & mehercule timidè. posthac ad te aut si perfidelem ha-
 bebo cui dem, scribam planè omnia: aut si obscure scribam, tu tamen intelliges. in his
 epistolis me Lælium, te Furium faciam. cætera erunt *ἐν ἀνίγμασιν*. Hic Cæcilium coli-
 mus & obseruamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te missa. iis ardet dolore & ira
 noster Pompeius. Vale.

CICERO ATTICO S.

ANICATO, ut te velle intellexeram, nullo loco defui. Numestium ex literis tuis stu-
 diose scriptis, libenter in amicitiam recepi. Cæcilium, quibus rebus possum, tueor di-
 ligenter. Varro satiffacit nobis. Pompeius amat nos, charosque habet. Credis? inquires.
 Credo: prorsus mihi persuadet. sed quia, ut video, pragmatici homines omnibus hi-
 50 storicis præceptis, versibus denique cauere iubent, & vetant credere, alterum facio, ut
 caueam: alterum, ut non credam, facere non possum. Clodius adhuc mihi denuntiat
 periculum. Pompeius affirmat non esse periculum: adiurat: addit etiam se prius oc-
 cisurum iri ab eo, quam me violatum iri. tractatur res. simul quid erit certi, scribam ad
 te. si erit pugnandum, arcessem ad societatem laboris. si quies dabitur, ab Amalthea te
 non commouebo. De Reipub. breuiter ad te scribam: iam enim, charta ipsa ne nos
 prodat, pertimesco. itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribenda, *ἀμνηστειῶς* ob-
 scurabo. nunc quidem nouo quodam morbo ciuitas moritur: ut cum omnes ea quæ
 sunt acta improbem, querantur, doleant, varietas in re nulla sit, apertèque loquan-
 tur, & iam clarè gemant: tamen medicina nulla afferatur. neque enim resisti sine in-
 51 ternecone posse arbitramur: nec videmus, qui finis cedendi, præter exitium futurus
 sit. Bibulus hominum admiratione & beneuolentia in cælo est. edicta eius & con-
 ciones describunt & legunt. nouo quodam genere in summam gloriam venit. popu-
 lare nunc nil tam est, quam odium popularium. hæc quò sint eruptura timeo: sed si
 dispicere quid cœpero, scribam ad te apertius. tu si me amas tantum, quantum profe-
 cto amas, expeditus facito ut sis: si in clamaro, ut accurras. sed do operam, & dabo, ne sit
 necesse. Quod scripseram, te Furium scripturum: nil necesse est tuum nomen muta-
 re. me faciam Lælium, & te Atticum, neque vtar meo chirographo, neque signo, si mo-
 dò erunt eiusmodi literæ, quas in alienum incidere nolim. Diodotus mortuus est:
 reliquit nobis HS. fortasse centies. Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante
 diem xv. Calend. Nouemb. distulit. A Vibio libros accepi. poeta ineptus: nec tamè
 scit nihil, & est non inutilis. describo, & remitto. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Reipub. quid ego tibi subtiliter: tota perii: atque hoc est inferior, quam reliqui-
 sti, quòd tum videbatur eiusmodi dominatio ciuitatem oppressisse, quæ iucunda esset
 multitudini, bonis autem ita molesta, ut tamen sine pernicie: nunc repente tato in o-
 dio est omnibus, ut quorsum eruptura sit, horreamus. nam iracundiam atque intem-
 perantiam illorum sumus experti, qui Catoni irati, omnia perdiderunt. sed ita lenibus
 uti videbantur venenis, ut posse videremur sine dolore interire. nunc verò sibilis vul-
 gi, sermonibus honestorum, fremitu Italiæ, vereor ne exarserint. Equidem sperabam,
 ut sæpe etiam loqui tecum solebam, sic orbem Reipub. esse cõuersum, ut vix sonitum
 audire, vix impressam orbitam videre possemus: & fuisset ita, si homines transitum tẽ-
 pestatis expectare potuissent: sed cum diu occultè suspirassent, postea iam gemere, ad
 52 extremum verò loqui omnes, & clamare cœperunt. Itaque ille amicus noster insolens
 infamiæ, semper in laude versatus, circumfluens gloria, deformatus corpore, fractus ani-
 mo, quò se conferat, nescit: progressum præcipitem, inconstantem reditum videt: bo-

nos inimicos habet, improbos ipsos non amicos. ac vide mollitiē animi: non tenui lachrymas, cum illū ante v. i. i. Cal. Sext. vidi de edictis Bibuli concionantē, qui antea solitus esset iactare se magnificentissimē illo in loco, summo cum amore populi, cunctis fauentibus. Vt ille tum humilis, vt demissus erat: vt ipse etiā sibi, non iis solum qui aderant, displicebat. O spectaculū vni Crasso iucundum, ceteris non itē. nam quia deciderat ex astris, lapsus potius, quā progressus videbatur. & vt Apelles si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illum suum cœno oblitum videret, magnū, credo, acciperet dolorem: sic ego hūc, omnibus à me pictum & politum artis coloribus, subito deformatum non sine magno dolore vidi. quanquam nemo putabat propter Clodianum negotium me illi amicum esse debere. tamen tantus fuit amor, vt exhaustiri nulla posset iniuria. itaque Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita sunt iucunda, vt eum locum, vbi proponuntur, præ multitudine eorum qui legunt, trāsire nequeamus: ipsi ita acerba, vt tabescat dolore: mihi mehercule molesta, quod & eum, quem semper dilexi, nimis excruciant: & timeo, tam vehemens vir, tamque acer in ferro, & tam insuetus contumeliæ, ne omni animi impetu, dolori & iracundiæ pareat. Bibuli qui sit exitus futurus, nescio. vt nūc res se habet, admirabili gloria est. qui cum comitia in mēsem Oct. distulisset, quod solet ea res populi voluntatem offendere, putarat Cæsar oratione sua posse impelli cōcionem, vt iret ad Bibulum. multa cum seditionissimē diceret, vocem exprimere non potuit. Quid quæris? sentiunt se nullam vllius partis voluntatem tenere. eō magis vis nobis est timenda. Clodius inimicus est nobis. Pompeius confirmat, eum nil esse facturum contra me. mihi periculosum est credere. ad resistendum me parō. studia spero me summa habiturum omnium ordinum. te cum ego desidero, tum verò res ad tempus illud vocat. plurimum cōsiliū, animi, præsidii denique mihi, si te ad tempus videro, accesserit. Varro satis mihi facit. Pompeius loquitur diuinitus. spero nos aut cum summa gloria, aut certē sine molestia esse discessuros. Tu quid agas, quemadmodum te oblectes, quid cum Sicyoniis egeris, vt sciam cura. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVAM vellem Romæ mansisses. quod egisses profectō, si hæc fore putassemus. nam Pulchellum nostrū facillimē teneremus, aut certē, quid esset facturum, scire possemus. nūc se res sic habet, volitat, furit, nil habet certi, multis denūtiat: quod fors obtulerit, id acturus videtur. cum videt, quo sit in odio status hic rerum, in eos, qui hæc egerunt, impetum facturum videtur. cum autem rursus opes & vim exercitus recordatur, conuertit se in nos. nobis autem ipsis tum vim, tum iudicium minatur. cum hoc Pompeius egit, & vt ad me ipse referebat (alium enim habeo neminem testem) vehementer egit, cum diceret, in summa se perfidiæ & sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, quem plebeium fieri passus esset: sed fidem recepisse sibi & ipsum & Appium de me, hanc si ille non seruaret, ita laturū vt omnes inteligerēt, nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. hæc, & in eam sententiam cum multa dixisset, aiebat illum primò sanè diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse, & affirmasse nil se contra eius voluntatem esse facturum. sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrimē loqui. quod si non faceret, tamen ei nihil credemus, atque omnia, sicut facimus, pararemus. Nunc ita nos gerimus, vt in dies singulos & studia in nos hominum, & opes nostræ augeantur. Rempub. nulla ex parte attingimus. in causis, atque in illa opera nostra forensi, summa industria versamur. quod egregiè non modò iis qui vtuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus. domus celebratur: occurritur: renouatur memoria Consulatus: studia significantur: in eam spem adducimur, vt nobis ea cōtentio, quæ impendet, interdum non fugienda videatur. nunc mihi & consiliis opus est tuis, & amore, & fide. quare aduola. expedita mihi erunt omnia, si te habebō. Multa per Varronem nostrum agi possunt, quæ te urgente erunt firmiora: multa ab ipso Publio elici, multa cognosci, quæ

tibi occulta esse non poterunt: multa etiam, sed absurdum est singula explicare, cum ego te requirā ad omnia. vnum illud tibi persuadeas velim, omnia mihi fore explicata, si te videro. sed totum est in eo, si antè quā ille ineat magistratū. puto per Pompeium Crasso urgente, si tu aderis, qui per *βωπιδα* ex ipso intelligere possis, qua fide ab illis agatur, nos aut sine molestia, aut certē sine errore futuros. precibus nostris & cohortatione non indiges. quid mea voluntas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet, intelligis. De Repub. nihil habeo ad te scribere, nisi summum odium omnium hominum in eos qui tenent omnia: mutationis tamen spes nulla. sed quod facillē sentias, tædet ipsum Pompeium, vehementerque pœnitet. non prouideo satis, quem exitum futurum putem. sed certò videntur hæc aliquò eruptura. Libros Alexandri, negligentis hominis, & non boni poëtæ, sed tamen non inutilis, tibi remisi. Numerium Numestium libenter accepi in amicitiam, & hominem grauem, & prudētem, & dignum tua commendatione cognoui. Vale.

CICERO ATTICO S.

NVNQVAM antè arbitror te epistolam meam legisse, nisi mea manu scriptam. ex eo colligere poteris, quanta occupatione distinear. nam cum vacui temporis nil haberem, & cum recreandæ voculæ causa necesse esset mihi ambulare, hæc dictaui ambulans. Primū igitur illud te scire volo, Sampliceramum nostrum amicum vehementer sui status pœnitere, restitūque in eum locum cupere, ex quo decidit, dolorēque suum impertire nobis, & medicinam interdum apertè quærere, quam ego possum inuenire nullam: deinde omnes illius partis authores ac socios nullo aduersario consensescere: consensionem vniuersorum nec voluntate, nec sermone maiorem vnquam fuisse. Nos autē (nam id te scire cupere certò scio) publicis consiliis nullis interfumus, totosque nos ad forensē operam, laborēque contulimus. ex quo, quod facillē intelligi possit, in multa commemoratione earum rerum, quas gessimus, desiderioque versamur. sed *βωπιδος* nostri consanguineus non mediocres terrores iacit atque denuntiat, & Sampliceramo negat, ceteris præ se fert, & ostentat. Quamobrem si me amas tantum, quantum profectō amas: si dormis, expergiscere: si stas, ingredi: si ingredieris, curre: si curris, aduola. credibile non est, quantum ego in consiliis & prudentia tua, quodque maximum est, quantum in amore & fide ponam. magnitudo rei longam orationem fortasse desiderat: coniunctio verò nostrorum animorum breuitate contenta est. permagni nostra interest, te si comitiis non potueris, at declarato illo, esse Romæ. Cura vt valeas.

CICERO ATTICO S.

QVAS Numestio literas dedi, sic te his euocabam, vt nihil acrius neque incitatus fieri posset. ad illam celeritatem adde etiam siquid potes, ac ne sis perturbatus. noui enim te, & non ignoro, quā sit amor omnis sollicitus atque anxius. sed res est, vt spero, non tam exitu molesta, quā auditu. Vectius ille, ille noster index, Cæsari vt perspicimus, pollicitus est, sese curaturum, vt in aliquam suspicionem facinoris Curio filius adduceretur. Itaque insinuatus in familiaritatem adolescentis, & cum eo, vt res indicat, sæpe congressus, rem in eum locum deduxit, vt diceret sibi certum esse cum suis seruis in Pompeium impetum facere, eumque occidere. Hoc Curio ad patrē detulit, ille ad Pompeium. Res delata ad Senatū est. introductus Vectius, primò negabat se vnquam cum Curione restitisse, neque id sanè diu. nam statim fidem publicam postulauit. reclamatum est. tum exposuit manum fuisse iuuentutis duce Curione, in qua Paulus initio fuisset, & Cn. Cepio hic Brutus, & Lentulus Flaminis filius cōscio patre: postea C. Septimium scribam Bibuli pugionem sibi à Bibulo attulisse. quod totum irrisum est: Vectio pugionem defuisse, nisi ei Consul dedisset. eoque magis id eiectum est, quod ad i. i. Id. Maii Bibulus Pompeium fecerat certiore, vt caueret insidias. in quo ei Pompeius gratias egerat. introductus Curio filius, dixit ad ea quæ Vectius dixe-

rat, maximèque in eo tum quidem Vectius est reprehensus, quòd dixerat adolescentum consilium, ut in foro cum gladiatoribus Gabinii Pompeium adorirentur, in eo principem Paulum fuisse, quem constabat eo tempore in Macedonia fuisse. fit s. c. ut Vectius, quòd confessus esset se cum telo fuisse, in vincula coniceretur: qui cum emisisset, contra Rempub. esse facturum. Res erat in ea opinione, ut putarent id esse actum, ut Vectius in foro cum pugione, & item serui eius comprehenderentur cum telis: deinde ille se diceret indicaturum. idque ita actum esset, nisi Curiones rem antè ad Pompeium detulissent. tum s. c. in concione recitatum est. Postero autem die Cæsar, is qui olim Prætor cum esset, Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, Vectium in Rostra produxit, eumque in eo loco constituit, quòd Bibulo c o s. aspirare non liceret. hic ille omnia quæ voluit, de Repub. dixit, ut qui illuc factus, institutusque venisset. primum Cepionem de oratione sua sustulit, quem in Senatu acerrimè nominarat: ut appareret noctem & nocturnam deprecationem intercessisse. deinde quos in Senatu tenuissima quidem suspitione attigerat, eos nominavit: Lucullum, à quo solitum esse ad se mitti C. Fannium, illum qui in P. Clodium subscripserat: L. Domitium, cuius domum constitutam fuisse, unde eruptio fieret, me non nominavit: sed dixit, cōsularem disertum, vicinum Cōsuli, sibi dixisse, Aham Seruiliū aliquem, aut etiam Brutum opus esse reperiri. Addidit ad extremum, cum iam dimissa concione reuocatus à Vatinio fuisset, se audisse à Curione, his de rebus cōscium esse Pisonem generum meum, & M. Laterensem. nunc reus erat apud Crassum diuitem de vi: & cum esset damnatus, erat iudicium postulaturus: quod si impetrasset, iudicia fore videbantur. ea nos, utpote qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus. hominum quidem summa erga nos studia significabantur: sed prorsus vitæ tædet, ita sunt omnia omnium miseriarum plenissima. modò eadem timueramus, quam oratio fortissimi senis Q. Confidii discusserat: ea quam quotidie timere potueramus, subito exorta est. Quid quæris? nil me infortunatius, & Catulo, cum splendore vitæ, tum hoc tempore. nos tamen in his etiam miseris erecto animo, & minimè perturbato sumus, honestissimèque dignitatem nostram, & magna cura tuemur. Pompeius de Clodio iubet nos esse sine cura, & summam in nos benevolentiam omni ratione significat. te habere consiliorum authorem, solitudinum socium, omni in cogitatione coniunctum cupio. Quare ut Numestio mandavi, tecum ut ageret, item atque eo, si potest, acrius te rogo, ut planè ad nos aduoles. respiraro, si te videro. Vale.

CICERO ATTICO S.

cum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te me id fecisse, ut nuper me scis scripsisse ad te de Varronis erga me officio, te ad me rescripsisse eam rem summam tibi voluptati esse. sed ego mallem ad illum scripsisses, mihi illum fatiffacere. mirabiliter enim moratus est, sicut nosti, ἐλκεῖ, καὶ ἔδεν. nos tenemus præceptum illud, ἡδὴ τῆς κρατύντων. At hercule alter tuus familiaris Hortensius quam plena manu, quam ingenuè, quam ornatè nostras laudes in astra sustulit, cum de Flacci Prætura, & de illo tempore Allobrogum diceret. sic habeto, nec amantius, nec honorificentius, nec copiosius potuisse dici. ei te hoc scribere à me tibi esse missum sanè volo. sed quid tu scribas, quem iam ego venire atque adesse arbitror: ita enim egi tecum superioribus literis. valde te expecto, valde desidero: neque ego magis quam ipsa res, & tempus poscit. his de negotiis quid scribam ad te, nisi idem quod sæpe? Repub. nil desperatius: his quorum opera, nihil maiore odio. Nos ut opinio, & spes, & coniectura nostra fert, firmissima benevolentia hominum muniti sumus. quare aduola, aut expedies nos omni molestia, aut eris particeps. Ideo sum breuior, quòd, ut spero, coram breui conferre, quæ volumus, licebit. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER III.

CICERO ATTICO S.



antea maximè nostra interesse arbitrabar, te esse nobiscum: tum verò ut legi rogationem, intellexi ad iter, quod constitui, nil mihi optatius cadere posse, quam ut tu me quamprimum consequare, ut cum ex Italia profecti essemus, siue per Epeirum iter esset faciendum, tuo, tuorumque præsidio uteremur: siue aliud quid agendum esset, certum consilium de tua sententia capere possemus. Quamobrem te oro, des operam ut me statim consequare. facilius potes, quoniam de prouincia Macedonia perlata lex est. Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur. Vale.

CICERO ATTICO S.

ITINERIS nostri causa fuit, quòd non habebam locum, ubi pro meo iure diutius esse possem, quam in fundo Siccæ, præsertim nodum rogatione correctæ. & simul intelligebam, ex eo loco, si iter haberem, posse me Brundisium referre: sine te autem non esse nobis illas partes tenendas propter Antronium. Nunc, ut ad te antea scripsi, si ad nos veneris, consilium totius rei capiemus. iter esse molestum scio: sed tota calamitas omneis molestias habet. Plura scribere non possum, ita sum animo percussus & abiectus. Cura ut valeas. D. v. Id. April. Naryci Locridis.

CICERO ATTICO S.

VTINAM illum diem videam, cum tibi agam gratias, quòd me viuere coëgisti. adhuc quidem valde me pœnitet. sed te oro, ut ad me Vibonem statim venias, quòd ego multis de causis conuerti iter meum. sed eò si veneris, de toto itinere ac fuga mea consilium capere potero. si id non feceris, mirabor. sed confido te esse facturum. Vale.

CICERO ATTICO S.

MISERIAE nostræ potius velim, quam inconstantia tribuas, quòd à Vibone, quòd te arcessebamus, subito discessimus. allata est enim nobis rogatio de pernicie mea: in qua quod confectum esse audieramus, erat huiusmodi, ut mihi ultra quadringenta millia liceret esse. illò cum peruenire non liceret, statim iter Brundisium versus contuli ante diem rogationis, ne & Sicca, apud quem eram, periret, & quòd Melitæ esse non licebat. Nunc tu propera ut nos consequare, si modò recipiemur. adhuc inuitamur benignè: sed quod superest, timemus. Me mi Põponi valde pœnitet viuere. qua in re apud me tu plurimum valuisti. sed hæc coram. fac modò ut venias. Vale.

CICERO ATTICO S.

TERENTIA tibi & sæpe, & maximas gratias agit. id est mihi gratissimum. ego viuo miserimus, & maximo dolore conficior. Ad te quid scribam, nescio. si enim es Roma, iam me assequi non potes: sin es in via, cum eris me affecutus, coram agemus quæ erunt agenda. tantum te oro, ut quoniam me ipsum semper amasti, eodem amore sis: ego enim idem sum. Inimici mei mea mihi, non me ipsum ademerunt. Cura ut valeas. VIII. Id. Apr. Thurii.

CICERO ATTICO S.

NON fuerat mihi dubium, quin te Tarenti aut Brundisii visurus essem: idque ad multa pertinuit, in eis, ut & in Epeiro consisteremus, & de reliquis rebus tuo consilio uteremur. quoniam id non contigit, erit hoc quoque in magno numero nostrorum malorum. Nobis iter est in Asiam, maximè Cyzicum. tibi meos commendo. me vix, mihi serèque sustento. Vale. D. XIII. Calend. Maii, Tarenti.

CICERO ATTICO S.

BRVNDVSIVM veni ad Calend. Maias. eo die pueri tui mihi à te literas reddide-
S. i.

runt: & alii pueri post diem tertium eius diei literas alias attulerunt. Quod me rogas & hortaris, ut apud te in Epeiro sim: volūtas tua mihi valde grata est, & minimè noua, & consilium mihi quidem optatum, si liceret ibi omne tempus consumere (odi enim celebritatem, fugio homines, lucem aspicere vix possum: esset mihi ista solitudo, præfertim tam familiari in loco, non amara) sed itineris causa, ut diuertar, primum est deuium, deinde ab Antronio & cæteris quadridui: deinde sine te. nam castellum munitum habitati mihi prodesset, transeunti non esset necessariū. Quod si auderem, Athenas peterem, sanè ita cadebat, ut vellem. nunc & nostri hostes ibi sunt, & te non habemus: & veremur ne interpretentur, illud quoque oppidum ab Italia non satis abesse: nec scribis, quam ad diem te expectemus. Quod me ad vitam vocas: vnum efficis, ut à me manus abstineam: alterum non potes, ut me non nostri consilii utique pœniteat. quid enim est, quod me retineat, præfertim si spes ea non est, quæ nos proficiscētes prosequatur? Non faciam ut enumerem miseras omnes, in quas incidi per summam iniuriam & scelus non tam inimicorum meorū, quàm inuidorum: ne & meum mœrorem exagitem, & te in eundem luctum vocem. hoc confirmo, neminem vnquam tanta calamitate esse affectum, nemini mortem magis optandā fuisse. cuius optendæ tempus honestissimum prætermisum est. Reliqua tempora non sunt tam ad medicinam, quàm ad finem doloris. De Repub. video te colligere omnia, quæ putes aliquam spem mihi posse afferre mutandarum rerum. quæ quanquam exigua sunt: tamen quoniam placet, expectemus. Tu nihilo minus, si properaris, nos consequere. nam aut accedemus in Epeirum, aut per Candauiam tardè ibimus. dubitationem autem de Epeiro non inconstantia nostra afferebat, sed quòd de fratre, vbi eum visuri essemus, nesciebamus. quem quidē ego nec quomodo visurus, nec vbi dimissurus sim, scio. id est maximum & miserrimum mearum omnium miseriarum. Ego & sapius ad te, & plura scriberem, nisi mihi dolor meus cum omnis parte mentis, tum maximè huius generis facultatem ademisset. videre te cupio. Cura ut valeas. Prid. Calēd. Maii, Brundusii, proficiscens.

CICERO ATTICO S.

SCRIPSERAM ad te, quas ob causas in Epeirum non essemus profecti: quòd & Achaia propè esset, plena audacissimorum inimicorum: & exitus difficiles haberet. Cum inde proficisceremur, accessit, cum Dyrrhachii essemus, ut duo nuntii afferrentur: vnus, classe fratrem Epheso Athenas: alter, pedibus per Macedoniam venire. Itaque illi obuiam misimus Athenas, ut inde Thessalonicam veniret. ipsi processimus, & Thessalonicam ad x. Calēd. Iun. venimus. neque de illius itinere quicquam certi habebamus, nisi eum ab Epheso antè aliquantò profectum. Nunc, istic quid agatur, magnopere timeo. quanquā tu altera epistola scribis Idib. Maii, audire, fore ut acrius postularer: altera, iam esse mitiora. sed hæc pridie data, quàm illa: quo conturbor magis. Itaque cum meus me mœror quotidianus lacerat & conficit: tum verò hæc addita cura vix mihi vitam reliquam facit. sed & nauigatio perdifficilis fuit: & ille incertus, vbi ego essem, fortasse alium cursum petiuit. nam Phaeto lib. eum non vidit: vento reiectus ab illo in Macedoniam, Pellæ mihi præsto fuit. Reliqua quàm mihi timenda sint, video. nec quid scribam, habeo: & omnia timeo. nec tam miserum est quicquam, quod nō in nostram fortunā cadere videatur. Equidem adhuc miser in maximis meis ærumnis & luctibus hoc metu adiecto maneo Thessalonicæ suspensus, nec audeo quicquam. Nunc ad ea quæ scripsisti. Tryphonem Cæciliū non vidi. Sermonem tuum, & Pompeii cognoui ex tuis literis. Motum in Repub. non tantum ego video, quantum tu aut vides, aut ad me consolandum affers. Tigrane enim neglecto, sublata sunt omnia. Varroni me iubes agere gratias: faciā: item Hypsæo. Quod suades, ne longius discedamus, dum acta mensis Maii ad nos perferantur: puto me ita esse facturum, sed vbi, nondum statui: atque ita perturbato sum animo de Quin-

to, ut nihil queam statuere: sed tamen statim te faciam certiore. Ex epistolarum mearum inconstantia, puto te mentis meæ motum videre. qui, etsi incredibili & singulari calamitate afflictus sum, tamen non tam est ex miseria, quàm ex culpæ nostræ recordatione commotus. cuius enim scelere impulsus ac proditi sumus, iam profectò vides: atque vtinam iam antè vidisses, neque totum animum tuum mœrori mecum simul dedisses. Quare, cum me afflictum & confectum luctu audies, existimato me stultitiæ meæ pœnam ferre grauius, quàm euenti, quòd ei crediderim quem esse nefarium non putaram. Me & meorum malorum memoria, & metus de fratre in scribendo impedit. tu ista omnia vide & governa. Terentia tibi maximas gratias agit. literarum exemplum, quas ad Pompeium scripsi, misi tibi. Vale. D. III. I. Calēd. Maii, Thessalonicæ.

CICERO ATTICO S.

QVINTVS frater cum ex Asia discessisset ante Calēd. Maias, & Athenas venisset Idibus, valde fuit ei properandum, nequid absens acciperet calamitatis, si quis forte fuisset qui contentus nostris malis non esset. itaque malui eum properare Romam, quàm ad me venire. & simul (dicam enim quod verum est, ex quo magnitudinem miseriarum mearum perspicere possis) animum inducere non potui, ut aut illum amatissimum mei, mollissimo animo, tanto in mœrore aspicerem, aut meas miseras luctu afflictas, & perditam fortunam illi offerrem, aut ab illo aspici paterer. Atque etiam illud timebam, quod profectò accidisset, ne à me digredi non posset. versabatur mihi tempus illud ante oculos, cum ille aut lictores dimitteret, aut vi euelleretur ex complexu meo. huius acerbitatis euentum altera acerbitate non videndi fratris vitauit. in hunc me casum vos viuendi authores impulistis. itaque mei peccati luo pœnas. Quàmquam tuæ me literæ sustentant, ex quibus, quantum tu ipse speres, facile perspicio. quæ quidem tamen aliquid habebant solatii antè quàm eò venisti, à POMPEIO. nunc Hortensium allice, & eiusmodi viros. Obsecro mi Pompeii nondum perspicis, quorum opera, quorum insidiis, quorum scelere perierimus? Sed tecum hæc coram agemus. tantum dico, quod scire te puto: nos non inimici, sed inuidi perdiderunt. nunc si ita sunt, quæ speras, sustinebimus nos, & spe qua iubes, nitentur. sin vt mihi videntur, infirma sunt: quod optimo tempore facere non licuit, minus idoneo fiet. Terentia tibi sæpe gratias agit. Mihi etiam vnum de malis in metu est, fratris miseri negotium: quod si sciam cuiusmodi sit, sciam quid agendum mihi sit. Me etiam nunc istorum beneficiorum & literarum expectatio, ut tibi placet, Thessalonicæ tenet. siquid erit noui allatum, sciam de reliquo quid agendum sit. Tu, si vt scribis, Calēd. Iun. Roma profectus es, propediem nos videbis. literas, quas ad Pompeium scripsi, tibi misi. Vale. Idib. Iun. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO S.

ACTA quæ essent vsque ad VIII. Cal. Iun. cognoui ex tuis literis. reliqua expectabam (vt tibi placebat) Thessalonicæ. quibus allatis, facilius statuere potero vbi sim. nā si erit causa, siquid agatur, si spem videro, aut ibidem opperiar, aut me ad te cōferam: sin, vt tu scribis, ista euauerint, aliud aliquid videbimus. omnino adhuc nihil mihi significatis, nisi discordiam istorum, quæ tamen inter eos de omnibus potius rebus est, quàm de me. Itaque quid ea mihi profit, nescio. sed tamen, quoad me vos sperare vultis, vobis obtemperabo. Nam quòd me tam sæpe, & tam vehementer obiurgas, & animo infirmo esse dicis: quæso, ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? Ecquis vnquā ex tam amplo statu, in tam bona causa, tantis facultatibus ingenii, consilii, gratiæ, tantis præfidiis bonorum omnium concidit? Possim obliuisci qui fuerim, non sentire qui sim? quo caream honore? qua gloria? quibus liberis? quibus fortunis? quo fratre? quem ego (vt nouum calamitatis genus attendas) cum pluris facerem, quàm me ipsum, semperque fecissem, vitauit ne viderem: ne aut illius luctum,

sqvallorémque aspiceré: aut me, quem ille florétissimum reliquerat, perditum illi afflic-
túmque offerre. mitto cætera intolerabilia: etenim fletu impediór. Híc vtrum tandem
sum accusandus, quòd doleo, an quòd cõmisi, vt hæc aut non retinerem (quod facilè fu-
isset, nisi intra parietes meos de mea pernicio consilia inirentur) aut certe viuus amit-
terem? Hæc eò scripsi, vt potius releuares me, quod facis, quàm aut castigatione aut ob-
iurgatione dignũ putares. eoque ad te minus multa scribo, quòd & mœrore impediór: 15
& quid expectem istinc, magis habeo, quàm quid ipse scribam. quæ si erunt allata, faciã
re nostri consilii certiorẽ. tu, vt adhuc fecisti, quam plurimis de rebus ad me velim scri-
bas, vt prorsus nequid ignorem. Vale. D. XIII. Calend. Quint. Thessalonica.

CICERO ATTICO S.

ME & tuã literã, & quidam boni nuntii, non optimis tamen authoribus, & expecta-
tio vestrarum literarum, & quòd tibi ita placuerat, adhuc Thessalonica tenebant. si ac-
cepero literas, quas expecto: si spes erit ea quæ rumoribus afferebatur, ad te me con-
feram: si non erit, faciam te certiorẽ quid egerim. Tu me vt facis, opera, consilio, gra-
tia iuuas: consolari iam desine: obiurgare verò noli. quod cum facis, vt ego tuum amo-
rem & dolorem desidero: quem ita affectum mea ærumna esse arbitror, vt te ipsum cõ- 16
solari nemo possit. Quintum fratrem optimum humanissimumque sustenta. Ad
me, obsecro te, vt omnia certa perscribas. Vale. D. IIII. Calend. Quint.

CICERO ATTICO S.

TV quidem sedulò argumentaris, quid sit sperandum, & maximè per Senatum:
idẽmque caput rogationis proponi scribis, quare in Senatu dici nihil liceat: itaque si-
letur. Híc tu me accusas, quòd me afflictem, cum ita sim afflictus, vt nemo vnquam:
quod tute intelligis. spem ostendis secundum comitia, quæ ista est eodem Tribuno
pleb. & inimico Consule Des: Percussisti autẽ me etiam de oratione prolata. cui vul-
neri, vt scribis, medere, siquid potes. scripsi equidem olim ei iratus, quòd ille prior scri-
pserat, sed ita compresseram, vt nunquam emanaturam putarem: quomodo excide- 17
rit, nescio. sed quia nunquam accidit, vt cum eo, verbo vno concertarem, & quia scri-
pta mihi videtur negligentius, quàm cæteræ: puto posse probari non esse meam. id, si
putas me posse sanari, cures velim. sin planè perii, minus laboro. Ego etiam nũc eo-
dem in loco iaceo sine sermone vllò, sine cogitatione vlla. Licet tibi (vt scribis) signifi-
carem, vt ad me venires Sidona: tamen intelligo te istic prodesse, hic ne verbo quidem
leuare me posse. Nõ queo plura scribere: nec est quod scribam. vestra magis expecto.
Vale. D. XVI. Calend. Sext. Thessalonica.

CICERO ATTICO S.

QVOD ad te scripseram, me in Epeiro futurum: posteaquam extenuari spem no-
stram, & euanescere vidi, mutauit consilium, nec me Thessalonica commouit, vbi esse
constitueram, quoad aliquid ad me de eo scriberes, quod proximis literis scripseras, fo- 18
re, vt secundum comitia aliquid de nobis in Senatu ageretur: id tibi Pompeium dixisse.
Qua de re, quoniam comitia habita sunt, túque nil ad me scribis, perinde habeo, ac
si scripsisses nihil esse, meque temporis non longinqui spe ductum esse molestè feram.

Quem autem motum te videre scripseras, qui nobis utilis fore videretur, eum nun-
tiant, qui veniunt, nullum fore. In Tribb. pleb. Dess. reliqua spes est. quam si expe-
ctaro, non erit quòd putes me causã meã ac voluntati meorum defuisse. Quòd me
sæpe accusas, cur hunc meum casum tam grauitè feram: debes ignoscere, cum ita me
afflictum videas, vt neminem vnquam nec videris, nec audieris. Nam quòd scribis te
audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi verò mens integra est. atque vti-
nam tam in periculo fuisset, cum ego iis, quibus meam salutem charissimam esse arbi-
trabar, inimicissimis, crudelissimisque vsus sum: qui vt me paulum inclinari timore vi- 19
derunt, sic impulerunt, vt omni suo scelere & perfidia abuterentur ad exitium meum.
Nunc, quoniam est Cyzicum nobis eundem, quo rarius ad me literæ perferentur, hoc

velim diligētius omnia, quæ putaris me scire opus esse, perscribas. Quintum fratrem
meum fac diligas. quem ego miser si incolumem relinquo, non me totum perisse ar-
bitror. Vale. Non. Sext.

CICERO ATTICO S.

EX TVIS literis plenus sum expectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit aut
ostendat. comitia enim credo esse habita: quibus absolutis, scribis illi placuisse agi de
nobis. Si tibi stultus esse videor, qui sperẽ, facio tuo iussu, & scio te me iis epistolis po-
tius, & meas spes solitum esse remorari. nũc velim mihi planè perscribas, quid videas.
20 Scio nos nostris multis peccatis in hæc ærumnam incidisse. ea siqui casus ex parte cor-
rexerint, minus molestè feremus nos vixisse, & adhuc viuere. Ego propter viã celebri-
tatem & quotidianam expectationem rerum nouarum non cõmoui me adhuc Thes-
salonica, sed iam extrudimur, non à Plancio (nam is quidem retinet) verum ab ipso lo-
co minimè apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. In Epeirum ideo,
vt scripseram, non iui, quòd subiti mihi vniuersi nuntii venerant, & literæ, quare nihil
esset necesse quam proximè Italiam esse. hinc si aliquid à comitiis audierimus, nos in
Asiam conuertemus: neque adhuc stabat, quò potissimum: sed scies. Vale. XII. Ca-
lend. Sext. Thessalonica.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI Idib. Sext. quatuor epistolas à te missas: vnam qua me obiurgas, & rogas vt
21 sim firmior: alteram, qua Crassi libertum ais tibi de mea solitudine maciẽque narra-
sse: tertiam, qua demonstras acta in Senatu: quartam, de eo quòd à Varrone scribis tibi
esse confirmatum de voluntate Pompeii. Ad primam tibi hoc scribo, me ita dolere,
vt non modò à mente non deserar, sed id ipsum doleam, me tam firma mente vbi v-
tar, & quibuscum, non habere. nam si tu me vno non sine mœrore cares, quid me cen-
ses, qui & te & omnibus? & si tu incolumis me requiris, quomodo à me ipsam incolu-
mitatem desiderari putas? Nolo commemorare quibus rebus sim spoliatus, non so-
lùm quia non ignoras, sed etiam ne scindam ipse dolorem meum. hoc confirmo, ne-
que tantis bonis esse priuatum quenquam, neque in tantas miseras incidisse. Dies au-
tem non modò non leuat luctum hunc, sed etiam auget. nam cæteri dolores mitigan-
tur vetustate, hic non potest non & sensu præsentis miseriã, & recordatione præteritã
22 vitæ quotidie augeri. desidero enim non mea solùm, neque meos, sed me ipsum, quid
enim sum? sed non faciam vt aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus
sæpius manus afferam. Nam quòd purgas eos, quos ego mihi scripsi inuidisse, & in eis
Catonem: ego verò tãtùm illum puto ab isto scelere abfuisse, vt maximè doleam plus
apud me simulationem aliorum, quàm istius fidem valuisse. cæteri, quos purgas, de-
bèt mihi purgati esse, tibi si sunt. sed hæc serò agimus. Crassi libertum nihil puto sin-
cere locutum. In Senatu rem probè scribis actam. sed quid Curio? an illam orationẽ
non legit? quæ vnde sit prolata, nescio. sed Axius eiusdem diei scribēs ad me acta, non
ita laudat Curionẽ. at potest ille aliquid prætermittere: tu nisi quod erat, profectò non
scripsisti. Varronis sermo facit expectationem Cæsaris. atque vtinam ipse Varro incũ-
23 bat in causam. quod profectò cum sua sponte, tum te instante faciet. Ego, si me aliquã-
do vestri, & patriæ compotem fortuna fecerit, certè efficiam, vt maximè latere vnus
ex omnibus amicis: meaque officia & studia, quæ parum antea luxerunt (fatendum est
enim) sic exequar, vt me æquè tibi, ac fratri, & liberis nostris, restitutum putes. Siquid in
te peccaui, ac potius quoniam peccaui, ignosce. in me enim ipsum peccaui vehemen-
tius. neque hæc eò scribo, quòte non meo casu maximo dolore esse affectum sciam:
sed profectò, si quantum me amas & amasti, tantum amare deberes ac debuisses, nun-
quam esses passus me, quo tu abundas, egere consilio: nec esses passus mihi persuade-
ri, vtile nobis esse, legem de collegiis. perferri. Sed tu tantum lachrymas præbuisisti do-
lori meo, quod erat amoris, tãquam ipse ego: quod meritis meis profectum esse potuit,
S. iii.

vt dies & noctes quid mihi faciendum esset, cogitares, id abs te meo, nō tuo scelere præ-
 termissum est. Quod si non modò tu, sed quisquā fuisset, qui me Pompeii minus libe-
 rali respōso perterritum à turpissimo consilio reuocaret, quod vnus tu facere maximè
 potuisti: aut occubuissem honestè, aut victores hodie viueremus. Hic mihi ignoscas.
 me enim ipsum multò magis accuso: deinde te quasi me alterum: & simul meæ culpæ
 sociū quæro. si restitutor, etiā minus videbimur deliquisse: abs teque certè quoniam nul-
 lo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur. Quod te cum Culleone scribis de priuilegio
 locutum, est aliquid, sed multò est melius abrogari. si enim nemo impedit, sic est fir-
 mius: sin erit, qui ferri non sinat, idem s. c. intercedet. nec quicquā aliud opus est, quàm
 abrogari. nam prior lex nos nihil lædebat: quam si, vt est promulgata, laudare voluisse-
 mus, aut vt erat negligenda, negligere: nocere omnino nobis non potuisset. Hic mihi
 primùm non modò cōsiliū defuit, sed etiā obfuit. cæci, cæci inquam fuimus in vesti-
 tu mutando, in populo rogando. quod, nisi nominatim mecum agi cœptum esset, fie-
 ri perniciosum fuit. Sed pergo præterita: veruntamen ob hanc causam, vt siquid agere-
 tur, legem illā, in qua popularia multa sunt, ne tangatis. verùm est stultū me præcipere
 quid agatis, aut quomodo. vtinā modò agatur aliquid. Multa occultant tuā literā, cre-
 do ne vehementius desperatione perturber. quid enim vides agi posse, aut quomodo?
 per Senatūmne? aut tute scripsisti ad me, quoddā caput legis Clodium in curiā poste fi-
 xisse, ne referri, néue dici liceret. Quomodo igitur Domitius se dixit relaturū: quomo-
 do autem iis, quos tu scribis, & de re dicentibus, & vt referretur postulantibus, Clodius
 tacuit? At si per populum, poteritne nisi de omnium Tribunorum pl. sentētia: quid de
 bonis: quid de domo: poteritne restituui: aut, si non poterit, egomet quomodo potero?
 hæc nisi vides expediri, quam in spem me vocas: si autem spei nihil est, quæ est mihi vi-
 ta? Itaque expecto Thessalonicæ acta Calend. Sext. ex quibus statuam, in tuosne agros
 confugiam, vt neque videam homines, quos nolim, & te, vt scribis, videam, & propius
 sim, siquid agatur: idque intellexi cum tibi, tum Quinto fratri placere: an abeam Cyzi-
 cum. Nunc Pomponi, quoniam nil impertisti tuæ prudentiæ ad salutem meam, quod
 aut in me ipso fatis esse consilii decreueras: aut te nil mihi plus debere, quàm vt præsto
 esses: quandoquidem ego proditus, inductus, coniectus in fraudem, omnia mea præsi-
 dia neglexi, totam Italiam in me erectam ad me defendendum destitui & reliqui: me
 meis tradidi inimicis, inspectante & tacente te: qui si non plus ingenio valebas quàm
 ego, certè timebas minus: si potes erige afflictos, & in eo nos iuuas. sin omnia sunt ob-
 structa, id ipsum fac vt sciamus: & nos aliquando aut obiurgare, aut comiter consola-
 ri desine. Ego si tuam fidē accusarem, non me potissimum tuis tectis crederem. meam
 amentiam accuso, quod à te tantum amari, quantum ego vellem, putavi. quod si fuisset,
 fidem eandem, curam maiorem adhibuisses, me certè ad exitium præcipitantem reti-
 nuisses: istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis, non subiisses. Quare fac vt
 omnia ad me perspecta & explorata perscribas, meque, vt facis, velis esse aliquem, quo-
 niam qui fui, & qui esse potui, iam esse non possum: & vt his literis, nō te, sed me ipsum
 à me esse accusatum putes. Siqui erunt, quibus putes opus esse meo nomine literas da-
 ri, velim conscribas, curésque dandas. Vale. D. xiiii. Calend. Septemb.

CICERO ATTICO S.

TOTVM iter mihi incertum facit expectatio literarum tuarum Calend. Sext. datarū,
 non aliud aliquid. si spes erit, Epeirum: sin minus, Cyzicum, aut aliud quid sequemur. 18
 Tuæ quidem literæ, quo sæpius à me leguntur, hoc spem faciūt mihi minorem, quàm
 cum lectæ sunt. tum id, quod attulerunt ad spem, infirmant: vt facilè appareat te & cō-
 solationi seruire, & veritati. idque te rogo planè, vt ad me, quæ scis, vt erunt: quæ puta-
 bis, ita scribas. Vale. D. xii. Calend. Septemb.

CICERO ATTICO S.

DE Quinto fratre nuncii nobis tristes, nec varii venerāt ex ante diē Non. Iun. vsque

ad prid. Cal. Septemb. eo autē die Liuinus M. Reguli lib. ad me à Regulo missus venit.
 is omnino mentionem nullam factam esse nuntiauit, sed fuisse tamen sermonem de
 C. Clodii filio, isque mihi tum à fratre literas attulit. sed postridie Sestii pueri venerunt,
 19 qui à te literas attulerunt, non tam exploratas à timore, quàm sermo Liuini fuerat. sanè
 sum in meo infinito mœrore sollicitus, & eò magis, quod Appii quæstio est. Cætera quæ
 ad me eisdē literis scribis de nostra spe, intelligo esse languidiora, quàm alii ostendunt.
 Ego autem, quoniam non longè ab eo tempore absumus, in quo res diiudicabitur, aut
 ad te conferam me, aut etiam nunc circum hæc loca cōmorabor. Scribit ad me fra-
 ter omnia sua per te vnum sustineri. quid te aut hortet, quod facis: aut agā gratias, quod
 non expectas: tātum velim fortuna det nobis potestatem, vt incolumes amore nostro
 perfruamur. Tuas literas semper maximè expecto. in quibus caue ne aut diligētia tua
 mihi molesta aut veritas acerba sit. Vale. D. prid. Non. Septemb.

CICERO ATTICO S.

30 EXPECTATIONEM nobis non paruam attuleras, cum scripseras Varronem tibi
 pro amicitia confirmasse, causam nostram Pompeium certè suscepturum, & simul à
 Cæsare ei literæ, quas expectaret, remissæ essent, authorem etiam daturum. Vtrum id
 nihil fuit, an aduersatæ sunt Cæsaris literæ: an est aliquid in spe? etiam illud scripseras
 eundem secundum comitia dixisse. fac (si vides quantis in malis iaceam, & si putas es-
 se humanitatis tuæ) me, fac de tota causa nostra certiosem. nam Q. frater homo mi-
 rus, qui me tam valde amat, omnia mittit spei plena, metuens credo defectionem ani-
 mi mei. tuæ autem literæ sunt variæ: neque enim me desperare vis: nec temerè spera-
 re. Fac, obsecro te, vt omnia, quæ prospici à te possunt, sciamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVOD eiusmodi mihi literæ à vobis afferebantur, vt aliquid ex iis esset expectan-
 dum, spe & cupiditate Thessalonicæ detentus sum. Posteaquā omnis actio huius anni
 31 confecta nobis videbatur, in Asiam ire nolui, quod & celebritas mihi odio est, & si fie-
 ret aliquid à nouis magistratibus, abesse longè nolebam. itaque in Epeirum ad te sta-
 tui me conferre: non quò mea interesset loci natura, qui lucem omnino fugerem: sed
 aut ad salutem libentissimè ex tuo portu proficiscar: aut si ea præcisa erit, nusquam fa-
 cilis hanc miserrimam vitam vel sustentabo, vel, quod multò est melius, abiecero. ero
 cum paucis. multitudinem dimittam. me tuæ literæ nunquam in tantam spem addu-
 xerunt, quantam aliorum. attamen mea spes etiam tenuior semper fuit, quàm tuæ li-
 teræ. sed tamen, quoniam cœptum est, age, quoquo modo cœptum est, & quacunque
 de causa, non deseram neque optimi atque vnici fratris miseras atque luctuosas pre-
 ces, nec Sestii, cæterorumque promissa, nec spem ærumnosissimæ mulieris Terentiæ,
 32 nec miserrimæ mulieris Tulliollæ obsecrationem & fideles literas tuas. Mihi Epeirus
 aut iter ad salutem dabit, aut, quod scripsi supra. Te oro & obsecro Pomponi, si me o-
 mnibus amplissimis, charissimis, iucundissimisque rebus perfidia hominum spoliatū,
 si me à meis consiliariis proditum & proiectum vides, si intelligis me coactum vt ipse
 me & meos perderem, vt me tua misericordia iuues, & Quintum fratrem, qui potest
 esse saluus, sustentens: Terentiā, liberósque meos tueare. me, si putas te istuc visurum, ex-
 pectes: si minus, inuisas, si potes, mihi quæ ex agro tuo tantum assignes, quantum meo
 corpore occupari potest, & pueros ad me cum literis quamprimùm, & quam sæpius
 mittas. Vale. xvi. Calend. Octob.

CICERO SALVTEM Q. CAECILIO Q. F.
POMPONIANO ATTICO.

QVOD quidem ita esse, & auunculum tuum functum esse officio, vehementissime
 33 probō: gaudere me tum dicā, si mihi hoc verbo licebit vti. Me miserum, quàm omnia
 essent ex sententia, si nobis animus, si consilium, si fides eorū, quibus credidimus, non
 defuisset: quæ colligere nolo, ne augeam mœrorē. Sed tibi venire in mētem certò scio,
 S.iiii.

quæ vita esset nostra, quæ suauitas, quæ dignitas. ad quæ recuperanda per fortunas incumbe, vt facis, diemque natalem reditus mei cura vt in tuis adibus amœnissimis agam tecum, & cum meis. Ego huic spei & expectationi, quæ nobis proponitur, maximè tamen volui præstolari apud te in Epeiro. sed ita ad me scribitur, vt putem esse commodius nos eisdem in locis esse. De domo, & Curionis oratione, vt scribis, ita est. in vniuersa salute, si ea modò nobis restituetur, inerunt omnia. ex quibus nihil malo, quàm domum. sed tibi nihil mando nominatim. me totum tuo amori, fideique cōmendo. Quòd te in tãta hæreditate ab omni occupatione expediti, valde mihi gratum est. Quòd facultates tuas ad meã salutem polliceris, vt omnibus rebus à te præter cæteros iuuer: id quãtum sit præsidium, video: intelligoque, te multas parteis meæ salutis & suscipere, & posse sustinere: neque, vt ita facias, rogandum esse. Quòd me veritas quicquam suspicari accidisse ad animum tuum, quòd secus à me erga te cōmissum aut prætermisum videretur: geram tibi morem, & liberabor ista cura: tibi tamen eò plus debebo, quòd tua in me humanitas fuerit excelsior, quàm in te mea. Velim, quid videas, quid intelligas, quid agatur, ad me scribas, omneisque ad nostram salutem adhortere. Rogatio Sestii neque dignitatis satis habet, nec cautionis: nam & nominatim ferre oportet, & de bonis diligentius scribi: & id animaduertas velim. Vale. IIII. Non. Octob. Thessalonica.

CICERO ATTICO S.

TRIGINTA dies erant ipsi, cum has dabam literas, per quos nullas à vobis acceperam. mihi autem erat in animo, iam, vt antea ad te scripsi, ire in Epeirum, & ibi omnè casum potissimum expectare. Te oro vt, siquid erit, quod perspicias, quancūque in partem, quam plenissimè ad me scribas, & meo nomine, vt scribis, literas, quibus putabis opus esse, vt des. Vale. v. Calend. Nouemb.

CICERO ATTICO S.

ETS I diligenter ad me Quintus frater & Piso, quæ essent acta, scripserant: tamen vellem tua te occupatio non impedisset, quo minus, vt cōsueisti, ad me, quid ageretur, & quid intelligeres, perscriberes. Me adhuc Plātius liberalitate sua retinet iam aliquoties conatum ire in Epeirum. spes homini est iniecta non eadem, quæ mihi, posse nos vnà decedere. quam rem sibi magno honori sperat fore. sed iam cum aduentare milites dicentur, faciendum nobis erit, vt ab eo discedamus. quod cum faciemus, ad te statim mittemus, vt scias vbi simus. Lentulus suo in nos officio, quod & re, & promissis, & literis declarat, spem nobis nonnullam affert Pompeii voluntatis: sæpe enim tu ad me scripsisti, eum totū esse in illius potestate. De Metello scripsit ad me frater, quantum speraret, profectum esse per te. mi Pomponi pugna, vt tecum, & cum meis mihi liceat viuere: & scribe ad me omnia. premor cum luctu, tum desiderio omnium rerum, quæ mihi me chariores semper fuerant. Cura vt valeas.

E G O, quòd, per Thessaliam si irem in Epeirum, per diu nihil eram auditorus, & quòd mei studiosos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi, cum illa superiora Thessalonica scripsissem. inde cum ad te me conuertā, faciā vt scias. tūque ad me velim omnia quãdiligentissimè, cui cuiusmodi sunt, scribas. ego iam aut rem, aut ne spem quidē expecto. Vale. VI. Calend. Decemb. Dyrrhachii.

CICERO ATTICO S.

A D v. Calend. Decemb. tres epistolas à te accepi. vnã datam ad VIII. Cal. Nouemb. in qua me hortaris vt forti animo mensẽ Ianuar. expectem: eaque quæ ad spẽ putas pertinere de Lentuli studio, de Metelli voluntate, de tota Pompeii ratione perscribis. In altera epistola præter consuetudinem tuam, diem non adscribis, sed satis significas tẽpus. lege enim ab octo Tribunis pl. promulgata, scribis tẽ eas literas eo ipso die dedisse, id est ad IIII. Calend. Nouemb. & quid putes vtilitatis eam promulgationem attulisse, scribis. in quo si etiam nostra salus cum hac lege desperata erit, velim pro tuo

in me amore hanc inanem meam diligentiam miserabilem potius, quàm ineptam pu-
³⁸tes. sin est aliquid spei, des operam, vt maiore diligentia posthac à nostris magistrati-
 bus defendamur. Nam ea veterum Tribunorum pl. rogatio tria capita habuit: vnum
 de reditu meo, scriptum incautè. nihil enim restituitur præter ciuitatem & ordinem,
 quod mihi pro meo casu satis est: sed quæ cauenda fuerint, & quomodo, te non fugit.
 alterum caput est tralatitium de impunitate, siquid cōtra alias leges eius legis ergò fa-
 ctum sit. tertium caput, mi Pomponi, quo consilio, & à quo sit inculcatum, vide: scis
 enim Clodium sanxisse, vt vix, aut omnino nõ posset nec per Senatum, nec per popu-
 lum infirmari sua lex. Sed vides nunquam esse obseruatas sanctiones earum legum,
 quæ abrogarentur. nam si id esset, nulla ferè abrogari posset: neque enim vlla est, quæ
 non ipsa se sepiat difficultate abrogationis. sed cum lex abrogatur, illud ipsum abroga-
³⁹retur, quomodo eã abrogari oporteat. hoc cum re vera ita sit, cum semper ita habitum,
 obseruatūque sit: octo nostri Tribuni pl. caput posuerunt hoc, SI QUID IN HAC
 ROGATIONE SCRIPTVM EST, QVOD PER LEGES, PLEBISVE SCI-
 TA: HOC EST, QVOD PER LEGEM CLODIAM PROMVLGARE, ABRO-
 GARE, DEROGARE, OBROGARE SINE FRAVDE SVA NON LICEAT,
 NON LICVERIT: QVOD, VEL QVI PROMVLGAVIT, DEROGAVIT,
 OB EAM REM POENAE, MVLTAEVE SIT EH. INR. atque hoc in illis Trib.
 pl. non lædebat: lege enim collegii sui non tenebantur: quo maior est suspicio malitiæ
 alicuius, cum id, quod ad ipsos nihil pertinebat (erat autè contra me) scripserūt, vt noui
 Tribuni pleb. si essent timidiore, multò magis sibi eo capite vtendum putarēt: neque
⁴⁰id à Clodio prætermisum est: dixit enim in cōcione ad IIII. Non. hoc capite designatis
 Tribunis pl. præscriptū esse quid liceret. tamè, in lege nulla esse eiusmodi caput, te non
 fallit. quod si opus esset, omnes in abrogando vterentur. Numium ac cæteros fugerit.
 Inuestiges velim & quis attulerit, & quare octo Tribuni pl. ad Senatū de me referre nõ
 dubitarint. siue, quòd obseruandum illud caput non putabant, ii dein in abrogando tã
 cauti fuerunt, vt id metuerent, soluti cum essent, quod ne iis quidem, qui lege tenentur,
 est curandum. Id caput sanè nolim novos Tribunos pl. ferre, sed perferant modò quid-
 libet: vno capite, quo reuocabor (modò res conficiatur) ero contentus. Iandudum pu-
 det tam multa scribere: vereor enim, ne re iam desperata legas: vt hæc mea diligentia
 miserabilis tibi, aliis irridenda videatur. sed si est aliquid in spe, vide legem, quam T. Fa-
 bio scripsit T. Visellius. ea mihi perplacet. nam Sestii nostri, quam tu tibi probari scri-
⁴¹bis, mihi non placet. Tertia est epistola prid. Id. Nouemb. data: in qua exponis pru-
 denter & diligenter, quæ sint, quæ rem distingere videantur, de Crasso, de Pompeio, de
 cæteris. quare oro te, vt si qua spes erit posse studiis bonorum, autoritate, multitudine
 comparata rem confici, des operam vt vno impetu perfringantur, in eam rem incum-
 bas, cæterosque tu excites. sin vt ego perspicio tum tua cōiectura, tum etiam mea, spei
 nihil est: oro, obtestorque te, vt Quintum fratrem ames, quẽ ego miserum miserè per-
 didi, nèue quid eum patiare grauius consulere de se, quàm expediat sororis tuæ filio.
 meum Ciceronem, cui nihil misello relinquo præter inuidiam & ignominiam nomi-
 nis mei, tueare, quoad poteris: Terentiam vnã omnium ærumnosissimam sustentens
 tuis officiis. Ego in Epeirum proficiscar, cum primorum dierum nuntios excepero.
⁴²Tu ad me velim proximis literis, vt se initia dederint, perscribas. Vale. Prid. Ca-
 lend. Decemb.

CICERO ATTICO S.

ANTEA, cum ad me scripsissetis vestro consensu Consulares prouincias ornatas es-
 se, etsi verebar quorsum id casurum esset, tamen sperabam vos aliquid aliquãdo vidisse
 prudētius. Postquam mihi & dictum est, & scriptum, vehementer consilium vestrum
 reprehendi: grauius sum commotus, quòd illa ipsa spes exigua, quæ erat, videtur esse
 sublata. nam si Tribuni pl. nobis succensent, quæ potest spes esse: ac videntur iure suc-

consistere, cum & expertes consilii fuerint qui causam nostram susceperant, & nostra concessione omnem vim sui iuris amiserint: praesertim cum ita dicant, se nostra causa voluisse suam potestatem esse de Consulibus ornandis, non ut eos impedirent, sed ut ad nostram causam adiungerent. nunc si Consules a nobis alieniores esse velint, posse id liberè facere. si vellent nostra causa, nihil posse se inuitis. Nam quod scribis, ni ita nobis placuisset, illos hoc idè per populum assecuturos fuisse: inuitis Tribunis pleb. fieri nullo modo potuit. ita vereor, ne & studia Tribunorum amiserimus: & si studia maneat, vinculum illud adiungendorum Consulum amissum sit. accedit aliud non paruum incommodum, quod grauis illa opinio, ut quidè ad nos perferebatur, Senatū nihil decernere antè, quàm de nobis actum esset, amissa est: praesertim in ea causa, quæ non modò necessaria non fuit, sed etià inusitata ac noua: neque enim vnquam arbitror ornatas esse prouincias designatorum: ut, cum in hoc illa constantia, quæ erat mea causa suscepta, immutata sit, nihil iam possit non decerni. iam his, ad quos relatum est, amicis placuisse non mirum sit: erat enim difficile reperire, qui contra tanta comoda duorum Consulum palàm sententiam diceret: & fuit omnino difficile non obsequi vel amicissimo homini Lentulo vel Metello, qui simultatem humanissimè deponeret. sed vereor, ne hos cum tenere potuerimus, Trib. pleb. amiserimus. hæc res quemadmodum ceciderit, & tota res quo loco sit, velim ad me scribas, & ita ut instituisti: nam ista veritas, etiam si iucunda non est, mihi tamen grata est. Vale. D. I I I I. Id. Decemb.

CICERO ATTICO S.

POST tuum à me discessum literæ mihi Roma allatæ sunt, ex quibus prospicio nobis in hac calamitate tabescendum esse. neque enim (sed bonam in partem accipies) si vlla spes salutis nostræ subesset, tu pro tuo amore in me hoc tempore discessisses. Sed ne ingrati, aut ne omnia velle nobiscum vnà interire videamur, hoc omitto. Illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante Cal. Ian. vbicunque erimus, fistas. Vale.

CICERO ATTICO S.

LITERÆ mihi à Quinto fratre cum s. c. quod de me est factum, allatæ sunt: mihi in animo est, legulationē expectare. si obrectabitur, utar autoritate Senatus: & potius vita, quàm patria carebo. Tu quæso festina ad nos venire. Vale. v. i. Calend. Ian.

CICERO ATTICO S.

EX TVIS literis, & ex re ipsa nos funditus perisse video. Te oro ut, quibus in rebus mei tui indigebunt, nostris miseris ne desis. Ego te, ut scribis, citò videbo. plura non scribo. Cura ut valeas.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER IIII.

CICERO ATTICO S.



V M PRIMVM Romam veni, fuitq; cui rectè ad te literas darem, nil prius faciendū mihi putavi, quàm ut tibi absenti de reditu nostro gratularer. cognoram enim (ut verè scribam) te in consiliis mihi dandis nec fortiozem, nec prudètiorem, quàm me ipsum: nec etiam propter tuam in me obseruatiam nimium in custodia salutis meæ diligètem, eundemque te, qui primis temporibus erroris nostri, aut totius furoris particeps, & falsi rumoris socius fuisses, acerbissimè dissidiū nostrū tulisse: plurimumque operæ, studii, diligètiæ, laboris ad conficiendū reditum meū contulisse. Itaque hoc tibi verè affirmo, in maxima lætitia & exoptatissima gratulatione vnum ad cumulandum gaudiū conspectum, aut potius coplexum mihi tuum defuisse. què semel nactus,

nunquam dimisero. ac nisi etiam prætermisissos fructus tuæ suauitatis præteriti temporis omnes exegero, profectò hac restitutione fortunæ me ipse non satis dignum iudicabo. Nos adhuc in nostro statu, quod difficillimè recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem, & in Senatu auctoritatem, & apud viros bonos gratiam magis quàm optaramus, consecuti sumus. in re autem familiari, quæ quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras, valde laboramus: tuarumque nō tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quàm consiliorum ad colligendas & constituendas reliquias nostras indigemus. Nunc, etsi omnia aut scripta esse à tuis arbitror, aut etiam nuntiis ac rumore perlata, tamen ea inscribā breui, quæ te puto potissimum ex meis literis velle cognoscere. Prid. Non. Sext. Dyrrachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundisium veni Non. Sext. ibi mihi Tulliola mea fuit præsto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat & Brundisinae coloniae, & tuæ vicinæ Salutis. quæ res animaduersa, multitudine summa Brundisiorum gratulatione celebrata est. Ante diè v. i. Id. Sext. cognoui literis Quinti fratris, mirifico studio omnium ætatum atque ordinum, incredibili concursu Italiae legem comitiis centuriatis esse perlatam. inde à Brundisina honestissimis ornatus, iter ita feci, ut vndique ad me cum gratulatione legati cōuenerint. ad Urbem ita veni, ut nemo vllius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non venerit, præter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret aut dissimulare aut negare. Cum venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant. à qua plausu maximo cum esset mihi gratulatio significata, similis & frequentia, & plausus me vsque ad Capitolium celebravit. in foro, & in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. Postridie in Senatu, qui fuit dies Non. Sept. Senatui gratias egimus. eo biduo cum esset annonæ summa caritas, & homines ad theatrum primò, deinde ad Senatum concurrissent impulsu Clodii, mea opera frumenti inopiam esse clamarent: cum per eos dies Senatus de annonâ haberetur, & ad eius procuracionem fermone non solum plebis, verum etiam bonorum Pompeius vocaretur, idque ipse cuperet, multitudinè à me nominatim, ut id decernerem, postularet: feci, & accuratè sententiam dixi, cum abessent cōsulares, quòd tutò se negarent posse sententiam dicere, præter Messalam & Afranium. factum est s. c. in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur. quo s. c. recitato, cum concio more hoc insulso, & nouo, plausum, meo nomine recitando, dedisset: habui cōcionem: omnes magistratus præsentis, præter vnum Prætorem & duos Tribunos pl. dederunt. postridie Senatus frequens, & omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. Ille legatos quindecim cum postularet, me principem nominavit, & ad omnia me alterum se fore dixit. legem c o s s. cōscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur. alteram Messius, qui omnis dat pecuniæ potestatem, & adiunxit classem & exercitum, & maius imperium in prouinciis, quàm sit eorum, qui eas obtineat. Illa nostra lex consularis, nunc modesta videtur: hæc Messii non ferenda. Pompeius illam velle se dicit, familiares hanc: consulares duce Fauonio fremunt, nos tacemus, & eò magis, quòd de domo nostra nihil adhuc Pontifices responderant, qui si sustulerint religionem, aream præclaram habebimus. superficiem Consules ex s. c. æstimabunt: sin aliter, demolientur, suo nomine locabunt, rem totam æstimabunt. ita sunt res nostræ, ut in secundis, fluxæ: ut in aduersis, bonæ. In re familiari valde sumus, ut scis, perturbati. Præterea sunt quædam domestica, quæ literis non committo. Quintum fratrem insigni pietate, virtute, fide præditum sic amo, ut debeo. Te expecto, & oro ut matures venire: eoque animo venias, ut me tuo consilio egere non finas. alterius vitæ quoddam initium ordimur. Iam quidam, qui nos absentes defenderunt, incipiunt præsentibus occultè irasci, apertè inuidere. vehementer te requirimus. Vale.

CICERO ATTICO S.

SI FORTE rarius tibi à me, quàm à cæteris, literæ redduntur, peto à te, vt id nō modo non negligentia meæ, sed ne occupationi quidem tribuas. quæ etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta, vt interrumpat iter amoris nostri & officii mei. nam vt veni Romam, iterum nunc sum certior factus, esse cui darem literas. itaque has alteras dedi. Prioribus tibi declaravi, aduentus noster qualis fuisset, & quis esset status, atque omnes res nostræ quemadmodum essent, vt in secundis, fluxæ: vt in aduersis, bonæ. Post illas datas, secuta est summa contentio de domo. diximus apud Pontifices prid. Calend. Octob. acta res est accuratè à nobis. & si vnquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si nūquam aliàs fuimus, tum profectò doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuuentuti nostræ deberi non potest: quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam citò. Cùm Pōtīfices decreissent ita, Si neque populi iussu, neque plebiscito, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei præfectus esset, neque populi iussu, aut plebiscito id facere iussus esset, videri posse sine religione iam partem aræ mihi restitui, mihi facta statim est gratulatio. nemo enim dubitat, quin domus nobis esset adiudicata. tum subitò ille in concionem ascēdit, quam Appius ei dedit. nuntiat iam populo, Pontifices secundum se decreuisse, me autem vi conari in possessionem venire. hortatur vt se & Appium sequantur, & suam libertatem vt defendāt. Hic cùm etiam illi infimi partim admirarentur, partim irridērent hominis amentiam, ego statueram illuc non accedere, nisi cùm Consules ex s. c. porticum Catuli restituendam locassent. Calend. Oct. habetur Senatus frequens: adhibentur omnes Pontifices, qui erant Senatores. à quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quæsiuit, quid essent in decernēdo secuti, tum Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis iudices Pontifices fuisse, legis Senatū: se & collegas suos de religione statuisse, in Senatu de lege statuturos. quique horū loco sententiam rogatus, multa secundum causam nostram disputauit. cùm ad Clodium ventum est, cupiit diem consumere: neque ei finis est factus: sed tamen, cùm horas tres ferè dixisset, odio & strepitu Senatus coactus est aliquando perorare. Cùm fieret s. c. in sententiam Marcellini, omnibus præter vnum assentientibus, Serranus intercessit. de intercessione statim ambo Consules referre cœperunt. cùm sententiæ grauissimæ dicerētur, Senatui placere mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi: siquæ vis esset facta, Senatū existimaturum eius opera factum esse, qui s. c. intercessisset: Serranus pertimuit, & Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit, abiecta toga se ad generi pedes abiecit. ille noctem sibi postulauit: non concedebant: reminiscebantur enim Calend. Ian. vix tamen sibi de mea voluntate concessum est. postridie s. c. factum est id, quod ad te misi. deinde Consules porticum Catuli restituendam locarunt. illam porticum Redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. nobis superficiem ædium Consules de consilii sententia æstimarunt HS vicies, cætera valde illiberaliter, Tusculanam villam quingentis millibus, Formianum HS ducentis quinquaginta millibus. quæ æstimatio non modò vehementer ab optimo quoque, sed etiam à plebe reprehenditur. Dices, Quid igitur causæ fuit? Dicūt illi quidem, pudorē meum, quod neque negarim, neque vehementius postularim. sed non est id: nam hoc quidem etiam profuisset. Verum iidem mi T. Pomponi, iidem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci: sed, vt spero, iam renascuntur. tu modò ad nos veni: quod vereor ne tardius interuentu Varronis tui, nostrique facias. Quoniam acta quæ sint, habes, de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me à Pōpeio legari ita sum passus, vt nulla re impedirer, quin, si vellem, mihi esset integrum, aut si comitia Cæsorum proximi Consules haberēt, petere posse, aut voti uiam legationem suscipere propè omnium fanorum ac sacrorum locorum: sic enim nostræ rationes postulabāt. sed

volui meam potestatem esse vel petendi, vel incunte æstate exeundi: & interea me esse in oculis ciuium de me optimè meritorum, non alienum putavi. ac forēsium quidem rerum hæc nostra consilia sunt, domesticarum autem valde impedita. Domus ædificatur, scis quo sumptu, qua molestia. reficitur Formianum: quod ego nec relinquere possū, nec videre. Tusculanū proscrispi. suburbano non facillè careo. amicorum benignitas exhausta est in ea re, quæ nihil habuit præter dedecus, quod sensisti tu absens, præsentis. quorum studiis ego, & copiis, si esset per meos defensores licitum, facillè essem omnia consecutus: quo in genere nunc vehementer laboratur. cætera, quæ me sollicitant, *μυσικώτερον* sunt. amamur à fratre & à filia. te expectamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

AVERE te certò scio, tum scire quid hîc agatur, tum à me scire: non quò certiora sint ea, quæ in oculis omnium geruntur, si à me scribantur, quàm cùm ab aliis aut scribuntur tibi, aut nuntiātur: verum vt perspicias ex meis literis, quo modo ea feram, quæ geruntur, & qui sit hoc tempore aut mentis meæ sensus, aut omnino vitæ status. Armatis hominibus ante diem tertium Non. Nouemb. expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus Catuli, quæ ex s. c. Consulū locatione reficiebatur, & ad tectum penè peruenerat. Quinti fratris domus primò fracta cōiectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata, iussu Clodii, inspectante vrbe, cōiectis ignibus, magna querela & gemitu, non dicam bonorum, qui nescio an vlli sint, sed planè hominum omnium. ille vehemens furere. post hunc verò furorē nil nisi cædem inimicorum cogitare, vicatim ambire, feruis apertè spem libertatis ostendere. etenim antea cū iudicium nolebat, habebat ille quidem difficilem, manifestamque causam, sed tamen causam. id poterat inficiari, poterat in alios deriuare, poterat etiam aliquid iure factum defendere. Post has ruinas, incendia, rapinas, desertus à suis, vix iam Decimū Designatorem, vix Gelliū retinet. seruorum cōsiliis vitur. videt, si omneis quos vult, palàm occiderit, nihilo suam causam difficiliorem, quàm adhuc sit, in iudicio futuram. Itaque ante diem tertium Id. Nouemb. cùm sacra via discederem, insecutus est me cum suis. clamor, lapides, fustes, gladii: hæc improuisa omnia. Discessimus in vestibulum M. Tetii Damionis, qui erāt mecum, facillè operas aditu prohibuerunt. ipse occidi potuit. sed ego diæta curari incipio. chirurgiæ tædet. ille omnium vocibus cùm se non ad iudiciū, sed ad supplicium præsens trudi videret, omneis Catilinas Acidinos postea reddidit. nam Milonis domum meamque in Ceramio prid. Id. Nouemb. expugnare & incendere ita conatus est, vt palàm hora v. cum scutis homines eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. ipse domum P. Sullæ pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acreis, occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos: ipsum cupiuit, sed ille se in interiorē partem ædium abdidit. Sulla se in Senatu postridie Id. domi Clodius: egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit, adiuuante Oppio, etiam hercule familiaris tuo, de cuius constantia, virtute verissimæ literæ. Sestius furere. ille postea, si comitia sua non fierent, vrbi minari. Proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, vt totam nostram causam aræ, incendiorum, periculi mei iudicio completeretur, cæque omnia comitiis anteferet: proscrispit se per omnes dies comitiales de cælo seruaturum. conciones turbulenta Metelli, temerariæ Appii, furiosissimæ Publii. hæc tamen summa. nisi Milo in campum obnūtiasset, comitia futura. Ante diem x i i. Calend. Decemb. Milo media nocte cum magna manu in campum venit. Clodius cùm haberet fugitiuorum deiectas copias, in campum ire non est ausus. Milo permansit ad meridiem, mirifica hominum lætitia, summa cum gloria. contentio fratrum triū turpis, fracta vis, contemptus furor. Metellus tamen postulat, vt sibi postero die in foro obnuntietur: nihil esse, quod in campum nocte veniretur: se hora primā in comitio fore. Itaque ante diem x i. Calend. Ian. in comitium Milo de nocte venit. Metel-

lus cum prima luce furtim in campum itineribus propè deuiis currebat. assequitur inter lucos hominem Milo, obnuntiat: ille se recipit magno turpique Q. Flacci conuittio. ante diem x. Calend. nundinæ. concio biduo nulla. Ante diem v i i. Calend. hæc ego scribebam, hora noctis nona. Milo campum iam tenebat. Marcellus cãdidatus ita stertebat, vt ego vicinus audirem. Clodii vestibulum vacuum sanè mihi nuntiabatur, paucis pannolis sine laterna. meo consilio illi omnia fieri querebantur, ignari quantum in illo heroe esset animi, quãtum etiam consilii. mirãda virtus est. Noua quãdam diuina mitto. sed hæc summa est: comitia fore non arbitror. Publium reum (nisi antè occisus erit) à Milone fore puto. si se inter viã obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video. non dubitat facere: præ se fert: casum illum nostrum non extimescit. nunquam enim cuiusquam inuidi & perfidi consilio est vsus, nec inertis nobili crediturus. Nos animo duntaxat vigemus, etiam magis, quàm cum florebamur. re familiari comminuti sumus. Quinti fratris tamen liberalitati, pro facultatibus nostris, ne omnino exhaustus essem, illo recusante subsidiis amicorum respondemus. Quid consilii de omni nostro statu capiamus, te absente nescimus. quare appropera.

CICERO ATTICO S.

PERIVCVDVS mihi Cincius fuit ante diem tertium Calẽd. Febr. ante lucem: dixit enim mihi te esse in Italia, seseque ad te pueros mittere: quos sine meis literis ire nolui: non quò haberem quò tibi, præsertim iam propè præfenti, scriberem: sed vt hoc ipsum significarem, mihi aduentum tuum suauissimum, expectatissimumque esse. quare aduola ad nos, eo animo, vt nos ames, & te amari scias. cætera coram agemus. Hæc properantes scripsimus. quo die venies, utique cum tuis apud me sis. perbellè feceris, si ad nos veneris. offendes designationem Tyrannionis, mirificam librorum meorum bibliothecam: quorum reliquæ multò meliores sunt, quàm putaram. Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtatur glutinatoribus, ad cætera administris, iisque imperes, vt sumant membranulã, ex qua indices fiant, quos vos Græci (vt opinor) *συλλαβες* appellatis. Sed hæc, si tibi erit commodum. ipse vero utique fac venias, si potes in his locis adhærescere, & Piliam adducere. ita enim & æquum est, & cupit Tullia. Mediusfidius nã tu emisti locum præclarum. Gladiatores audio pugnare mirificè. si locare voluisses, duobus his muneribus liberaasses. sed hæc posterior. Tu fac venias, & de librariis, si me amas, diligenter. Vale.

CICERO ATTICO S.

A I N' T V? existimas ab vlllo malle mea legi, probarique, quàm à te: cur igitur cuiquam misi prius? vrgebar ab eo, ad quem misi, & non habebam exemplar. quid? etiam (dudum enim circumrodo, quod deuorandum est) subturpicula mihi videbatur esse *παλιναδια*. sed valeant recta, vera, honesta consilia. non est credibile, quæ sit perfidia in istis principibus, vt volunt esse, & vt essent, si quicquam haberent fidei. Senferam, noram, inductus, relictus, proiectus ab iis: tamen hoc erat in animo, vt cum iis in Repub. consentirem. iidem erant, qui fuerant. vix aliquando te authore resipui. Dices, ea te monuisse, fualisse quæ facerem, non etiam vt scriberem. ego mehercule mihi necessitatem volui imponere huius nouæ coniunctionis, ne quã mihi liceret labi ad illos, qui etiam tum, cum misereri mei debent, non desinunt inuidere. sed tamen modici fuimus *ὁ πόρος* vt scripsi: erimus vberiores, si & ille libenter accipiet, & ii subringentur, qui villam me molestè ferunt habere, quæ Catuli fuerat, aut etiam emisse non cogitant. qui domum negat oportuisse me ædificare, vendere aiunt oportuisse. Sed quid ad hoc? si quibus sententiis dixi quod & ipsi probarent, lætati sunt tamen me contra Pompeii voluntatem dixisse. Sed quoniam qui nihil possunt, ii me nolunt amare: demus operam, vt ab iis qui possunt diligamur. Dices, Vellem iam pridè. Scio te voluisse, & me: ast nugigeram manum fuisse. iam tempus est me ipsum à me amari, quando ab illis nullo modo possum. Domum meã quòd crebrò inuisis, est mihi valde gratũ.

Viaticum Crassipes præripit. Tu de via recta in hortos. videtur commodius ad te, postridie scilicet. quid enim tua? sed viderimus. bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione & sittybis. eos velim laudes. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Lentulo scilicet sic fero, vt debeo. virum bonum & magnum hominem, & in summa magnitudine animi multa humanitate temperatũ perdidimus, nosque malo solatio, sed non multo, tamen consolamur, quòd ipsius vicem minimè dolemus, non vt Saufeius, & vestri, mehercule quia sic amabat patriam, vt mihi aliquo deorum beneficio videatur ex eius incendio esse ereptus. Nam quid fœdus nostra vita, præcipue mea? nam tu quidem, etsi es natura *πολιτικός*, tamen nullam habes propriã seruitutem: communi frueris nomine. Ego verò, qui si loquar de Repub. quod oportet, insanus: si quod opus est, feruus existimor: si taceo, oppressus & captus: quo dolore esse debeo? quo sum scilicet, hoc etiam acriore, quòd ne dolere quidem possum, vt non ingratus videar. Quid, si cessare libeat, & in otii portum cõfugere? nequicquam, immò etiam in bellum & in castra. Ergo erimus *ὁπαδὸι*, qui *παρὶ* esse noluimus? Sic faciendum est. tibi enim ipsi (cui vtinam semper paruiffem) sic video placere. Reliqui est, *ἀσάβαν ἐλαχέας, ἔσονται κόσμη.* non mehercule possum, & Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit. veruntamen id ipsum mecum in his locis commentor, vt ista improbem: idque tu cum vnà erimus, confirmabis. A te literas crebrò ad me scribi video: sed omnes vno tẽpore accepi. quæ res etiam auxit dolorem meũ: casu enim trinas antè legeram, quibus meliusculè Lentulo esse scriptum erat. ecce quartæ fulmen. sed ille, vt scripsi, non miser: nos verò serui. Quòd me admones, vt scribam illa Hortensiana: in alia incidi, non immemor istius mandati tui: sed mehercule incipiendo refugi, ne quòd videor stultè illius amici non intemperiem tulisse, rursus stultè iniuriam illius faciam illustrem, si quid scripsero: & simul ne *βαθύτης* mea, quæ in agendo apparuit, in scribendo sit occultior, & aliquid satisfactio leuitatis habere videatur. Sed viderimus. tu modò quam sapissime ad me aliquid. Epistolam, Luceio quam misi, qua res meas vt scribat, rogo, fac vt ab eo sumas: valde bella est: eumque vt approperet, adhorteris: & quod mihi se ita facturum rescripsit, agas gratias. Domum nostram, quoad poteris, inuisas. Vestorio aliquid significes. valde enim est in me liberalis. Vale.

CICERO ATTICO S.

NIHIL *ὀκνηρότερον* epistola tua, quæ me sollicitũ de Quinto nostro, puero optimo, valde leuauit: venerat horis duabus antè Cherippus: mera monstra nuntiarat. De Apollonio quod scribis, qui illi dii irati, homini Græco, qui conturbare quidem putat sibi licere, quod equitibus Rom. nã Terentius suo iure. De Metello, *ὅχι ὁσὶν φημένοισιν.* Sed tamen multis annis ciuis nemo erat mortuus. Quid quidem tibi? numi meo periculo sint. quid enim vereris, quencunque hæredem fecit? nisi Publium fecit. verum fecit non improbè, quanquam fuit ipse. quare in hoc thecam numariam non retexeris: in aliis eris cautior. Mea mandata de domo curabis: præsidia locabis: Milonem admonebis. Arpinatum fremitus est incredibilis. de Laterio quid quæris? equidem dolui. *ὁ δὲ δὲ ἐμπάξτερο μύθων.* Quod superest, etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis vt facis. Vale.

CICERO ATTICO S.

MVLTÀ me in epistola tua delectarunt, sed nihil magis, quàm patina tyrotarichi. nam de Rauduscule quod scribis, *μήπω μέγαν ἐπιπης ὡρὶν τελευτήσαντ' ἴδης.* ædificati tibi in agris nihil reperio. in oppido est quiddã, de quo est dubiũ, sitne vanale: ac proximum quidem nostris ædibus. Hoc scito, Antium Buthrotum esse Romæ, vt Corcyrã illud tuum. nihil quietius, nihil alius, nihil amœnius. ΕΙΜΗΙ ΧΤΩΦΙΔΟC. ΚΟC. postea verò quàm Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis ædibus. qua quidem in re mirifica opera Dionysii & Menophili tui fuit. nihil venustius, quàm

illa tua pægmata. postquam misisti, libros illustrarunt valde. & scribas ad me velim de gladiatoribus, sed ita, bene si rem gerunt: non quæro malè sic egisse. A penas vix discesserat, quum epistola. Quid ais: putasne fore, vt legem non ferat? Dic, oro te, clarius: vix enim mihi exaudisse videor. verum statim fac vt sciam, si modò est commodum. Ludis quidem quoniam dies est additus, eo etiam melius hic eum diem cum Dionysio coteremus. De Trebonio prorsus tibi assentior. De Domitio, *ὄχι μὲν τὴν δὴμητρα σίκων, ἔδδ' ἐν ἔτῳ ὁμοίον γέροντι*, quàm est ista *περίστασις* nostræ: vel quòd ab iisdè, vel quòd præter opinionem, vel quòd viri boni nusquã: vnũ dissimile, quod huic merito. nam de ipso casu nescio, an illud melius. quid enim hoc miserius, quàm eũ qui tot annos, quot habet, Des. Consul fuerit, fieri Consulẽ non posse, præsertim cum aut solus, aut certè non plus quàm cum altero petat? Si verò id est, quod nescio an sit, vt non minus longas iam in codicillorum fastis futurorum Consulũ paginulas habeat, quàm factorum: quid illo miserius? nisi Respu. in qua ne speratur quidẽ melius quicquam. De Natata ex tuis primũ sciuu literis. oderam hominem. De poëmate quod quæris, quid si cupiat effugere? quid si finat? De Fabio Lusco quod eram exorsus, homo peramans semper nostri fuit, nec mihi vnquam odio. satis enim acutus & permodestus, ac bene frugi. eum quia non videbam, abesse putabam. Audiui ex Gauio hoc Firmano, Romæ esse hominem, & fuisse assiduum: percussit animum. Dices, Tantulanè causa: Permulta ad me detulerat non dubia de Firmanis fratribus. quid sit, quòd se à me remouit, si modò remouit, ignoro. De eo quod me mones, vt & me geram *πολιτικῶς*, & in eo *γραμματῆν* teneam, ita faciam: sed opus est maiore prudentia, quàm à te, vt soleo, petam.

Tu velim & Fabium, si quem habes aditum, odorere: & istum conuiuiam tuum degustes, & ad me de istis rebus, & de omnibus quotidie scribas. vbi nihil erit quod scribas, id ipsum scribito. Cura vt valeas.

CICERO ATTICO S.

SANÈ velim scire num censum impendant Tribuni diebus vitandis (est enim hic rumor) totaque de Censura quid agant, quid cogitent. Nos hic cum Pompeio fuimus. multa mecum de Repub. sanè sibi displicens, vt loquebatur (sic est enim in hoc homine dicendum) Syriam spernens, Hispaniam iactans: hic quoque, vt loquebatur, & opinor vsquequaque, de hoc cum dicemus, sit hoc quasi *καὶ τὸ δὲ Φουλίδου*. tibi etiam gratias agebat, quòd signa componenda suscepisses. in nos verò suauissimè hercule est effusus. venit etiam ad me in Cumanum: ac se nihil minus velle mihi visus est, quàm Messalam Consulatum petere. de quo ipso siquid scis, velim scire. Quòd Luceio scribis te nostram gloriam commendaturum, & ædificium nostrum quod crebrò inuisis, gratum. Quintus frater ad me scripsit, se, quoniam Ciceronem suauissimum secum haberet, ad te Non. Maiis venturum. Ego me de Cumano moui ante diem v. Cal. Maii. eo die Neapoli apud Latum. ante diẽ IIII. Cal. Maii iens in Pompeianum bene mane hæc scripsi. Puteolis magnus est rumor Ptolemæum esse in regno. siquid habes certius, velim scire. Ego hinc pascor bibliotheca Fausti: fortasse tu putabas his rebus Puteolanis & Lucrinensibus. ne ista quidem defunt. Sed mehercule à cæteris oblectationibus deferor, & voluptatibus propter Rempub. sic literis sustentor & recreor: maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quàm in istorum sella curuli: tecumque apud te ambulare, quàm cum eo, quocum video esse ambulandũ. sed de illa ambulatione fors viderit, aut si quis est, qui curet deus. Nostram ambulationem & Laconicum, eaque quæ Cyrea sint, velim, cum poteris, inuisas, & vrgeas Philotimum vt properet, vt possim tibi aliquid in eo genere respondere. Pompeius in Cumanum Parilibus venit. misit ad me statim, qui salutem nuntiaret. ad eum postredie mane vadebam, cum hæc scripsi. Vale.

CICERO ATTICO S.

DELECTARVNT me epistolæ tuæ, quas accepi vno tempore duas ante diem v.

Calend. perge reliqua. gestio scire ista omnia. etiam illud cuiusmodi sit, velim perspicias: potes à Demetrio. Dixit Pompeius, Crassum à se in Albano expectari ante diem quartum Calend. is cum venisset, Romam esse statim venturos, vt rationes cum publicanis putarent. quæsiui, Gladiatoribusne? respondit, Antè quàm inducerentur, id cuiusmodi sit: aut nunc, si scias, aut cum is Romam venerit, ad me mittas velim. Nos hinc voramus literas cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio, qui te, omnesque vos salutat. *ἔδδ' ἐν γλυκύτερον ἢ πῶτα εἶδέναι*. quare, vt homini curioso, ita perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid Censores, quid Appius, quid illa populi Apuleia. denique etiam quid à te fiat, ad me velim scribas. non enim (vt verè loquamur) tam rebus nouis, quàm tuis literis delector. Ego mecum præter Dionysium duxi neminem, nec metuo tamen, ne mihi sermo desit abs te, quo magnopere delector. Tu Luceio nostrum librum dabis: Demetrii Magnetis tibi mitto, statim vt sit, qui à te mihi epistolam referat. Vale.

CICERO ATTICO S.

EGNATIVS Romæ est. sed ego cum eo de re Halimeti vehementer antè egi. Grauius se acturum cum Aquilio confirmavit. Videbis ergo hominem, si voles. Macro ni vix videor præsto esse. Idibus enim auctionem Larini video, & biduum præterea. id tu, quoniã Macronem tanti facis, ignoscas mihi velim. Sed si me diligis, postredie Cal. cœna apud me cum Pilia. prorsus id facies. Cal. cogito in hortis Crassipedis, quasi in diuersorio, cœnare. facio fraudem s. c. inde domum cœnatus, vt sim mane præsto Miloni. Ibi te igitur videbo, & promouebo. Domus nostra te tota salutat. Vale.

CICERO ATTICO S.

NOS in Tusculanum venisse ad xvii. Calend. Decemb. video te scire. ibi Dionysius nobis præsto fuit. Romæ ad xiiii. Calend. volumus esse: quid dico, volumus? immò verò cogimur. Milonis nuptiæ. comitorum nonnulla opinio est. ergo vt sit rata. Abfuisse me in altercationibus, quas in Senatu factas audio, fero non moleste. nam aut defendissem, quod non placeret: aut defuissem, cui non oporteret. Sed mehercule velim res istas, & præsertim statum Reipub. & quo animo Consules ferant hunc *συλλυβῆν*, rescribas ad me quantum potes, & vales. sum *ἔξυπειρος*: & si quæris, omnia mihi sunt suspecta. Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quàm olim æqualem eius L. Paulum: item Ti. iterum c o s s. ò hominem nequam. De libris oratoriis factum est à me diligenter. diu multumque in manibus fuerunt, describas licet. illud etiam te rogo, *τί μὲν πρὸ ἔσθμ κατὰ σαιτυ ποδῶς*, ne istuc hospes veniam. Vale.

CICERO ATTICO S.

VESTORIVS noster me per literas facit certior, te Roma ad v. Id. Maii putare profectum esse, tardius quàm dixerat, quòd minus valuissem. si iam melius vales, vehementer gaudeo. Velim domum ad tuos scribas, vt mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adessem, cum cæteri, tum Varronis. est enim mihi vtendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo, quos, vt spero, tibi valde probabo. Velim siquid fortè noui habes, maximè à Quinto fratre, deinde à C. Cæfare, & siquid fortè de comitiis, de Repub. (soles enim tu hæc festinè odorari) conscribas ad me: si nihil habebis, tamen scribas aliquid. nunquam enim mihi tua epistola aut intempestiua, aut loquax visa est. Maximè autem rogo, rebus tuis, totoque itinere ex sententia confecto, nos quamprimũ reuisas. Dionysium iube saluere. Cura vt valeas.

CICERO ATTICO S.

DE Eutyichide gratum, qui vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius, vt est ex me, & ex te iunctus Dionysius M. Pomponius. valde mehercule mihi gratũ, si Eutyichides tuam erga me beneuolentiã cognoscet, suam illam in meo dolore *συμπάθειαν*, neque tum mihi obscurã, neque post ingratham fuisse. Iter Asiaticum tuum puto tibi

fufcipiendum fuisse. nunquam enim tu sine iustissima causa tam longè à tot tuis & ho-
minibus, & rebus charissimis & suauissimis abesse voluisses. sed humanitatē tuam, a-
morēque in tuos, reditus celeritas declarabit. Sed vereor ne lepore suo detineat diu-
tius Præt. Clodius, & homo pereruditus, vt aiunt, & nunc quidem deditus Græcis lite-
ris Pituanios. sed si vis homo esse, recipe te ad nos, ad quod tempus confirmasti. cum
illis tum, cum salui venerint, Romæ viuere licebit. Auere te scribis accipere aliquid
à me literarum. dedi, ac multis quidem de rebus *ἡμερολογίων* perscripta omnia. sed vt
coniicio, quoniam mihi non videris in Epeiro diu fuisse, redditas tibi non arbitror. Ge-
nus autem mearum ad te literarum eiusmodi ferè est, vt non libeat cuiquam dare, nisi
de quo exploratum sit, tibi eum redditurum. Nunc Romanas res accipe. Ad IIII.
Non. Quint. Suffenas & Cato absoluti. Porcilius condemnatus. Ex quo intellectum
est, tres *ἑξοπαλίτας* ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totā denique Rem-
pub. flocci non facere. debemus patrem familiā domi suæ occidere nolle, neque ta-
men id ipsum abundè. nam absoluerunt x x I I. condēnauerunt x x V I I I. Publius fan-
nè diserto epilogo criminans, mentes iudicum mouerat. Otalus in ea causa fuit cuius-
modi solet: nos verbum nullum, veritas est enim pusilla, quæ nūc laborat, ne animum
Publio offenderet. his rebus actis, Reatini me ad sua *τέμετα* duxerūt, vt agerem causam
contra Interamnates apud Consulem & decem legatos, quod lacus Velinus à M. Cu-
rio emissus interciso monte in Nar defluit. ex quo est illa siccata, & humida tamen mo-
dicè Rosia. Vixi cum Axio: qui etiam me ad Septem aquas duxit. rediī Romam Fon-
te. causa: ad v I I. Id. Quintil. veni: spectaculū primum magno & æquabili plausu: sed
hoc ne curaris: ego ineptus qui scripserim. deinde Antiphōti operam: is erat antè ma-
numissus, quàm productus. ne diutius pendeas, palmam tulit. sed nihil tam pusillum,
nihil tam sine voce, nihil tam verū. Hæc tu tecum habeto. in Andromacha tamen ma-
ior fuit, quàm Astyanacte. nā in cæteris parè habuit neminē. Quæris nūc de Arbuscu-
la. valde placuit. Ludi magnifici & grati. Venatio in aliud tempus dilata. Sequere
nunc me in campum. ardet ambitus. *πῶμα δὲ τοῖ ἐπέω*. Fœnus ex triente Idib. Quint. fa-
ctum erat bestibus. Dices, Istuc quidem non molestè fero. O virum, o ciuem. Mem-
mium Cæsaris omnes opes confirmant. cum eo Domitium c o s. iunxerunt: qua pa-
ctione, epistolæ committere non audeo. Pompeius fremit, queritur, Scauro studet: sed
vtrum fronte, an mente, dubitatur. *ἔξοχα* nulla est: pecunia omnium dignitatem ex-
quat. Messala languet, non quod aut animus desit, aut amici: sed coitio Consulū, & Pom-
peius obsunt. ea comitia puto fore vt ducantur. Tribunitii candidati iurarunt se arbi-
trio Catonis petiuros. apud eum *ns*. quingena deposuerunt, vt qui à Catone damna-
tus esset, id perderet, & competitoribus tribueretur. Hæc ego pridie scribebā, quàm co-
mitia fore putabantur. Sed ad te v. Cal. Sext. si facta erunt, & tabellarius non erit pro-
fectus, tota comitia perscribam. quæ si, vt putantur, gratuita fuerint, plus vnus Cato po-
tuerit, quàm omnes quidem iudices. Messius defendebatur à nobis, è legatione reuo-
catus. nam eum Cæsari legarat Appius. Seruilius edixit, vt adesset. tribus habet Ponti-
nam, Velinam, Metiā. pugnatur acriter: agitur tamē satis. deinde me expedio ad Dru-
sum, inde ad Scaurum. Parantur orationibus iudices gloriosi. fortasse accedent etiam
Consules Deds. in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc iudicio valde laborabit. Ex
Quinti fratris literis suspicor iam eum esse in Britannia. suspenso animo expecto, quid
agat. illud quidem sumus adepti, quod multis & magnis iudiciis possumus iudicare,
nos Cæsari & charissimos & iucundissimos esse. Dionysium velim saluere iubeas, &
eum roges & hortere vt quamprimum veniat, vt possit Ciceronē meum atque etiam
me ipsum erudire. Vale.

CICERO ATTICO S.

OCCUPATIONVM mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manu est.
De epistolarum frequentia te nihil accuso. sed pleræque tantummodo mihi nuntia-

bant vbi esses, quod erat abs te, vel etiam significabant rectè esse. Quo in genere maxi-
mè delectarunt duæ ferè eodem tempore abs te Bruto data: scire enim volebam te
commodè nauigasse. Sed hæc epistolarum frequentia non tam vbertate sua, quàm ce-
leritate delectauit. Illa fuit grauis & plena rerum, quam mihi M. Paccius hospes tuus
reddidit. ad eam rescribam igitur, & hoc primū. Paccio re & verbis ostendi, quid
tua commendatio ponderis haberet. itaque in intimis est meis, cum antea notus non
fuisset. Nunc pergam ad cætera. Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem
locum, si modò erit locus. sed nosti genus dialogorum meorum: vt in oratoriis, quos
tu in cælum fers, non mentio potuit fieri cuiusquam ab iis qui disputant, nisi eius, qui
illis notus aut auditus esset. Hanc ego de Repub. quam institui disputationem, in A-
fricani personam, & Phili, & Lælii, & Manilii contuli. adiunxi adollescentis Q. Tu-
beronem, P. Rutilium, duos Lælii generos, Scauolam & Fannium. itaque cogitabam,
quoniam in singulis libris vtor proæmiis, vt Aristoteles in iis, quos *ἔξωπεικῆς* vocat,
aliquid efficere, vt non sine causa istum appellarem: id quod intelligo tibi placere, vt
nam modò conata efficere possim. rem enim (quod te non fugit) magnam comple-
xus sum, & grauem, & plurimi otii, quo ego maximè egeo. Quod in iis libris, quos lau-
das, personam desideras Scauolæ, non eam temerè dimoui: sed feci idem, quod in *πο-
λιτεία* deus ille noster Plato, cum in Piræum Socrates venisset ad Cephalum locuple-
tem & festiuum senem, quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputādo senex:
deinde cum ipse quoque commodissimè locutus esset, ad rem diuinam dicit se velle
discedere, neque postea reuertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore,
si hominē id ætatis in tam lōgo sermone diutius retinuisset. multò ego fatius hoc mihi
cauedum putauī in Scauola, qui & ætate & valetudine erat ea qua meministi, & iis ho-
noribus, vt vix satis decorum videretur eum plureis dies esse in Crassi Tusculano. &
erat primi libri sermo non alienus à Scauolæ studiis: reliqui libri *τεχνολογίας* habent, vt
scis. huic ioculatoriæ disputationi senem illum vt noras, interesse fanè nolui. De re
filix quod scribis, erit mihi curæ: etenim est luculenta. Aureliam vt scribis, indicis: & in
eo me etiam Tullix meæ venditabo. Vestorio non desum. gratum enim tibi id esse
intelligo, & vt ille intelligat, curo: sed scis qui? cum habeat duos faciles, nihil difficilius.
Nunc ad ea, quæ quæris de C. Catone. lege Iunia & Licinia scis absolutum: Fusia ego
tibi nuncio absolutum iri, neque patronis suis tam libentibus, quàm accusatoribus. is
tamen & mecum, & cum Milone in gratiam rediit. Drusus reus est factus à Lucretio,
iudicibus reiiciendis ad v. Non. Quint. de prælio rumores non boni: sed iudicia no-
sti. Hirrus cum Domitio in gratia est. s. c. quod hîc Consules de prouinciis fecerunt,
Quicumque posthac, notum tibi, vt quod iam intelligebamus enunciationem illam
Memmii valde Cæsari displicere. Messala noster, & eius competitor Domitius libera-
lis in populo valde fuit. nihil gratius. certi erant Consules. ac Senatus decreuit, vt taci-
tum iudicium ante comitia fieret. ab his consiliis, quæ erant omnibus fortita in singu-
los candidatos, magnus timor candidatorum. sed quidam iudices, in his Opimius Ve-
ietorantius, Tribunos pl. appellarunt, ne iniuīsu populi iudicarent. rescidit. Comitia di-
lata ex s. c. dum lex de tacito iudicio ferretur. venit legi dies. Terentius intercessit. Con-
sules, qui illud leui brachio egissent, rem ad Senatū detulerunt, hic Abdera non tacen-
te me. Dices, Tamen tu non quiescis? Ignosce, vix possum. veruntamen quid tā ridicu-
lum? Senatus decreuerat, ne prius comitia haberentur, quàm lex lata esset. qui si inter-
cessisset, res integra referretur. cœpta ferri leuiter. intercessum non inuitis. res ad Sena-
tum. de ea re ita censuerunt: comitia primo quoque tempore haberi censere. Scaurus,
qui erat paucis diebus illis absolutus, cum ego partem eius ornatissimè defendissem,
obnunciationibus per Scauolam interpositis, singulis diebus vsque ad prid. Calend.
Octob. quo ego hæc die scripsi, sublatis, populo tributim domi suæ satisfecerat. sed ta-
men, etsi vberior liberalitas huius, gratior esse videbatur eorum, qui occuparant.

Cuperem vultum videre tuum, cum hæc legeres. nam profectò rem non habes nullam, hæc negotia multarum nundinarum fore: sed Senatus hodie fuerat futurus, id est Calend. Octob. iam enim lucifcit. ibi loquetur, præter Antium & Fauonium, liber nemo: nam Cato ægrotat. de me nihil timueris: sed tamen promitto nihil. Quid quæris aliud? Iudicia, credo. Drusus, Scaurus non fecisse videntur. tres candidati fore rei putabantur, Domitius à Memmio, Messala à Q. Pompeio Rufo, Scaurus à Triario, aut à L. Cæsare. Quid poteris, inquires, pro iis dicere? Ne viuiam, si scio. In illis quidem tribus libris, quos tu dilaudas, nihil reperio. Nunc, ut opinionem habeas rerum, ferendum est. Quæris, ego me ut gesserim? Constantè & liberè. Quid ille, inquires, ut ferebat? Humaniter, meæque dignitatis, quoad mihi satisfactum esset, habendam sibi rationem putabat. Quomodo ergo absolutus? omnino ΠΟΡΡΑΡΥΜΝΑ accusatorum incredibilis infantia, id est L. Lentuli, L. F. quem fremunt omnes præuaricatum: deinde Pompeii mira contentio, iudicum fordes, attamen xxxii. condemnarunt, xxxviii. absoluerunt. iudicia reliqua impendent. nondum est planè expeditus. Dices, Tu ergo hæc quomodo fers? Bellè mehercule, & in eo me valde amo. Amifimus mi Pomponi non omnem modò succum ac sanguinem, sed etiam colorem & speciem pristinam ciuitatis. nulla est Respub. quæ delectet, in qua acquiescam. Idne igitur, inquires, facile fers? Id ipsum. recordor enim quam bella paulisper nobis gubernantibus ciuitas fuerit, quæ mihi gratia relata sit: nullus dolor me angit. vnum omnia posse, disrumpuntur ii, qui me aliquid posse doluerunt. multa mihi dant solatia. nec tamè ego de meo statu demigro: quæque vita maximè est ad naturam, ad eam me refero, & literas & studia nostra: dicèdi laborem delectatione oratoria consolor. domus me, & rura nostra delectant. non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim. Fratrem mecū & te si habebo, per me ista pedibus trahuntur. vobis εὐφροσύνην possum. locus ille animi nostri, stomachus vbi habitabat olim, concaluit. priuata modò, & domestica nos delectant. miram securitatè videbis: cuius plurimæ mehercule partes sunt in tuo reditu. nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus. sed accipe alia. Res fluit ad Interregnum, & est nonnullus odor Dictaturæ. sermo quidem multus, qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuuit. Candidati consulares omnes rei ambitus. Accedit etiam Gabinus: quem P. Sulla non dubitans, quin foris esset, postularat contradicente & nihil obtinente Torquato. sed omnes absoluentur, nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit. Hoc tamen agitur feuerius. itaque iudicia calent. M. Fuluius Nobilior condemnatus est. multi alii vrbanis ne respondent quidem. Quid aliud noui? & tamè absoluto Gabinio, stomachantes alii iudices, hora post, Antiochum Gabinium nescio quem solidis pectoribus libertum accensum Gabinii lege Papia condemnarunt. itaque dixit statim reus læsæ maiestatis ΟΥΚ ΟΙΜΠΙΚΑ ΦΙΗΙ. Pōtinus vult ad iiii. Non. Nouemb. triumphare. huic obuiam Cato & Seruilius Præt. aperte, & Q. Mutius Trib. negant enim latum de imperio: & est latum hercule infulse. sed erit cum Pontino Appius c o s. Cato tamen affirmat, se viuo illum non triumphare. id ego puto, ut multa eiusdem, ad nihil recasurum. Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat. Ab Quinto fratre & à Cæsare accepi ad ix. Calend. Nouemb. literas (confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla præda, imperata tamen pecunia) datas à litoribus Britannia, proximo: ad vi. Calend. Octob. exercitum Britannia reportabant. Q. Pilius erat iam ad Cæsarem profectus. Tu, si aut amor in te est noster ac tuorum, aut vlla veritas, aut si etiam sapias, ac frui tuis cōmodis cogitas, aduentare & propè adesse iam debes. Non mehercule æquo animo te careo. te autè quid mirum, qui Dionysium tantopere desiderem: quem quidem abs te, cum dies venerit, & ego & Cicero meus flagitabit. abs te proximas literas habebam, Epheso, ad v. Id. Sext. datas. Vale.

CICERO ATTICO S.

Ο' EXPECTATA S mihi tuas literas. ò gratum aduentum. ò constantiam promissam, si, & fidem miram. ò nauigationem amandam, quam mehercule ego valde timebam, recordans superioris tuæ transmissionis. Sed, nisi fallor, citius te, quam scribis, videbo. credo enim te putasse tuas mulieres in Apulia esse: quod cum secus erit, quid te Apulia moretur? nam Vestorio dandi sunt dies, & ille Latinus ἀπικριστός ex interuallo regustandus. quin tu huc aduolas, & inuisis illius nostræ Reipub. Germanæ. putauit de numis ante comitia tributim vno loco diuisis palam: inde absolutum Gabinium: detur, esse valiturum. De Messala quòd quæris: quid scribam, nescio: nunquam vidi tam pares candidatos. Messalæ copias nosti. Scaurum Triarius reum fecit. si quæris, nulla est magnopere commota συμπάγη. sed tamen habet AEdilitas eius memoriam non ingrattam, & est pondus apud rusticos in patris memoriam. reliqui duo plebeii sic exequantur, ut Domitius valeat amicis, adiuuetur tamen non gratissimo munere: Memmii Cæsaris commendetur militibus, Pompeii Gallia nitatur. quibus si non valuerit, putant fore aliquem, qui comitia in aduentum Cæsaris detrudat, Catone præsertim absoluto. Paccianæ epistolæ respondi. cognosce cætera. Ex fratris literis incredibilia quædam de Cæsaris in me amore cognoui, eaque sunt ipsius Cæsaris vberimis literis confirmata. Britannici belli exitus expectatur. constat enim aditus insulæ esse munitos mirificis molibus: etiam illud iam cognitum est, neque argenti scrupulum esse vllum in illa insula, neque vllam spem prædæ, nisi ex mancipiis: ex quibus nullos puto te literis aut musicis eruditos expectare. Paulus in medio foro Basilicam iam penè texuit iisdem antiquis columnis. illam autem quam locauit, facit magnificētissimam. Quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. Itaque Cæsaris amici (me dico, & Oppium) disrumparis licet, monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus, & vsque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties vs. cum priuatis non poterat transigi minore pecunia. Efficiemus rem gloriosissimam. nam in campo Martio septa Tribunitiis comitiis marmorea sumus, & tecta facturi: eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. simul adiungetur huic operi villa etiam publica. Dices, Quid mihi hoc monimētum proderit? Ad quid laboramus res Romanas? non enim te puto de lustro, quod iam desperatum est, aut de iudiciis, quæ lege Plotia fiât, quærere. Nunc te obiurgari patere, si iure: scribis enim in ea epistola, quam C. Domitius mihi reddidit Buthroto datam, in Asiam tibi eundem esse, te arbitrari. Mihi mehercule nihil videbatur esse, in quo tātulum interesset, vtrum per procuratores ageres, an per te ipsum, ne toties, & tam lōgè abesses. Sed hæc mallem integra re tecum egisse. profectò enim aliquid egissem. nunc reprimam susceptam obiurgationem: vtinam valeat ad celeritatem reditus tui. Ego ad te propterea minus saepe scribo, quòd certum non habeo vbi sis, aut vbi futurus sis. huic tamè nescio cui, quòd videbatur is te visurus esse, putauit dandas esse literas. Tu quoniam iturum te in Asiam esse putas, ad quæ tempora te expectè, facias me certiozem velim, & de Eutychide quid egeris. Vale.

CICERO ATTICO S.

P V T O te existimare me non oblitum consuetudinis & instituti mei rarius ad te scribere, quàm solebā. sed cum loca & itinera tua nihil habere certi video, neque in Epeirum, neque Athenas, neque in Asiā, neque cuiquam, nisi ad te ipsum proficiscenti dedi literas. neque enim sunt epistolæ nostræ, quæ si perlatae non sint, nihil ea res nos offensusura sit, quæ tantum habent mysteriorū, ut eas ne librariis quidem ferè committamus. Lepidum quo excidat. Consules flagrant infamia, quòd C. Memmii candidatus patetionem in Senatu recitauit, quam ipse, suus cōpetitor Domitius cum Consulibus fecisset, ut ambo vs. quadringena Consulibus darèt, si essent ipsi Consules facti: nisi treis Augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex Curiata ferretur, quæ lata non esset:

& duos consulares, qui se dicerent in ornandis prouinciis cōsularibus scribendo affuisse, cum omnino ne Senatus quidē affuisset. Hæc pactio non verbis, sed nominibus & percriptionibus, multorū tabulis cum esse facta diceretur, prolata à Memmio est, nominibus inductis authore Pōpeio. hic Appius erat idem: nihil sanè iacturæ. corruebat alter, & planè in quā iacebat. Memmius autem dirempta coitione, inuito Caluino, planè refrixerat, & eò magis nunc cōcitare Dictaturam, fauere iustitio, & omnium rerum licentiæ. Perspice æquitatē animi mei, & ludū, & contēptionem Seleucianæ prouinciaz, & meam hercule cum Cæsare suauissimam coniunctionem. hæc enim me vna ex hoc naufragio tabula delectat. qui quidem Quintum meum, tuumque (dii boni) quē admodum tractat honore, dignitate, gratia: nō secus, ac si ego essem imperator. hibernam legionem eligendi optio delata Cōmodum, vt ad me scribit. Hunc tu non ames? Quem igitur istorum? Sed heus tu, scripseramne tibi me esse legatum Pompeio? & extra urbem quidem fore ex Idib. Ian? visum est hoc mihi ad multa quadrare. Sed quid plura? coram (opinor) reliqua: vt tu tamen aliquid expectes. Dionysio plurimam salutem: cui quidem ego non modò seruaui, sed etiam ædificauit locum. Quid quæris: ad summam lætitiā meam, quam ex tuo reditu capio, magnus ex illius aduentu cumulus accedit. Quo die ad me venies, si me amas, apud me cum tuis maneat. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER V.

CICERO ATTICO S.

EGO verò & tuum in discessu vidi animū, & meo sum ipse testis. quo magis erit tibi vidēdum, nequid noui decernatur, vt hoc nostrum desiderium ne plus sit annum. De Annio Saturnino curasti probè. De satisfadando verò te rogo, quoad eris Romæ, tu vt satisfades. & sunt aliquot satisfadationes secundum m̄cipium, in his & Memmianorum prædiorum vel Atilianorum. De Oppio factum est, vt volui, & maxime quòd d e c c. aperuisti: quæ quidē ego vtique vel versura facta solui volo, ne extrema exactio nostrorū nominum expectetur. Nunc venio ad transuersum illum extremæ epistolæ tuæ versiculum, in quo me admones de sorore. quæ res se sic habet. Vt veni in Arpinum, cum ad me frater venisset, in primis nobis sermo, isque multus de te fuit. ex quo ego veni ad ea quæ fueramus ego & tu inter nos de sorore in Tusculano locuti: nihil tam vidi mite, nihil tam placatum, quàm tum meus frater erat in sororem tuam: vt etiam si qua fuerat ex ratione sumpta offensio, non appareret. illo sic die. Postridie ex Arpinati profecti sumus. vt in Arcano Quintus maneret, dies fecit. ego Aquini: sed prandimus in Arcano. nosti hunc fundum. quò vt venimus, humanissime Quintus, Pomponia, inquit, tu inuita mulieres, ego acciuerō pueros. nihil potuit, mihi quidem vt visum est, dulcius, idque cum verbis, tum etiam animo ac vultu. At illa audientibus nobis, Ego sum, inquit, hîc hospita. Id autem ex eo, vt opinor, quòd antecesserat Staius, vt prandiū nobis videret. Tum Quintus, En, inquit mihi, hæc ego patior quotidie. Dices, Quid, quæso, istuc erat? Magnum: itaque me ipsum commouerat, sic absurdè & asperè, verbis vultūque respōderat. dissimulaui dolens. discubimus omnes præter illam: cui tamen Quintus de mensa misit: illa reiecit. Quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi visum est: & multa prætereo, quæ tum mihi maiore stomacho, quàm ipsi Quinto fuerunt. Ego inde Aquinum. Quintus in Arcano remansit, & Aquinum ad me postridie mane venit, mihi que narrauit, nec secum illam dormire voluisse, & cum discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego vidissem. Quid quæris? vel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei meo iudicio illo die de-

fuisse. Hæc ad te scripsi fortasse pluribus, quàm necesse fuit, vt videres tuas quoque esse parteis instituendi & monendi. Reliquum est, vt antè quàm proficiscare, mandata nostra exhaurias, scribas ad me omnia, Pontinum extrudas. Cum profectus eris, cures vt sciam. sic habeas, nihil mehercule te mihi nec charius esse, nec suauius. A. Torquatum amantissimè dimisi Minturnis, optimum virum, cui me ad te scripsisse aliquid, in sermone significes velim. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD VI. Id. Maias cum has dabā literas, ex Pompeiano proficiscebar, vt eo die manerem in Trebulano apud Pontium. deinde cogitabā sine vlla mora iusta itinera facere. In Cumano cū essem, venit ad me (quod mihi pergratum fuit) noster Hortēsius: cui de poscenti mea mādata, cetera vniuerse mandaui, illud propriè, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis prouincias. in quo eum tu velim confirmes, gratūque mihi fecisse dicas, quòd & venerit ad me, & hoc mihi, prætereāque siquid opus esset, promiserit. confirmaui ad eam causam etiam Furnium nostrum, quem ad annum Tribunum pl. videbam fore. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam: tanta erat in his locis multitudo: cum interim Rufio noster, quòd se à Vestorio obseruari videbat, stratagemate hominem percussit. nam ad me non accessit. Itāne? cum Hortēsius veniret, & infirmus, & tam longè Hortensius: cum maxima præterea multitudo, ille non venit? Non, inquam. Non vidisti igitur hominem, inquires? Quī potui nō videre, cum per emporium Puteolanorum iter facerem: in quo illum, agentem aliquid credo, salutauit: post etiam iussi valere, cum me è Panfæ villa, nunquid vellem, rogasset. Hunc hominē parum gratum quisquam putet? aut non in eo ipso laudandum, quòd audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Noli putare mihi aliam consolationē esse huius ingentis molestiæ, nisi quòd spero non longiorem annua fore. Hoc me ita velle multi non credunt ex consuetudine aliorum. tu qui scis, omnem diligentiam adhibebis, tum scilicet, cum id agi debebit. Cum ex Epeiro redieris, de Repub. scribas ad me velim, siquid erit, quòd operiare. nondum enim satis huc erat allatum, quo modo Cæsar ferret de autoritate percripta: eratque rumor de Transpadanis, eos iussos 1111. viros creare. quòd si ita est, magnos motus timeo. sed aliquid ex Pompeio sciam. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD VI. Id. Maias veni in Trebulanum ad Pontium. ibi mihi tuæ literæ binæ redditæ sunt tertio abs te die. eodem autem ex Pompeiano Philotimo dederā ad te literas. nec verò nunc erat sanè quid scriberē. Qui de Rep. rumores, scribe quæso. in oppidis enim summum video timorem. sed multa inania. quid de iis cogites, & quando scire velim.

Ad quas literas tibi rescribi velis nescio. nullas enim adhuc acceperam, præter quas mihi binæ semel in Trebulano redditæ sunt. quarum alteræ edictum P. Licinii habebant (erant autem Non. Maiis datæ) alteræ rescriptæ ad meas Minturnenses. quàm vereor, ne quid fuerit *αὐτοῦ ἑαυτοῦ* in iis, quas nō accepi, quibus rescribi vis. Apud Lentulum ponam te in gratiam. Dionysius nobis cordi est. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. iam deest quid scribam, & lucet. Beneuenti cogitabam hodie. nostra contentia & diligentia faciemus satis. A Pontio, ex Trebulano, ad v. Id. Maii.

CICERO ATTICO S.

BENEVENTVM veni ad v. Id. Maii. ibi accepi eas literas, quas tu superioribus literis significaueras te dedisse. ad quas ego ipso eo die dederam ex Trebulano à Pontio. ac binas quidem tuas Beneuenti accepi. quarum alteras Fesulanus multo mane mihi dedit, alteras scriba Tullius. Gratissima est mihi tua cura de illo meo primo & maximo mandato, sed tua profectio spem meam debilitat. ac ne ille illud quidem labat, non quo, sed inopia cogimur eo contenti esse. De illo altero, quem scribis tibi visum esse non alienum, vereor adduci, vt nostris possit (& tuis *δυσδελήμων*) *αὐτῶν ἑαυτοῦ* esse, & quidē summè facilis. sed tu aberis, & me absente rei habebis rationem meæ. nā posset

aliquid, si vteruis nostrum adesset, agente Seruio fieri probabile. nunc si iam res placet, agendi tamen viam non video. Nunc venio ad illam epistolam, quam accepi à Tullio. De Marcello fecisti diligenter. igitur s. c. si erit factum, scribes ad me: sin minus, rem tamen conficies. mihi enim attribui oportebit, item Bibulo. sed non dubito, quin s. c. expeditum sit, in quo praefertim sit compendium populi. De Torquato probe. De Massone & Ligure, cum venerint. De illo quod Cherippus: (quoniam hic quoque *τοῦτο ἔδοξε* sustulisti) o provincia, etiamne hic mihi curandus est: curandus autem? hactenus, nequid ad Senatum: Consule, aut numera. nam d. c. ceperis. sed tamen commode, quod cum Scrofa. De Pontino recte scribis. est enim ita: vt si ante Caléd. Iun. Brundusii futurus sit, minus vrgendi fuerint M. Annius & Tullius. Quae de Sicinio, audisti, ea mihi probantur, modo ne illa exceptio in aliquem incurrat bene de nobis meritum. sed considerabimus: rem enim probo. De nostro itinere, quod statuero: de quinque praefectis, quid Pompeius factururus sit, cum ex ipso cognoro, facia vt scias.

De Oppio bene curasti, quod ei d. c. c. exposuisti. idque quoniam Philotimum habes, perface & cognosce rationem: & vt agam amplius, si me amas, priusquam proficiscaris, effice, magna me cura leuaris. Habes ad omnia. etsi penè praeterii. charta tibi deesse, mea cautio est: siquidem eius inopia minus multa ad me scribis. tu vero aufer ducentos. etsi meam in eo parsimoniam huius paginæ contractio significat, dum acta & rumores vellet. Iam si qua certa habes de Caesare, expecto literas: & alias Pontino de omnibus rebus diligentes dabis. Vale.

CICERO ATTICO S.

PLANE deest, quod scribam: nam nec quid mande, habeo: nihil enim praetermissum est. nec quid narrem: noui enim nihil, nec iocandi locus est: ita me multa sollicitant. Tantum tamen scito, Idib. Maii nos Venusia mane proficiscentes has dedisse. eo autem die credo aliquid actum in Senatu. Sequatur igitur nos tuae literae, quibus non modo res omnes, sed etiam rumores cognoscamus. eas accipiemus Brundusii. ibi enim Pontinum ad eam diem, qua tu scripsisti, expectare consiliu est. Nos Tarenti quos cum Pompeio *2/3 & 2/3* de Repub. habuerimus, ad te perscribemus. etsi id ipsum scire cupio, quod ad tempus recte ad te scribere possem, id est quandiu Romae futurus sis: vt aut quod dem posthac literas, sciam, aut ne dem frustra. sed ante quam proficiscare, utique explicatum sit illud *hs. xx. & d. c. c.* Hoc velim in maximis rebus, & maximè necessariis habeas, vt quod authore te velle coepi, adiutore assequar. Vale.

CICERO ATTICO S.

TARENTVM veni ad xv. Calend. Iun. quod Pontinum statueram expectare, commodissimum duxi dies eos, quoad ille veniret, cum Pompeio consumere, eoque magis, quod ei gratue esse id videbam, qui etiam à me petierit, vt secum, & apud se essem quotidie: quod concessi libenter. multos enim eius praclaros de Repub. sermones accipiam: instruar etiam consiliis idoneis ad hoc nostrum negotium. sed ad te breuior iam in scribendo incipio fieri, dubitans Romae ne sis, an iam profectus. quod tamen quoad ignorabo, scribam aliquid potius, quam committam, vt tibi cum possint reddi à me literae, non reddantur. nec tamen iam habeo quid aut mandem tibi aut narrem: mandauit omnia quae quidem tu, vt polliceris, exhauries: narrabo cum aliquid habebit noui. Illud tamen non definam, dum adesse putabo, de Caesaris nomine rogare, vt confectum relinquas. Auide expecto tuas literas, & maximè vt norim tempus profectiois tuae. Vale.

CICERO ATTICO S.

QUOTIDIE, vel potius in dies singulos breuiore literas ad te mitto. quotidie enim magis ac magis suspicor te in Epeirum iam profectum. sed tamen vt mandatum scias me curasse: quot ante, ait se Pompeius quinos praefectos delaturum nouos, vacationes, iudicariam causam. Ego cum triduum cum Pompeio, & apud Pompeium fuiss-

sem, proficiscebar Brundusium ad xiiii. Caléd. Iun. ciuem illum egregium relinquebam, & ad haec quae timentur, propulsanda paratissimum. Tuas literas expectabo, cum vt quid agas, tum vt vbi sis, sciam. Vale.

CICERO ATTICO S.

ME & incommoda valetudo, qua iam emerferam, vtpote cum sine febris laborassem, & Pontini expectatio, de quo adhuc ne rumor quidem venerat, tenebat duodecimum iam diem Brundusii. sed cursum expectabamus. tu si modo es Romae (vix enim puto) ¹³ sin es, hoc vehementer animaduertas velim. Romae acceperam literas, Milone meum queri per literas iniuriam meam, quod Philotimus socius esset in bonis suis. id ego ita fieri volui de C. Duronii sententia, quem & amicissimum Miloni perspexeram, & talem virum, qualem tu iudicas, cognoram. Eius autem consilium, meumque hoc fuerat: primum vt in potestate nostra esset res, ne illum malus emptor alienis mancipiis, quae permulta secum habet, spoliaret: deinde vt Faustae, cui cautum ille esse voluisset, ratum esset. erat etiam illud, vt ipsi nos, siquid seruari possit, quam facillimè seruaremus. Nunc rem totam perspicias velim. nobis enim scribuntur saepe maiora. sed si ille queritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta vult: Philotimus (vt ego ei coram dixeram, mihique ille receperat) ne sit inuito Milone in bonis: nihil nobis fuerat tanti. sin haec leuiora sunt, tu iudicabis. loquere cum Duronio. Scripsi etiam ad Camillum, ad Lamiã, ¹⁴ eoque magis, quod non confidebam Romae te esse. Summa erit haec. statues, vt ex fide, fama, reque mea videbitur. Vale.

CICERO ATTICO S.

ACTIVM venimus ad xvii. Calend. Quint. cum quidem & Corcyrae & Sybotis muneribus tuis, quae & Areus, & meus amicus Eutychedes opipare, & *φίλο εγγονί- σατα* nobis concesserant, epulati essemus salialem in modum. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissimè nauigassemus: & Leucathen flectere, molestum videbatur. actuariis autem minutis Patras accedere sine iis impedimentis, non satis visum est decorum. Ego, vt saepe tu me currentem hortatus es, quotidie meditor: praecipio meis: faciam denique vt summa modestia & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus velim quiescat, & fortuna nos iuuet. nostra praestabimus. Tu quaeso, quid agas, vbi quoque hoc tempore futurus sis, qualeis res nostras Romae reliqueris, maximè de c. x. x. & de d. c. c. cura vt sciamus. id vnus diligenter ¹⁵ literis datis, quae ad me utique perferantur, consequere. Illud tamen (quoniam nunc abes, cum id non agitur, aderis autem ad tempus, vt mihi scripsisti) memento curare per te & per omnes nostros, in primis per Hortensium, vt annus noster maneat suo statu, nequid noui decernatur. Hoc tibi ita mando, vt dubitem an etiam te rogem vt pugnes, ne intercaletur: sed non audeo tibi omnia onera imponere. annum quidem utique teneto. Cicero meus, modestissimus & suauissimus puer, tibi salutem dicit. Dionysium semper equidem, vt scis, dilexi, sed quotidie pluris facio, & mehercule in primis, quod te amat, nec tui mentionem intermittere finit. Vale.

CICERO ATTICO S.

VT Athenas ad xv. Calend. Quint. veneram, expectabam ibi iam quartum diem Pontinum, neque de eius aduentu certi quicquam habebam: eram autem totus (crede mihi) tecum: & quanquam sine iis per me ipse, tamen acrius vestigiis tuis monitus, de te cogitabam. Quid quaeris: non mehercule alius vllus sermo, nisi de te. Sed tu aliquid de me ipso scire fortasse mauis. haec sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publice, aut priuatim, nec in quenquam comitum. nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hospite. persuasum est omnibus meis seruiendum esse famae meae. bellè adhuc. hoc animaduersum, Graecorum laude & multo sermone celebratur. quod superest, elaboratur in hoc à me, sicut tibi sensi placere. sed haec tum laudemus, cum erunt perorata. Reliqua sunt eiusmodi, vt meum consilium saepe reprehendam, quod non aliqua ratione ex hoc negotio

emerferim. O rem minimè aptam meis moribus. ò illum verum, ἔρδει τις. Dices, Quid adhuc? nondum enim in negotio versaris? Nescio, & puto molestiora restare. sed hæc ipsa fero equidem fronte, vt puto, & vultu bellis. sed angor intimis sensibus: ita multa vel iracundè, vel insolenter, vel in omni genere stultitiæ insulse, arroganter & dicuntur & tacentur quotidie. quæ, non quò te celem, non perscribo, sed quia δυσβολήματα sunt. Itaque admirabere meam βαδύτητα, cum salui redierimus: tanta mihi μελέτη huius virtutis datur. Ergo hæc quoque hæctenus. et si mihi nihil erat propositum ad scribendum, quia quid ageres, vbi terrarum esses, ne suspicabar quidem: nec hercule vnquam tãdiu ignarus rerum mearum fui, quid de Cæsaris, quid de Milonis nominibus actum sit: ac non modò nemo, sed ne rumor quidem quisquã, vt sciremus, in Rep. quid ageretur. Quare siquid erit quod scias de his rebus, quas putabis scire me velle, per mihi gratum erit, si id curaris ad me perferendum. Quid est præterea? Nihil sanè, nisi illud: 18 valde me Athenæ delectarunt. Turbæ duntaxat: & vrbis ornamentum, & hominum amores in te, in nos quadam beneuolentia. sed multum ea philosophia εὐω, καὶ κέτω, siquidem est in Aristo, apud quem eram. nam Xenonem tuum, vel nostrum potius Quinto concesseram: & tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus inuicem.

Cum primùm poteris, tua consilia ad me scribas, vt sciam quid agas, vbi quoque, & maximè quando Romæ futurus sis. Vale.

CICERO ATTICO S.

19 H V I, totiesne me literas dedisse Romam, cum ad te nullas darem: at verò posthac frustra potius dabo, quàm si rectè dari potuerint, committam vt non dem. Ne prouincia nobis prorogetur, per fortunas, dum ades, quicquid prouideri potest, prouide. non dici potest, quàm flagrem desiderio Vrbs, quam vix harum rerum insulitatem feram. Marcellus sedendi comes, et si ille magistratum non gesserit, erit tamen Transpa- 20 danus, ita mihi videtur non minus stomachi nostro Cæsari fecisse. sed hoc ipse viderit.

Pompeius mihi quoque videbatur (quòd scribis Varronè dicere) in Hispaniam certè iturus. id ego minimè probabam, qui quidem Theophani facilè persuasi, nihil esse melius quàm illud, nusquam discedere. ergo Græcus incumbet. valet autem authoritas eius apud illum plurimùm. Ego has prid. Non. Quint. proficiscens Athenis dedi, cum ibi decem ipsos fuisset dies. venerat Pontinus. nam Cn. Volusius aderat Qua- 21 stor. tuus vnus Tullius aberat. ἀφρακτα Rhodiorum, & dicota Mitylenæorum habebam, & aliquid ἐπίκωπον. De Parthis erat silētium. quod superest, diu iuuent. nos adhuc iter per Græciam summa cum admiratione fecimus. nec me hercule habeo, quod adhuc quem accusem meorum. Videntur mihi nosse nos, nostram causam & condi- 22 tionem professionis suæ. planè seruiunt existimationi meæ. quod superest, si verum illud est, διατ' αὐ δέσπονα, certè permanebunt. nihil enim à me fieri ita videbunt, vt sibi sit delinquendi locus. sin id parum profuerit, fiet aliquid à nobis seuerius. nam adhuc lenitate dulces sumus, & vt spero, proficimus aliquantum. sed ego hanc, vt singuli dicunt, ἀνεξίαν in vnum annū meditatatus sum: proinde pugna, ne siquid prorogatu sit, turpis inueniar. Nunc redeo ad quæ mihi mandas. in præfectis excusatio. iis quos voles, deserto. nō ero tam μετέωρος, quàm in Apuleio fui. Xenonem tam dili- 23 go quàm tu, quod ipsum sentire certò scio. Apud Patronem & reliquos Barones te in maxima gratia posui: & hercule merito tuo feci. nam mihi is ter dixit, te scripsisse ad se, mihi ex illius literis rem illam curæ fuisse: quod ei pergratum erat. sed cum Patro mecum egisset, vt peterem à vestro Ariopago, ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Poly- 24 charmo Præt. fecerant: commodius visum est & Xenoni, me, & post ipsi Patroni, ad Memmium scribere, qui pridie quàm ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat, vt is ad suos scriberet, posse id sua voluntate fieri. nō enim dubitabat Xenonem, quin ab Ariopagitis inuito Memmio impetrari non posset. Memmius autem ædificandi consi- 25 lium abiecerat, sed erat Patroni iratus. itaque scripsi ad eum accuratè: cuius epistolæ

mihi ad te exemplum. Tu velim Piliam meis verbis consolere: indicabo enim tibi: tu illi nihil dixeris. Accepi fasciculū, in quo erat epistola Piliæ: abstuli, aperui, legi: valde descripta est συμπαθῶς. Brundusio quæ tibi epistolæ redditæ sunt sine mea, tum vi delictæ data, cum ego me non bellè haberem. nam illam νομειδρία excusationem ne acceperis. Cura vt omnia sciam, sed maximè vt valeas.

CICERO ATTICO S.

22 NEGOTIVM magnum est nauigare, atque id mēse Quint. Sexto die Delum Athe- nis venimus. pridie Non. Quint. à Piræo ad Zoftera vento molesto, qui nos ibidem Nonis tenuit. ad VIII. Id. ab Ceo iucundè. inde Gyrum fauo vento non aduerso: hinc Scyrum: inde Delum, vtroque citius quàm vellemus, cursum confecimus. iam nosti ἀφρακτα Rhodiorū: nihil quod minus fluctum ferre possit. itaque erat in animo nihil festinare, Delo nec me mouere, nisi omnia ἀπεγοτηρέων iura vidissem. De Messa- 23 la ad te statim, vt audiui, de Gyro dedi literas, & id ipsum cōsiliū nostrum etiam ad Hortensium, cui quidem valde συνηγωνίων. sed tuas de eius iudicii sermonibus, & me- hercule omni de Reipub. statu literas expecto παλιπλάττειν quidem scriptas (quoniam meos cum Thallumeto nostro peruolutas libros) eiusmodi inquam literas, ex quibus ego, non quid fiat (nam id vel Helonius vir gratissimus potest efficere cliens tuus) sed 24 quid futurum sit, sciam. Cum hæc leges, habebimus Consules. omnia perspicere poteris, de Cæsare, de Pompeio, de ipsis iudiciis. Nostra autem negotia (quoniam Romæ commoraris) amabo te explica. cui rei fugerat me rescribere, de strue salinarum planè rogo. de aqua siquid poterit fieri, eo sis animo, quo soles esse. quam ego cum mea spon- te, tum tuis sermonibus æstimo plurimū. ergo quid conficies. præterea siquid Philip- 25 pus rogauit, quod in tua re faceres, id velim facias. Plura scribam ad te, cum constite- ro. nunc eram planè in medio mari. Vale.

CICERO ATTICO S.

EPHESVM venimus ad XI. Calend. Sext. sexagesimo & quinto post pugnam Bo- uillam. nauigauimus sine timore & sine nausea, sed tardius propter aphractorū Rho- 24 diorum imbecillitatem. De concursu legationum, priuatorū, & de incredibili mul- titudine, quæ mihi iam Sami, sed mirabilem in modum Ephesi præsto fuit, aut audisse te puto, aut quid ad me attinet: veruntamen cū de Cumanis venissem cū imperio, Græ- 25 ci quasi Ephesio Pratori se alacres obtulerunt. ex quo te intelligere certò scio, multo- rum annorum ostentationes meas nunc in discrimen esse adductas. sed, vt spero, vte- mur ea palæstra, quam à te didicimus: omnibusque satisfaciemus, & eò facilius, quòd in nostra prouincia confectæ sunt pactiones. Sed hæctenus, præsertim cum cœnanti mihi nuntiaret Sestius, se de nocte proficisci. Tua negotia Ephesi curæ mihi fue- runt: Thermoque, tametsi ante aduentum meum liberalissimè erat pollicitus tuis om- nibus, tamen Philogenem & Seium Rhodium, & Apollonicensem Xenonem com- mendauit, omnino omnia se facturum recepit. ego præterea rationem Philogeni per- 26 mutationis eius, quam tecum feci, edidi. ergo hæc quoque hæctenus. Redeo ad vr- bana. Per fortunas (quoniam Romæ manes) primùm illud præfulci, atque præmuni quæso, vt simus annui, ne intercaletur quidem: deinde exhauri mea mandata, maxi- mèque, siquid potest, de illo domestico scrupulum quem non ignoras: deinde de Cæ- sare: cuius in cupiditatē te authore incubui, nec me piget. Et si intelligis, quàm meum sit scire & curare, quid in Repub. fiat (fiat autem: immò verò etiam quid futurum sit:) perscribe ad me omnia, sed diligentissimè, in primisque quid iudiciorum status aut fa- 27 ctorum aut futurorum etiam labore. De aqua, si curæ est, siquid Philippus aget, ani- maduertes. Vale.

CICERO ATTICO S.

28 ANTE quàm aliquo loco confedero, neque longas à me, neque semper mea manu 29 literas expectabis. cum autem erit spatium, vtrunque præstabo. nunc iter conficieba-

mus æstuosa & puluerulenta via. dederam Epheso pridie. has dedi Trallibus. In prouincia mea fore me putabam Calend. Sext. ex ea die, si me amas, *παράγειλμα ἐνιαύσιον* commoueto. tamen interea hæc quæ vellem, mihi afferebantur: primum otium Parthicum: deinde confectæ pactiones publicanorum: postremò seditio militum sedata ab Appio, stipendiũque eis vsque ad Id. Quint. persolutum. Nos Asia accepit admirabiliter. aduentus noster ne numo quidem sumptui fuit. spero meos omnes seruire laudi meæ: tamen magno timore sum: sed bene paramus. omnes iam nostri præter Tullium tuum venerunt. erat mihi in animo rectè proficisci ad exercitũ, æstiuos menses reliquos rei militari dare, hibernos iurisdictioni. Tu velim (si me nihilo minus nosti curiosum in Rep. quàm te) scribas ad me omnia quæ sint, quæue futura sint. nihil mihi gratius facere potes: nisi tamen id erit mihi gratissimum, si quæ tibi mandauit, confeceris, in primis, quid illud *ἐνδομυχον*: quo mihi scis nihil esse charius. Habes epistolam plenam festinationis & pulueris. reliquæ subtiliores erunt. Vale.

CICERO ATTICO S.

LAODICEAM veni prid. Calend. Sext. ex hoc die clauon animo verbis. nihil exoptatius aduētũ meo, nihil charius, sed est incredibile, quàm me negotii tædeat. non habeat satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi & industria meæ: præclara opera cessent? quippe ius Laodiceæ me dicere, cum Romæ A. Plotius dicat? & cum exercitum noster amicus habeat, tantum me nomen habere duarum legionum? exilium. denique hæc non desidero: lucem, forum, urbem, domum, vos desidero. sed feram ut potero, sim modò annuus. si prorogatur, actum est. verum per facile resisti potest. tu modò Romæ sis. Quæris, quid hic agam: ita viuam, ut maximos sumptus facio. mirificè delector hoc instituto. admirabilis abstinentia ex præceptis tuis: ut verear ne illud quod tecum permutavi, versura mihi soluendum sit. Appii vulnera non refrico, sed apparent, nec oculi possunt. Iter Laodicea faciebam ad III. Non. Sext. cum has literas dabam in castra in Lycaoniam. inde ad Taurum cogitabam, ut cum Morphagene signis collatis, si possem, de seruo tuo deciderem. Clitellæ boui sunt impositæ. planè non est nostrum onus, sed feremus. modò, si me amas, sim annuus. ad sis tu ad tempus, ut Senatum excites. Mirificè sollicitus sum, quòd iandiu ignota sunt mihi ista omnia. quare ut ad te antè scripsi, cum cætera, tũ Resp. cura ut mihi nota sit. Plura scribam aliàs. tardè tibi reddituro, sed dabam familiari homini ac domestico C. Andronico Puteolano. tu autem sæpe dare tabellariis publicanorum poteris, promagistris scripturæ, & portus, & nostrarum diœcesium. Vale.

CICERO ATTICO S.

ET SI in ipso itinere & via discedebant publicanorum tabellarii, & eram in cursu: tamen furripiendum aliquid putavi spatii, ne me immemorem mandati tui putares. itaque subsedi in ipsa via, dum hæc, quæ longiorem desiderat orationem, summam tibi perscriberem. Maxima expectatione in perditam, & planè euersam in perpetuum prouinciam nos venisse scito prid. Calend. Sext. moratus triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade. audiuius nihil aliud, nisi imperata *ἐπιπεφάγια* soluere non posse: possessiones omnium venditas: ciuitatum gemitus, ploratus, mōstra quædam non hominis, sed feræ nescio cuius immanis. Quid quæris? tædet omnium nos vitæ. leuantur tamen miseræ ciuitates, quòd nullus sit sumptus in nos, neque in Legatos, neque in Quæstorem, neque in quenquam. Scito nõ modò nos fœnum, aut quod lege Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem. nec præter quatuor lectos & tectum, quenquam accipere quicquam, multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerunque. Itaque incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex vicis, ex domibus omnibus. mehercule etiam aduentu nostro reuiuiscunt iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis. itaque opiniones omnium superauit. Appius ut audiuit nos venire, in vltimam prouinciam se coniecit Tarsum vsque. ibi fo-

rum agit. De Partho silentium est: sed tamen concisos equites nostros à barbaris nunciabant ii qui veniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in prouinciam suam accedere. id autem facere ob eam causam dicebant, quòd tardius vellet decedere. Nos in castra properabamus, quæ aberant bidui. Vale.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI Roma sine epistola tua fasciculum literarum, in quo, si modò valuisti, & Romæ fuisti, Philotimi duco esse culpam, non tuam. Hanc epistolam dictaui sedens in rheda, cum in castra proficiscer, ab quibus aberam bidui. paucis diebus habebam certos homines, quibus darem literas: itaque eo me seruauit. Nos tamen, etsi hoc te ex aliis audire malo, sic in prouincia nos gerimus, quòd ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius infumatur in quenquam. id fit etiam & Legatorum & Tribunorum & Præfectorum diligentia. nam omnes mirificè *συμφιλοδοξουσι* gloriæ meæ. Lepta noster mirificus est. sed nunc propero. perscribam ad te paucis diebus omnia. Cicerones nostros Deiotarus filius, qui Rex ab Senatu appellatus est, secum in regnum, dum in æstiuis nos essemus. illum pueris locum esse bellissimũ duximus. Sestius ad me scripsit, quæ tecum esset de mea domestica & maxima cura locutus, & quid tibi esset visum. Amabo te, incumbere in eam rem, & ad me scribe, quid & possit, & tu ceseas. Idem scripsit Hortensium de proroganda nostra prouincia dixisse nescio quid. mihi in Cumano diligentissimè, se, ut annui essemus, defensurum receperat. si quicquã me amas, hunc locum ama. dici non potest, quàm inuitus à vobis absim. & simul hanc gloriam iustitiæ & abstinentiæ fore illustriorem spero, si citò decesserimus. id quod Scæuolæ cōtigit, qui solos nouem menses Asiæ præfuit. Appius noster, cum me aduentare videret, profectus est Tarsum vsque Laodicea. ibi forum agit, cum ego sum in prouincia: quam eius iniuriam non insector. satis enim habeo negotii in sanandis vulneribus, quæ sunt imposita prouinciæ. quòd do operam ut faciam quam minima illius contumelia. Sed hoc Bruto nostro velim dicas, illum fecisse non bellè, qui aduentu meo, quàm longissimè potuerit, discesserit. Vale.

CICERO ATTICO S.

QUAM vellem Romæ esses, si fortè non es. nihil enim certi habebamus, nisi accepisse nos tuas literas ad XIII. Calend. Sext. datas, in quibus scriptum esset, te in Epeirum iturum circiter Calend. Sext. Sed siue Romæ es, siue in Epeiro, Parthi Euphratem transiuerunt duce Pacoro, Orodus Parthorum Regis filio, cunctis referto copiis. Bibulus nõdum audiebatur esse in Syria. Cassius in oppido Antiochiæ cum omni exercitu. nos in Cappadocia ad Taurũ cum exercitu ad Cybistra. hostis in Cyrhestica, quæ Syriæ pars proxima est prouinciæ meæ. his de rebus scripsi ad Senatum. quas literas, si Romæ es, videbis putè sine reddendas: & multa, immò omnia: quorum *κεφάλαιον*, nequid inter cæsa & porrecta (ut aiunt) oneris mihi addatur, aut tēporis. nobis enim hac infirmitate exercitus, inopia sociorum, præsertim fidelium, certissimum subsidium est hiems. ea si venerit, nec illi antè in meam prouinciam transierint, vnum vereor, ne Senatus propter vrbana rerum metum Pompeium nolit dimittere. quòd si alium ad ver mittit, non laboro: nobis modò temporis nequid prorogetur. Hæc igitur, si Romæ es: sin abes, aut etiam si ades, hæc negotia sic se habent. stamus animis, & quia consiliis, ut videmur, bonis vtimur, speramus etiam manu. tutò confedimus, copioso à frumento, Ciliciam propè conspiciente, expedito ad mutandum loco, paruo exercitu, sed ut spero, ad benevolentiam erga nos consentiente: quem nos Deiotari aduentu cum suis omnibus copiis duplicaturi eramus. sociis multò fidelioribus vtimur, quàm quisquam vsus esset: quibus incredibilis videtur & nostra mansuetudo & abstinentia. delectus habetur ciuium Romanorum. frumētum ex agris in loca tuta comportatur. si fuerit occasio, manu: sin minus, locis nos defendemus. Quare bono animo es. video enim te, & quasi coram ad sis, ita cerno *συμπάθει* amoris tui. sed te rogo, si vllò pacto fieri poterit,

si integra in Senatu nostra causa ad Calend. Ian. manserit, ut Romæ sis mense Ianuario. Profectò nihil accipiam iniuriæ, si tu aderis. amicos Consules habemus nostrum Trib. pleb. Furnium. verum tua est opus assiduitate, prudentia, gratia. tempus est necessarium. sed turpe est me pluribus verbis agere tecum. Cicerones nostri sunt apud Deiotarum: sed si opus erit, deducuntur Rhodum. Tu, si es Romæ: ut soles, diligentissimè: si in Epeiro, mitte tamen ad nos de tuis aliquem tabellarium, ut & tu, quid nos agamus, & nos, quid tu agas, quidque acturus sis, scire possimus. Ego tui Bruti rem sic ago, ut suam ipse non ageret. sed iam exhibeo pupillum, neque defendo: sunt enim negotia & læta & inania. faciam tamen satis, tibi quidem, cui difficilius est, quam ipsi: sed certè satisfaciam utrique. Vale.

CICERO ATTICO S.

OB SIGNARAM iam epistolam, eam quam puto te modò perlegisse scriptam mea manu, in qua omnia continentur, cum subitò Appii tabellarius ad x i. Cal. Oct. septimo quadragesimo die Roma celeriter (hui tã longè) mihi tuas literas reddidit: ex quibus non dubito, quin, ut Pompeium expectaris, dum Arimino rediret, etiam in Epeirum profectus sis: magis que vereor, ut scribis, ne in Epeiro sollicitus sis non minus, quam nos hîc sumus. De Atiliano nomine scripsi ad Philotimũ, ne appellaret Messalam. Itineris nostri famam ad te peruenisse lætor, magis que lætabor, si reliqua cognoris. Filiolam tuam tibi iam Romæ iucundam esse gaudeo: eamque, quam nunquam vidi, tamen & amo, & amabilem esse certò scio. Etiam atque etiam vale. De Patrone & tuis condiscipulis, quæ de Tarentinis in militia laboravi, ea tibi grata esse gaudeo. Quòd scribis libenter repulsam tulisse eum, qui cum sororis tuæ filii patruo certaret, magni amoris signum: itaque me etiam admonuisti, ut gauderem. nam mihi in mentem non venerat. Non credo, inquis. Ut libet: sed planè gaudeo, quoniam ò *μεσσην* interest τὸ φθῆναι. Vale.

CICERO ATTICO S.

SATURNALIBVS mane se mihi Pindentissæ dederunt septimo & quinquagesimo die, postquam oppugnare eos cœpimus. Qui (malum) isti Pindentissæ? qui sunt? inquires. nomen audiui nunquam. Quid ego faciam? non potui Ciliciam, AEtoliam, aut Macedoniam reddere. Hoc iam sic habeto, ne hoc exercitu hîc tanta negotia geri potuisse. quæ cognosce *ἐπιτημῆ*. sic enim cõcedis mihi proximis literis. Ephesum ut venerim nosti, qui etiam mihi gratulatus es illius dici celebritate, qua nihil me unquam delectavit magis. inde oppidis, his quæ erant, mirabiliter accepti, Laodiceam prid. Cal. Sext. venimus. ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificisque verbis omnibus iniurias reuelimus superiores: quod Dein Apameam quinq; dies morati, Synnadistriduũ, Philomeli quinque dies, Iconii decem fecimus. nihil ea iurisdictione æquabilius, nihil lenius, nihil grauius. inde ad castra veni ad v i i. Cal. Sept. ad i i i. exercitũ lustravi apud Iconiũ. ex his castris, cum graues de Parthis nuncii veniret, perrexi in Ciliciam per Cappadociam partem eam, quæ Ciliciam attingit, eo consilio ut Armenius Artuafdes, & ipsi Parthi Cappadocia se excludi putaret. cum dies quinque ad Cybistra Cappadociæ castra habuissem, certior sum factus Parthos ab illo aditu Cappadociæ longè abesse, Ciliciam magis imminere. itaq; cõfestim iter in Ciliciam feci per Tauripylas: Tarsum veni ad i i i. Non. Oct. inde ad Amanum contendi, qui Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit, qui mōs erat hostium plenus sempiternorum. hic ad i i i. Id. Oct. magnum numerum hostium cecidimus. castella munitissima nocturno Pontini aduẽtu, nostro matutino cepimus, incendimus: imperatores appellati sumus. castra paucos post dies habuimus, ea ipsa quæ cõtra Darium habuerat apud Issum Alexander imperator haud paulò melior, quam aut tu, aut ego. ibi dies quinque morati, direpto & vastato Amano inde discessimus. interim (scis enim quædam *πανικρῶ* dici, item *πὰ κενὰ τὸ πολέμῳ*) rumore aduentus nostri, & Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, & Par-

this timor iniectus est. Itaque eos cedenteis ab oppido Cassius infectus, rem bene gefit. qua in fuga magna autoritate Ofaces dux Parthorum vulnus accepit, eoque interit paucis post diebus. Erat in Syria nostrum nomen in gratia. venit interim Bibulus. credo, voluit appellatione hac inani nobis esse par. in eodem Amano cœpit laureolam in mustaceo quarere. At ille cohortem primam totam perdidit, ceturionemque primipili nobilem sui generis Asinium Dentonem, & reliquos cohortis eiusdem, & Sex. Lucilium T. Gaii Cepionis locupletis & splendidi hominis filium, Tribunum mil. sanè plagam odiosam acceperat cum re, tum tempore. Nos Pindenissum, quod oppidum munitissimum Eletherocilicum omnium memoria in armis fuit (feri homines & acres, & omnibus rebus ad defendendum parati) cinximus vallo & fossa, agere maximo, vineis, turre altissima, magna tormentorum copia, multis sagittariis, magno labore, apparatu, multis faucibus nostris, incolumi exercitu negotium cõfecimus. hilara sanè Saturnalia. militibus quoque equis exceptis, reliquam prædam concessimus. mancipia veniant Saturnalibus tertiis. Cum hæc scribebam in tribunali, res erat ad h. c. x. hinc exercitum in hiberna agri malè pacati deducendum Quinto fratri dabam. ipse me Laodiceam recipiebam. hæc adhuc. sed ad præterita reuertamur. Quòd me maximè hortaris, & quod pluris est quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino *μὲν μὲν* satisfaciam: moriar, si quicquam fieri potest elegantius. nec tamen ego hanc continentiam appello, quæ virtus voluptati resistere videtur. ego in vita mea nulla unquam voluptate tanta sum affectus, quanta afficio hac integritate. nec me tam fama, quæ summa est, quam res ipsa delectat. Quid quæris? fui tanti: me ipse nõ noram: nec satis sciebam, quid in hoc genere facere possem. rectè *πεφυσίωμην*. nihil est præclarius. Interim hæc *λαμψά*. Ariobarzanes opera mea viuit, regnat: *ἐν παρθῶν*, consilio & autoritate, & quòd insidiatoribus eius *ἀπορῆσιν* me non modò *ἀδωρεδὸκηται* præbui, Regem, regnumque seruaui. interea è Cappadocia ne pilum quidem. Brutum abiectum, quantum potui, excitaui: quem non minus amo, quam tu, penè dixi quam te. Atque etiam spero toto anno imperii nostri teruncium sumptus in prouincia nullum fore. Habes omnia. nunc publicè literas Romam mittere parabam. vberiores erunt, quam si ex Amano misissem. at te Romæ non fore? sed est totum, quid Calend. Martii futurum sit. vereor enim, ne cum de prouincia agetur, si Cæsar resistet, nos retineamur. his tu si adesses, nihil timerem. Redeo ad vrbana, quæ ego diu ignorans ex tuis iucundissimis literis ad v. Calend. Ian. denique cognoui. eas diligentissimè Philogenes libertus tuus curauit perlonga, & non satis tuta via perferendas. nã quas Lemni pueris scribis datas, non acceperam. Iucundè de Cæsare, & quæ Senatus decreuit, & quæ tu speras. quibus ille si cedit, salui sumus. Incendio Pletoriano quòd Leius adustus est, minus molestè fero. Luceius de Q. Cassio cur tam vehemens fuerit, & quid actum sit, aueo scire. Ego cum Laodiceam venero, Quinto sororis tuæ filio togam puram iubeor dare, cui moderabor diligentius. Deiotarus, cuius auxiliis magnis usus sum, ad me, ut scripsit, cum Ciceronibus Laodiceam venturus erat. Tuas etiam Epeiroticas expecto literas, ut habeam rationem non modò negotii, verum etiam otii tui. Nicanor in officio est, & à me liberaliter tractatur: quem, ut puto, Romam cum literis publicis mittam, ut & diligentius perferatur, & idem ad me certam de te, & à te referat. Alexis quòd mihi toties salutem adscribit, est gratum. Sed cur nõ suis literis idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Phemio quaritur *χέρος*. Sed hæc hæctenus. Cura ut valeas, & ut sciam quando cogites Romam. Etiam atque etiam vale. Tua, tuosque Thermo & præfens Ephesi diligentissimè commendaram, & nunc per literas: ipsumque intellexi esse perstudiosum tui. Tu velim, quod antea ad te scripsi, de domo Pammenis, des operam ut quod tuo, meoque beneficio puer habet, cures nequa ratione conuellatur. utrique nostrum existimo, tum mihi erit pergratum. Vale.

TE IN Epeirum saluum venisse, & vt scribis, ex sententia nauigasse, vehementer gaudeo. non esse Romæ meo tempore pernecessario, submolestè fero. Hoc me tamen ⁴⁵ conolor, quòd non spero te istuc iucundè hiemare, & libenter requiescere. Cassius frater Q. Cassii familiaris tui prudentioreis illas literas miserat (de quibus tu ex me requiris quid sibi voluerint) quàm eas quas postea misit, quibus per se scribit confectum esse Parthicum bellum. Recefferant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli aduētum, sed nullo nostro ^{βημερηματι}. hodie verò hiemāt in Cyrhestica, maximumque bellum impēdet. nam & Orodæ Regis Parthorum filius in prouincia nostra est: nec dubitat Deiotarus, cuius filio pacta est Artauasdis filia (ex quo sciri potest) quin cum omnibus copiis ipse prima æstate Euphratem transiturus sit. Quo autem die Cassii literæ victrices in Senatu recitatæ sunt, id est Non. Octob. eodem meæ tumultum nuntiantes. Axius noster ait nostras autoritatis plenas fuisse: illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatæ: quas certò scio plenas timoris fore. Ex his rebus hoc vereor, ne cum Pompeius ⁴⁶ propter metum rerum nouarum nusquam dimittatur, Casari nullus honos à Senatu habeatur: dum hic nodus expediatur, non putet Senatus, nos, antè quàm successum sit, oportere decedere, nec in tanto motu rerum tātis prouinciis singulos legatos præesse. Hic, nequid mihi prorogetur, quòd ne intercessor quidem sustinere possit, horreo, atque eò magis, quòd tu abes, qui consilio, gratia, studio, multis rebus occurreres. Sed dices me ipsū mihi sollicitudinē struere. Cogor: & velim ita sit. sed omnia metuo. etsi bellū ^{αχρητελβουον} habet illa tua epistola, quā dedisti nauseans Buthroto. ^{TIBI}, vt video, & spero, nulla ad decedendū mora: mallet, Vt video. nihil opus fuit, Vt spero. Acceperam autem satis celeriter Iconii per publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. in his ^{γλυκόπιτροι} illud confirmas, moram mihi nullam fore. deinde ad ⁴⁷ dis, siquid secus, te ad me fore venturum. Pungunt me dubitationes tuæ. simul & vides, quas acceperim literas. nam quas Hemoni centurioni Scamulæ ipse scribis te dedisse, non accepi. Lenii pueris te dedisse, sæpe ad me scripseras. eas Laodiceæ denique, cum eo venissem, ¹¹¹. Id. Febr. Lenius mihi reddidit, datas ad x. Calend. Octob. Lenio tuas commendationes & statim verbis, & re aliquo tempore probabo. Hæ literæ cætera vetera habebāt: vnum hoc nouum, de Cibratis pantheris. Multum te amo, quòd respondisti M. Octauio, te non putare. sed posthac omnia quæ certa non erunt, pro certo negato. nos enim & nostra sponte bene firmi, & mehercule autoritate tua inflammati vicimus omneis (hoc tu ita reperies) cum abstinentia, tum iustitia, facilitate, clemētia. Caue putes quicquam homines magis vnquam esse miratos, quàm nullum teruncium, me obtinente prouinciam, sumptus factum esse nec in Rempub. nec in ⁴⁸ quenquam meorum, præterquam in L. Tullium Legatum. is cæteroqui abstinens (sed Iulia lege transita, semel tamen in diem, nō, vt alii solebant, omnibus vicis: præter eum semel, nemo accepit) facit vt mihi excipiendus sit, cum teruncium nego sumptus factum: præter eum accepit nemo. has à nostro Q. Titinio sordes accepimus. Ego æstiuus confectis, Quintum fratrem hibernis, & Ciliciæ præfeci. Q. Volusium tui Tiberii generum, certum hominem, sed mirificè abstinentem, misi in Cyprū, vt ibi pauculos dies esset, ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarēt. nam euocari ex insula Cyprios nō licet. Ipse in Asiam profectus sum Tarso Non. Ian. nō mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciæ ciuitatū, maximèque Tarsensium. Postea verò quàm Taurum transgressus sum, mirifica expectatio Asiæ nostrarum ⁴⁹ cæcesium, quæ sex mensibus imperii mei nullas meas acceperat literas, nunquam hospitem viderat. illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quæstu. ciuitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant. Cyprii talenta Attica c c. qua ex insula (non ^{καρβολικώς}, sed verissimè loquor) numus nullus me obtinēte erogabatur. Ob hæc beneficia, quibus illi obstupescūt, nullos honores mihi,

* nisi verborū, decerni sino: statuas: eana, ^{τε} ^{σπιτα} prohibeo. nec sum in vlla alia re molestus ciuitatibus, sed fortasse tibi, qui hæc prædicem de me. perfer, si me amas. tu enim me hæc facere voluisti. Iter igitur ita per Asiam feci, vt etiam fames, qua nihil miserius est, quæ tum erat in hac mea Asia (messis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit. quacunque iter feci, nulla vi, nullo iudicio, nulla contumelia, autoritate & cohortatione ⁵⁰ perfeci, vt & Græci & ciues Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur. Idib. Febr. quo die has literas dedi, forum institueram agere Laodiceæ Cibraticum & Apamense: ex Idib. Mart. ibidem Synnadense, Pamphylium, quum Phemio dispiciam ^{χέραι} Aonium, Isauricum: ex Idib. Maii in Ciliciam, vt ibi Iunius consumatur, velim tranquillè à Parthis. Quintilis, si erit vt volumus, in itinere est per prouinciam redeuntibus consumendus. venimus enim in prouinciam Laodiceam Sulpitio & Marcello c o s s. prid. Cal. Sext. inde nos oportet decedere ad ¹¹¹. Calend. Sext. primū contendam à Quinto fratre, vt se præfici patiat: quod & illo, & me inuitissimo fiet: sed aliter honestè fieri nō potest, præsertim cum virum optimum Pontinum ne nunc quidem retinere possim. rapit enim hominem Posthumius Romam, fortasse etiam Posthumia. habes consilia nostra. nunc cognosce de Bruto. ⁵¹ Familiares habet Brutus tuos quosdam creditores Salaminiorum, ex Cypro M. Scaptium & P. Matinium, quos mihi maiorem in modum commēdauit. Matinium non noui. Scaptius ad me in castra venit. Pollicitus sum curaturū me Bruti causa, vt ei Salaminii pecuniam soluerent: egit gratias. præfecturā petiuit: negaui me cuiquam negotianti dare, quod idem tibi ostenderam: Cn. Pompeio petenti probatam institutum meum. quid dicam Torquato in Lenio tuo? multis aliis: si præfectus vellet esse syngraphæ causa, me curaturum vt exigeret. gratias egit: discessit. Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coërceret, & eūdem habuerat præfectum. vexabat Salaminios. ego equites ex Cypro decedere iussi: molestè tulit Scaptius. Quid multa: vt ei fidem meam præstarem: cum ad me Salaminii Tarsum ⁵² venissent, & vnā Scaptius, imperaui vt pecuniam soluerent. multa de syngrapha, de Scaptii iniuriis: negaui me audire: hortatus sum, petiui etiam, pro meis in ciuitatem beneficiis, vt negotium conficerent. denique dixi me coacturum. Homines non modò non recusare, sed etiam hoc dicere, se à me soluere. quod enim Pratori dare conuessent, quoniam ego non acceperam, se à me quodammodo dare, atque etiam minus esse aliquāto in Scaptii nomine, quàm in vectigali Pratorio. collaudaui homines. Rectè, inquit Scaptius: sed subducamus summam. interim cum ego in edicto translatio ceteras me obseruaturum haberem cum anatocismi anniuersario: ille ex syngrapha postulabat ¹¹¹. Quid ais, inquam? possūne contra meum edictum? At ille profert s. c. Lentulo, Philippoque c o s s: vt qui Ciliciam obtineret, ius ex illa syngrapha diceret. cohorrui primò: etenim erat interitus ciuitatis. reperio duo s. c. iisdem ⁵³ c o s s. de eadem syngrapha. Salaminii cum Romæ versuram facere vellent, non poterant, quod lex Gabinia vetabat. tum ii Bruti familiares, freti gratia Bruti, dare volebant, si sibi s. c. caueretur. fit gratia Bruti s. c. vt neue Salaminii, neue qui eis dedisset, fraudi esset. pecuniam numerarunt, & postea venit in mentem foeneratoribus nihil se iuuare illud s. c. quòd ex syngrapha ius dici lex Gabinia vetaret. tum fit s. c. vt & ea ⁵⁴ syngrapha esset, quàm cætera, sed vt eodem. Cum hæc differuissem, seducit me Scaptius, ait se nihil contradicere, sed illos putare talenta c c. se debere, ea se velle accipere, debere autem illo paulò minus. rogat vt eos ad c c. perducam. Optimè, inquam. Voco illos ad me remoto Scaptio. Quid vos? quantum, inquam, debetis? Respondent c v i. Refero ad Scaptium. Homo clamare. Quid opus est, inquam? rationes confertis. Assidunt: subducunt ad numum: conuenit. Illi se numerare velle: vrgere vt acciperet. Scaptius me rursus seducit: rogat vt rem sic relinquam. dedi veniam homini impudenter petenti, Græcis querētibus: vt in Fano deponerēt postulantibus, non cōcessi.

clamare omnes qui aderant, nihil impudētius Scaptio, qui cētēsimis cum anatocismo contentus non esset: alii, nihil stultius. mihi autem impudens magis, quā stultus videbatur. nam aut bono nomine centesimis contentus erat, aut non bono quaternas centesimas sperabat. Habes meam causam: quæ si Bruto non probatur, nescio cur illum amemus: sed auunculo eius certè probabitur, præsertim cum s. c. modò factum sit: puto postquam tu es profectus, in creditorum causa, ut centesima perpetuò fœnore ducerentur. Hoc quid interfit, si tuos digitos noui, certè habes subductum, in quo quidem ὁδὸς τῆς ἐργασίας. Luceius M. F. queritur apud me per literas, summum esse periculum, ne culpa Senatus his decretis res ad tabulas nouas perueniat. cōmemorat quid olim mali C. Iulius fecerit, cum dieculam dixerit, nunquam Respub. plus. Sed ad rem redeo. meditare aduersus Brutum causam meam, si hæc causa est, contra quam nihil honestè dici potest, præsertim cum integrā rem & causam reliquerim. Reliqua sunt domestica. De ἐπιδομύχῳ probo idem quod tu Posthumix filix, quoniam Pontidia nugatur. sed vellem aditēs. à Quinto fratre his mensibus nihil expectaris: nam Taurus propter niueis ante mensem Iunium transiri non potest. Thermum, ut rogas, creberrimis literis fulcio. P. Valerium negat habere quicquam Deiotarus Rex, eumque ait à se sustentari. Cum scies Romæ intercalatum sit necne, velim ad me scribas certum, quo die mysteria futura sint. literas tuas minus paulò expecto, quā si Romæ esses, sed tamen expecto. Vale.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T.

POMPONIVM ATTICVM LIBER VI.

CICERO ATTICO S.



ACCEPI tuas literas ad quintum ter milia Laodiceæ, quas legi libentissimè, plenissimas amoris, humanitatis, officii, diligētix. iis igitur respondebo: sic enim postulas: nec οὐκ ἐπιδομύχῳ meam institutam, sed ordinem conseruabo tuum. Recentissimas à Cybistris te meas literas habere ais ad x. Calend. Octob. datas: & scire vis, tuas ego quas acceperim: omnibus ferè, quas commemoras, præter eas, quas scribis Lentuli pueris & Equotutico & Brundusio datas. Quare non οὐκ ἐπιδομύχῳ tua industria, quod vereris, sed præclare ponitur: si quidem id egisti, ut ego delectarer: nam nulla re sum delectatus magis. Quod meam βαδύτητα in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto probo, vehementer gaudeo: ac putaram fecus. Appius enim ad me ex itinere bis tæue ἡπομειψίσεως literas miserat, quod quædam à se constituta rescinderem. Ut si medicus, cum ægrotus alii medico traditus sit, irasci velit ei medico, qui sibi successerit, si, quæ ipse in curando constituerit, mutet ille: sic Appius, cum ἡ ἀφαιρέσεως provinciam curarit, sanguinem miserit, quicquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam: ποσοδύχῳ eam à me non libenter videt, sed modò succenset, modò gratias agit. nihil enim à me fit cum vlla illius contumelia. tātum modo dissimilitudo meæ rationis offendit hominem. quid enim potest esse tam dissimile, quā illo imperante exhaustam esse sumptibus & iacturis provinciam: nobis eam obtinentibus, numum nullum esse erogatum nec priuatim, nec publicè? Quid dicam de illius præfectis: comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? Nunc autem domus mehercule nulla tanto consilio, aut tanta disciplina gubernatur, aut tam modesta est, quā nostra tota provincia. hanc nonnulli amici Appii ridiculè interpretantur: qui me iccirco putent bene audire velle, ut ille malè audiat: & rectè facere non meæ laudis, sed illius contumeliæ causa: sin Appius, ut Bruti literæ, quas ad te misit, significabant, gratias nobis agit, non molestè fero: sed tamen eo ipso die, quo hæc ante lucem scribe-

bam, cogitabam eius multa iniquè constituta & acta tollere. Nunc venio ad Brutum, quem ego omni studio te authore sum complexus, quem etiam amare cœperam. Sed dico, reuocaui me, ne te offenderem. noli enim putare me quicquam maluisse, quā ut mandat is, facere, nec vlla de re plus laborasse. Mandatorum autè mihi libellum dedit: iisdemque de rebus tu mecum egeras. omnia sum diligentissimè persecutus. Primum ab Ariobarzane sic contendi, ut talenta quæ mihi pollicebatur, illi daret. quoad mecum Rex fuit, per bono loco res fuit. post à Pompeii procuratoribus sexcentis premi cœptus. Pompeius autem cum ob cæteras causas plus potest vnus, quā cæteri omnes, tum quod putatur ad bellum Parthicum esse venturus. ei tamen sic nunc soluitur, tricesimo quoque die talenta Attica x x x i i i. & hoc ex tributis, nec id satis efficitur in vsurā menstruā, sed Cneus noster clementer id fert: sorte caret: vsura, nec ea solida, contentus est. alii neque soluit quicquam, nec potest soluere: nullum enim ærarium, nullum vestigal habet. Appii instituto tributa imperat. ea vix, in fœnus Pompeii quod satis sit, efficiunt. amici Regis duo, tresue perdiuites sunt: sed ii suum tam diligenter tenēt, quā ego, aut tu. equidem non desino tamen per literas rogare, suadere, accusare Regem. Deiotarus etiā mihi narravit, se ad eum legatos misisse de re Bruti: eos sibi responsum retulisse, illum non habere: & mehercule ego ita iudico. Nihil illo regno spoliatus, nihil Rege egentius: itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scauola, fœnus & impendium recusare. ego tamè quas per te Bruto promiseram præfecturas, M. Scaptio & L. Gaudio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli: nec enim in prouincia mea negotiabantur. tu autem meministi nos sic agere, ut quot vellet, præfecturas sumeret, dum ne negotiatori. duas ei præterea dederam: sed ii quibus petierat, de prouincia decesserant. Nunc cognosce de Salaminis, quod video tibi etiam nouum accidisse, tanquam mihi: nunquam enim ex illo audiui, illam pecuniam esse suā. quinetiam libellum ipsius habeo, in quo est, Salaminii pecuniam debent M. Scaptio & P. Matinio familiaribus meis. eos mihi commendat. Adscribit etiam, & quasi calcar admouet, intercessisse à se pro iis magnam pecuniam. Confeceram ut soluerēt centesimis sexcentis ductis cum renouatione singulorum annorum. At Scaptius quaternas postulabat. metui, si impetrasset, ne tu ipse me amare desineres: nam ab edicto meo recessissem, & ciuitatem in Catonis & in ipsius Bruti fide locatam, meisque beneficiis ornata, funditus perdidissem. atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse: quod nec mihi vnquam Brutus dixerat, nec tibi: etiam ut præfecturam Scaptio deferrem. id verò per te exceperamus, ne negotiatori: quod si cuiquam, huic tamè non. fuerat enim præfectus Appio, & quidem habuerat turmas equitum, quibus inclusum in curia Senatum Salamine obsederat, ut fame Senatores quinque morerentur. itaque ego, quo die tetigi prouinciam, cum mihi Cyprii Legati Ephesum obuiam venissent, literas misi, ut equites ex insula statim decederent. his de causis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum scripsisse. sed tamen hoc sum animo: si Brutus putabit me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota prouincia singulas obseruarem, itaque edixissem, idque etiam acerbissimis fœnatoribus probaretur: si præfecturam negotiatori denegatā queretur, quod ego Torquato nostro in tuo Lenio, Pompeio ipsi in Sext. Statio negaui, & iis probaui: si equites deductos molestè feret, accipiam equidem dolorem, mihi illum irasci, sed multo maiore non esse eum talem, qualem putassem. illud quidem fatebitur Scaptius, me ius dicente, sibi omnem pecuniā ex edicto meo auferendi potestatem fuisse. Adde etiā illud, quod vereor tibi ipsi ut probè: consistere vsura debuit, quæ erat in edicto meo: deponere volebant: impetraui ab Salaminis ut silerēt. veniam illi quidem mihi dederunt. sed quid iis fiet, si huc Paulus venerit? sed totum hoc Bruto dedi, qui de me ad te humanissimas literas scripsit. Ad me autem etiā cum rogat aliquid contumaciter, arrogatè ἀνομιαν ἔτις solet scribere. Tu autem velim ad eum scribas de his rebus, ut sciā quomodo hæc

accipiat: facies enim me certiozem. atque hoc superioribus literis ad te diligenter perscripseram. sed planè te intelligere volui, mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam literis scripsisses, si nihil aliud de hac prouincia, nisi illius beneuolentiam deportassem, mihi id satis esse. sit sanè, quoniam ita tu vis: sed tamen cum eo, credo, quod sine peccato meo fiat. igitur meo decreto soluatur æs Scaptio: statim quàm id rectum sit, tu iudicabis, ne ad Catonem quidè prouocabo. sed noli me putare ἐγκλωπίσσει illa tua abieciisse, quæ mihi in visceribus hærent. flens mihi meam famam commendasti. quæ epistola tua est, in qua mentionem non facias? Itaque irascatur qui uolet, patiar: ὅ γ' ἔστι, μετ' ἐμῶν, præsertim cum sex libris tanquam prædibus me ipse obstrinxerim: quos tibi tam valde probari gaudeo: è quibus vnum ἰσοπέδον requiris de Cn. Flauio Cn. F. ille, verò ante decemuiros nō fuit, quippe qui AEdilis Curulis fuerit, qui magistratus multis annis post decemuiros institutus est. Quid ergo profecit, quod protulit fastos: occultatam putant quodam tempore istam tabulam, vt dies agendi peterentur à paucis. nec verò pauci sunt authores, Cn. Flauium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse: ne me hoc vel potius Africanū (is enim loquitur) commētum putes. οὐκ ἔλαθες illud de gestu histriionis: tu scelestè suspicaris, ego ἀφελῶς scripsi. De me imperatore scribis te ex Philotimi literis cognouisse. sed credo te iam in Epeiro cum esses, binas meas de omnibus rebus accepisse, vnas à Pindenisso capto, alteras à Laodicea, vtrisque tuis pueris datas. quibus de rebus propter casum nauigandi per binos tabellarios misi Romam literas publicè. De Tullia mea tibi assentior: scripsique ad eam & ad Terentiam, mihi placere: tu enim ad me iam antè scripseras, ac vellem te in tuum veterem gregem retulisses. Correcta verò epistola Memmiana nihil negotii fuit: multo enim malo hunc à Pōidia, quàm illum à Seruilia. Quare adiunges Auhum nostrum, hominem semper amantem me, nunc credo eò magis, quod debet etiam fratris Appii amorem erga me, cum reliqua hæreditate creuisse, qui declarauit, quanti me faceret, cum sæpe, tum in Bursa. nã tu me sollicitudine magna liberaris. Furnii exceptio mihi non placet: nec ego vllum aliud tempus timeo, nisi quod ille solum excipit. sed scriberem ad te de hoc plura, si Romæ esses. In Pompeio te spem omnem otii ponere non miror. ita res est: remouendumque censeo illum dissimulantem. sed enim οἰκονομία si perturbatior est, tibi assignato: te enim sequor ἐξ ἑσθ' ἔστι. Cicerones pueri amat inter se, discunt, exercètur: sed alter, vti dixit Isocrates in Ephoro & Theopōpo, frānis eget, alter calcaribus. Quinto togā puram Liberalibus cogitabā dare: mādauit enim pater. ea sic obseruabo, quasi intercalatum non sit. Dionysius mihi quidem in amoribus est: pueri autem aiunt eum furèter irasci. sed homo nec doctior, nec sanctior fieri potest, nec tui meique amantior. Thermum, Silium verè audis laudari. valde se honestè gerunt. Adde M. Nonium, Bibulum, me si voles. iam Scrofa vellem haberet vbi posset: est enim lautum negotium. cæteri infirmant πολίτευμα Catonis. Hortensio quod causam meam commendas, valde gratum. De Amiano, spei nihil putat esse Dionysius. Terentii nullum vestigium agnoui. Meragenes certè periit. feci iter per eius possessionem, in qua animal reliquum nullum est. hæc non norā tum, cum Democrito tuo locutus sum. Rhosii causam mandauit. Sed heus tu, quid cogitas infelicitatis? lancibus & splendidissimis canistris olusculis non soles pascere. Quid te in vasis fictilibus appositurum putem? κέρως Phemio mandatum est: reperietur: modò aliquid illo dignum canat. Parthicum bellum impendet. Cassius ineptas literas misit: necdum Bibuli erant allatæ: quibus recitatis, puto fore vt aliquando commoueatur Senatus. Equidè sum magna animi perturbatione, si, vt opto, non prorogatur nostrum negotium. habeo Iunium & Quintilem in metu. esto: duos quidè menses sustinebit Bibulus. quid illo fiet, què reliquero: præsertim si fratres: quid de me autem, si non tam citò decedo? magna turba est. mihi tamen cum Deiotaro cōuenit, vt ille in meis castris esset cum suis copiis omnibus. habet autem cohortes qua-

dringenarias, nostra armatura x x x. equitum ∞ ∞. erit ad sustentandum, quoad Pompeius veniat, qui literis quas ad me mittit, significat suum negotium illud fore. Hiemāt in nostra prouincia Parthi. expectatur ipse Orodes. quid quæris? aliquatū est negotii. De Bibuli edicto nihil noui præter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras, N I M I S graui præiudicio in ordinem nostrum. ego tamen habeo ἰσοδυναμίστην, sed rectiorem ex Q. Mutii P. F. edicto Asiatico, E X T R A quàm si ita negotium gestum est, vt eo stari non oporteat, ex fide bona. multaque sum secutus Scæuolæ, in iis illud, in quo sibi libertatem censent Græci datam, vt Græci inter se disceptent suis legibus. Breue autem edictum est propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putauit: quorum vnum est prouinciale, in quo est de rationibus ciuitatum, de ære alieno, de vsura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis: alterum, quod sine edicto satis commodè transigi non potest, de hæreditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciundis, vendendis: quæ ex edicto & postulari & fieri solent. tertium, de reliquo iure dicundo, ἀγροφόν reliqui. dixi me de eo genere mea decreta ad edicta vrbana accommodaturum. itaque curo, & satisfacio adhuc omnibus: Græci verò exultant, quod peregrinis iudicibus vtuntur. Nugatoribus quidem, inquires. Quid refert? tamen αὐτονομίαν adeptos putant: vestri enim, credo, graueis habent Turpionem futorium & Vectium mancipem. De publicanis quid agam, videris quærere. habeo in deliciis, obsequor, verbis laudo, orno, efficio, ne cui molesti sint: ὅ τ' ἔστι διέξοταρον. vsuras eorum, quas pactionibus adscripserat, seruauit etiam Seruilius. ego sic. diem statuo satis laxam: quam antè si soluerint, dico me centesimas ducturum: si non soluerint, ex pactione. itaque & Græci soluunt tolerabili fœnore: & publicanis res est gratissima, si illam iam habent: pleno modio verborum honorem, inuitationem crebram. Quid plura? sunt omnes ita mihi familiares, vt se quisque maximè putet, sed tamen μηδὲν αὐτοῖς. scis reliqua. De statua Africani ὁ παρὰ γυμνάσιον ἀσυγκλώτων. sed me ipsum delectauit in tuis literis. Aín' tu? Scipionem hic Metellus proauum suum nescit Censorem fuisse? atqui nihil habuit aliud inscriptum, nisi Censor, ea statua quæ ad Opis apertè posita in excelso est. In illa autem, quæ est ad πολυδύκως, inscriptum est, c o s. quam esse eiusdem, status, amictus, annulus, imago ipsa declarat. at hercule ego cum in turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitalio posuit, animaduertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putauit: nunc video Metelli ὁ ἀνίστησις turpem: nam illud de Flauio & fastis, si secus est, commune erratum est: & tu bellè ἠπόρησας: & nos publicam propè opinionem secuti sumus, vt multa apud Græcos. quis enim non dixit, Εὐπόλιον τ' ἔστι Ἀρχαίας ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum esse in mare? redarguit Eratosthenes. affert enim quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num iccirco Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis errauit, irridetur? quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur iacet Theophrastus, si id à Timæo tuo familiari reprehensum est? sed nescire proauum suum Censorem non fuisse turpe est, præsertim cum post eum Consulem nemo Cornelius illo viuo Censor fuerit. Quod de Philotimo & de solutione x x d c. scribis, Philotimum circiter Calend. Ian. in Chersonesum audio venisse. ac mihi ab eo nihil adhuc. reliqua mea Camillus scribit se accepisse. ea quæ sint, nescio, & aueo scire. sed hæc posterius, & coram fortasse commodius. Illud me mi Attice in extrema ferè parte epistolæ commouit. scribis enim sic, τί λολίπρον; deinde me obsecras amantissime, ne obliuiscar vigilare, & vt animaduertam quæ fiant. Nunquid de quo inaudisti? etsi nihil eiusmodi est: πολλὸν γὰρ ἔστι. nec enim me fefellisset, nec falleret. sed ista admonitio tua tam accurata nescio quid mihi significare visa est. De M. Octauio iterum tibi rescribo, te illi probè respondisse. paulò vellem fidentius. nam Celius libertum ad me misit, & literas accuratè scriptas & de pantheris, sed à ciuitatibus. rescripsi, alterum me molestè ferre, si ego in

tenebris laterem, nec audiretur Romæ nullum in mea prouincia numum, nisi in æs alienum erogari: docuique, nec mihi conciliare pecuniam licere, nec illi capere: monuque eum, quem planè diligo, vt cum alios accusasset, cautius viueret. illud autem alterum alienum esse existimatione mea, Cibratas imperio meo publicè venari.

Lepta tua epistola gaudio exultat. etenim scripta bellè est, meque apud eum magna in gratia posuit. Filiola tua gratù mihi fecit, quòd tibi diligenter mandauit, vt mihi salutem ascriberes: gratum etià Pilia: sed illa officiosius, quòd mihi, quem iam pridè nunquam videt. igitur tu quoque salutem vtrique ascribito. Literas daturum prid. Calend. Ian. suauem habui recordationem clarissimi iurisiurandi: quòd ego non eram oblitus. magnus enim prætextatus illo die fui. habes ad omnia, non vt postulasti, *ἔσται χαλεπὸν*, sed paria paribus respondemus. Ecce autem alia pusilla epistola, quam non relinquam *ἀδαντιφώνητον*. Bene mehercule potuit Luceius Tusculanum, nisi forte, solet enim, cum suo tibicine, & velim scire quis sit status eius. Lentulum quidem nostrum, præter Tusculanum proscripsisse audio. Cupio hos expeditos videre, cupio etiam Sestium: addes etià iis Celium. quibus omnibus est *ἀδεδεν ἰδὼ ἀόνητα στα, δέιστον δ' ἔσπεδεν*. De Memmio restituendo vt Curio cogitet, te audisse puto. De Egnatii Sidicini nomine, nec nulla, nec magna spe sumus. Pinarium, quem mihi commendas, diligentissimè Deiotarus cūrat grauiter agrum. respondi etiam minori. Tu velim, dum ero Laodiceæ, id est ad Id. Maii, quàm sæpissimè mecum per literas colloquere: & cum Athenas veneris (iam enim sciemus de rebus vrbanis, de prouinciis, quæ omnia in mensem Martium sunt collata) vtrique ad me tabellarios mittas. Sed heus tu, Genuarios à Cæsare per Herodem, talenta Attica l. extorsistis: in quo, vt audio, magnū odium Pompeii suscepistis. putat enim tuos numos vos comeditis, Cæsarem in merito rexdificando diligentiorē fore. hoc ego ex P. Vedio magno nebulone, sed Pompeii tamē familiari audiui. Hic Vedius venit mihi obuiam cum duobus essedis, & rheda equis iuncta, & lectica, & familia magna. pro qua si Curio legem pertulerit, *ἡς. centena pēdat* necesse est. erat præterea cynocephalus in essedo: nec deerant onagri. nunquam vidi hominem nequiorē. sed extremum audi. Diuersatus est Laodiceæ apud Pompeium Vindullū: ibi sua deposuit, cum ad me profectus est. moritur interim Vindullus: quæ res ad Magnum Pompeium pertinere putabatur. C. Vennonius domum Vindulli venit. cum omnia obsignaret, in Vedianas res incidit. In his inuētæ sunt quinque lagunculæ matronarū, in quibus vna fororis amici tui, hominis Bruti, qui hoc vtatur, & illius Lepidi, qui hæc tam negligenter ferat. hæc te volui *παριστορήσαι*. sumus enim ambo bellè curiosi. Vnum etiam velim cogites. audio Appium *περὶ πύργων* Eleusine facere. Nū inepti fuerimus, si nos quoque Academiæ fecerimus? Puto, inquires. Ergo id ipsum scribes ad me. equidem valde Athenas ipsas amo. volo esse aliquod monimentum. odi falsas inscriptiones statuarum alienarum. sed vt tibi placebit: faciēsque me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorē, & quomodo hiemaris. Cura vt valeas. Post Leucltricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto.

CICERO ATTICO S.

cūm Philogenes libertus tuus Laodiceam ad me salutandi causa venisset, & se statim ad te nauigaturum esse diceret, has ei literas dedi, quibus ad eas rescripti, quas acceperam à Bruti tabellario. & respondebo primū postremæ tuæ paginæ, quæ mihi magnæ molestiæ fuit. quòd ad te scriptum est ab Cincio de Statii sermone, in quo hoc molestissimum est, Statum dicere, à me quoque id consilium probari: probari autem de isto hæctenus. dixerim me vel plurima vincla tecum summæ cōiunctionis optare, & sunt amoris arctissima: tantū abest vt ego ex eo, quo astricti sumus, laxari aliquid velim. Illum autem multa de istis rebus asperius solere loqui sæpe sum expertus, sæpe etiam leniui iratum. id scire te arbitror. In hac autem peregrinatione, militiæue nostra, sæpe incensum ira vidi, sæpe placatū. quid ad Statum scripserit, nescio. quic-

quid acturus de tali re fuit, scribendum tamen ad libertum non fuit. Mihi autem erit maximè curæ, nequid fiat secus, quàm volumus, quàmque oportet. nec satis est in eiusmodi re, se quenque præstare. ac maximè partes istius officii sunt pueri Ciceronis, siue iam adolescentis: quòd quidem illum soleo hortari. ac mihi videtur matrem valde, vt debet, amare, tēque mirificè. sed est magnum illud quidem, veruntamen multiplex pueri ingenium, quo ego regendo habeo negotii satis. Quoniam respondi tuæ paginæ postremæ primæ meæ, nunc ad primam reuertar tuam. Peloponnesias ciuitates omnibus meis maritimas esse, hominis non nequam, sed etiam tuo iudicio probati, Dicæarchi tabulis credidi. is multis nominibus in Trophoniana Chæronis narratione Græcos in eo reprehendit, quòd mare tam secuti sunt: nec vllum in Peloponneso locum excipit. Cū mihi author placeret (etenim erat *ἰσοκρίτατος*, & vixerat in Peloponneso) admirabar tamen, & vix aggrediens communicauit cum Dionysio: atque is primò est commotus: deinde, quòd tum de isto Dicæarcho non minus bene existimabat, quàm tu de C. Vestorio, ego de M. Cluuius, non dubitabat, quin ei crederemus. Arcadiæ censebat esse Lepreon quoddam maritimum: Tene autem, & Aliphera, & Tritia *νεόκτιστα* ei videbantur: idque *τῶ τῷ νεῶν καταλόγω* confirmabat, vbi mentio non fit istorum. itaque istum ego locum totidem verbis à Dicæarcho transtuli. Phliasios dici sciebam: & ita fac vt habeas: nos quidem sic habemus. sed primò me *ἀναλογία* deceperat, *φλιῆς, ὀπίς, σπῆς*, quòd *ὀποῦντιοι, σπῆντιοι*. sed hoc continuo correximus. Lætari te nostra moderatione & continentia video. tum id magis faceres, si adesses, atque hoc foro, quòd egi ex Idib. Febr. Laodiceæ ad Calend. Maii omnium diœcesium præter Ciliciæ. mirabilia quædam effecimus. ita multæ ciuitates omnium ære alieno liberatæ, multæ valde leuatæ sunt: omnes suis legibus & iudiciis vsq̃ *ἀπτονομίαν* adeptæ, reuixerunt. His ego duobus generibus facultatem ad se ære alieno liberandas aut leuandas dedi: vno, quòd omnino nullus in imperio meo sumptus factus est (nullum cū dico, non loquor *ὑπερβολικῶς*) nullus inquam ne teruncius quidem. hac autem re, incredibile est quātum ciuitates emerferint. accessit altera. mira erant in ciuitatibus ipsorum furta Græcorum, quæ magistratus sui fecerāt. quæ hui ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant. apertè fatebātur. Itaque sine vlla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt. populi autem nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiam superioris lustri reddiderunt. itaque publicanis in oculis sumus: Gratis, inquit, viris. Sensimus. iam cætera iurisdictio nec imperita & clemens cum admirabili facilitate. Aditus autem ad me minimè prouinciales. nihil per cubicularium. ante lucem inambulabam domi, vt olim candidatus. grata hæc & magna, mihi que nondum laboriosa ex illa vetere militia. Nonis Maii in Ciliciam cogitabam: ibi cū Iunium mensem consumpsissem, atque vtinam in pace (magnum enim bellum impender à Parthis) Quintilem in reditu ponere. annuæ enim mihi operæ ad 111. Calend. Sext. emerentur. Magna autem in spe sum, mihi nihil temporis prorogatum iri. habebam acta vrbana vsque ad Non. Mart. è quibus intelligebam Curionis nostri constantia omnia potius actum iri, quàm de prouinciis. ergo, vt spero, propediem te videbo. Venio ad Brutum tuum, immò nostrum. sic enim mauis. Equidem omnia feci, quæ potui aut in mea prouincia perficere, aut in regno experiri. omni igitur modo egi cum Rege, & ago quotidie, per literas scilicet. ipsum enim triduū, quatruduūme mecum habui turbulētis in rebus, quibus eum liberaui. sed & tum præfens, & postea creberrimè non destiti rogare, & petere mea causa, suadere, & hortari sua. multum profeci, sed quātum, non planè (quia longè absum) scio. Salaminios autem (hos enim poteram coercere) adduxi vt totum nomen Scaptio vellent soluere, sed centesimis ductis à proxima quidem syngrapha, nec perpetuis, sed renouatis quotannis. numerabātur numi. noluit Scaptius. tu qui ais Brutum cupere aliquid perdere? quaternas habebat in syngrapha. fieri non poterat: nec, si posset, ego pati possem. audio omnino Sca-

ptium poenitere. nam quod s. c. esse dicebat, ut ius ex syngrapha diceretur: eo consilio 17
factum est, quod pecuniam Salaminii contra legem Gabiniam sumptuerant. vetabat au-
tē Auli ius dici de ita sumpta pecunia. decreuit igitur Senatus, ut ius diceretur ista
syngrapha. nūc ista habet iuris idem, quod cetera: nihil præcipui. Hæc à me ordine fa-
cta puto me Bruto probaturū: tibi, nescio: Catoni certè probabo. sed iam ad te ipsum
revertor. Ain' tandem Attice laudator integritatis & elegantia nostra: ausus es hoc
ex ore tuo (inquit Ennius) ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me ro-
gare: an tu, si mecum esses (qui scribis morderi te interdum, quod non simul sis) pate-
rere me id facere, si vellem? Non amplius, inquis, quinquaginta. Cum Spartaco mi-
nus multi primò fuerunt. Quid tandem isti mali in tam tenera insula non fecissent?
non fecissent autem? immò quid ante aduentum meum non fecerunt? inclusum in
curia Senatum habuerunt Salaminium, ita multos dies, ut interierint nonnulli fame. 13
erat enim præfectus Appii Scaptius, & habebat turmas ab Appio. id me igitur tu, cu-
ius mehercule os mihi ante oculos solet versari, cum de aliquo officio ac laude cogito,
tu me inquam rogas præfectus ut Scaptius sit? At hoc statueramus, ut negotiatore ne-
minē: idque Bruto probaueramus. habeat is turmas. cur potius quam cohortes? sum-
ptu iam nepos euadit Scaptius. Volunt, inquis, principes. Scio: nam ad me Ephesum
vsque venerunt, stentēsque, equitum scelera & miseria suas detulerunt. itaque statim
dedi literas, ut ex Cypro equites ante certam diem decederēt. ob eamque causam, tum
ob ceteras Salaminii nos in cælum decretis suis sustulerūt. Sed iam quid opus equita-
tu? Soluūt enim Salaminii: nisi fortè id volumus armis efficere, ut fœnus quaternis cē-
tesimis ducāt. & ego audebo legere vnquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, 19
si tale quid fecero? Nimis, inquam, in isto Brutum amasti dulcissime Attice: nos, vereor,
ne parum. atque hæc, scripsi ego ad Brutum, scripsisse te ad me. cognosce nūc cetera.
Pro Appio nos hic omnia facimus, honestè tamen, sed planè libèter. nec enim ipsum
odimus, & Brutum amamus: & Pompeius à me mirificè contendit, quem mehercule
plus, plūsque in dies diligo. C. Cælium Quæst. huc venire audisti. nescio quid sit: sed
Pammenia illa mihi non placēt. Ego me spero Athenis fore mense Septembri. tuo-
rum itinerum tempora scire sanè velim. *Εὐχόμενος* Sempronii Ruffi cognoui ex episto-
la Corcyrea. Quid quæris: inuideo potētia Vestorii. Cupiebam etiam nunc plura gar-
rire: sed lucet: vrget turba: festinat Philogenes. Valebis igitur, & valere Piliam & Cæ-
ciliam nostram iubebis literis, & saluebis à meo Cicerone.

CICERO ATTICO S.

ET SI nihil sanè habebam noui, quod post accidisset, quàm dedissem ad te Philoge- 30
ni liberto tuo literas: tamen cum Philotimum Romā remitterem, scribendum aliquid
ad te fuit: ac primū illud quod me maximè angebat (nō quo me aliquid iuuare pos-
ses, quippe res est in manibus: tu autem abes longè gentium: *πολλὰ δ' ἐν μεταχειρίῳ νότος*
καλῶς δὲ κύματ' ἔρρηξ ἀλγος) obrepfit dies, ut vides, (mihi enim ad 111. Calēd. Sext. de pro-
uincia decedendum est) nec succeditur. quem relinquam qui prouincia præsit: ratio
quidem & opinio hominum postulat fratrem: primū quod videtur esse honos: nemo
igitur potior, deinde quod solum habeo Prætorium: Pontinus enim ex pacto & con-
uēto (nam ea lege exierat) iam à me discesserat. Quæstorem nemo dignum putat: ete-
nim est leuis, libidinosus, sagax. De fratre autem primum illud est: persuaderi ei non 31
posse arbitror. odit enim prouinciam: & hercule nihil odiosius, nihil molestius. dein-
de, ut mihi nolit negare, quidnam mei sit officii: cum bellum esse in Syria magnum pu-
retur, id videatur in hanc prouinciam erupturum: hinc præsidii nihil sit: sumptus an-
nuus decretus sit: videaturne aut pietatis esse mea, fratrem: aut diligentia, nugarum a-
liquid relinquere? magna igitur, ut vides, sollicitudine afficior, magna inopia consilii.
Quid quæris: toto negotio nobis opus non fuit. quanto tua prouincia melior: decedes,
cum voles: nisi fortè iam decessisti. quem videbitur, præficiēs Thesprotia & Chaonia:

necdum tamen ego Quintum conueneram, ut iam, si id placeret, scirem, possētne ab
eo impetrari: nec tamen, si posset, quid vellem habebam. Hoc est igitur eiusmodi. reli-
32 qua plena adhuc & laudis & gratia, digna iis libris quos dilaudas. conseruatæ ciuitates:
cumulatè publicanis satisfactum: offensus contumelia nemo, decreto iusto & seuro
perpauci, nec tamen quisquam ut queri audeat. res gesta dignæ triumpho. de quo ipso
nihil cupidè agemus: sine tuo quidē consilio certè nihil. Clausula est difficilis in traden-
da prouincia: sed hæc deus aliquis gubernabit. De urbanis rebus scilicet plura tu scis:
sæpius & certiora audis. Equidem doleo non me tuis literis certior fieri. huc enim
odiosa afferebātur de Curione, de Paulo: non quo vllum periculum videam stante Pō-
peio, vel etiam sedente, valeat modò: sed mehercule Curionis & Pauli meorū familia-
rium vicem doleo. Formam igitur mihi totius Reip. si iam es Romæ, aut cum eris, ve-
lim mittas, quæ mihi obuiā veniat, ex qua me fingere possim, & præmeditari quo ani-
33 mo accedā ad Urbem. est enim quiddā, aduenientem non esse peregrinum atque ho-
spitē. Et quod penè præterii, Bruti tui causa, ut sæpe ad te scripsi, feci omnia. Cyprii nu-
merabant: sed Scaptius centesimis renouato in singulos annos fœnore contentus non
fuit. Ariobarzanes non in Pompeium prolixior per ipsum, quàm per me in Brutum:
quem tamen ego præstare non poteram. erat enim Rex perpauper: aberamque ab eo
ita longè, ut nihil possem nisi literis, quibus pugnare non destiti. Summa hæc est. pro
ratione pecunia, liberius est Brutus tractatus, quàm Pompeius. Bruto curata hoc anno
talenta circiter c. Pompeio in sex mensibus promissa c. c. Iam in Appii negotio quan-
tum tribuerim Bruto, dici vix potest. Quid est igitur, quod laborē? amicos habet, me-
ras nugas M. Scaptium, qui quia non habuit à me turmas equitum, quibus Cyprum ve-
34 xaret, ut ante me fecerat, fortasse succēset: aut quia præfectus non est, quod ego nemi-
ni tribui negotiatori, non C. Vennonio meo familiari, non tuo M. Lenio: & quod tibi
Romæ ostenderā me seruaturum, in quo perseueraui. sed quid poterit queri is, qui au-
ferre pecuniam cum posset, noluit? Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfac-
tum. is à me Tribunatum cum accepisset, quē ego ex Bruti literis ei detulisset, post-
ea scripsit ad me, se uti nolle eo Tribunatu. Caius est quiddā, cui cum præfecturam de-
tulisset Bruti rogatu, multa & dixit, & fecit cum quadam mea contumelia, P. Clodii
canis. is me nec proficiscētem Apameam profecutus est: nec cum postea in castra ve-
nisset, atque inde discederet, num quid vellem, rogauit: & fuit apertè mihi, nescio qua-
re, non amicus. Hunc ego si in præfectis habuissem, quem tu me hominē putares? Qui,
ut scis, potentissimorum hominum contumaciam nunquam tulerim, ferrem huius
35 asseclæ: etsi hoc plus est quàm ferre, tribuere etiam beneficii aliquid, & honoris. Is igitur
Caius, cum Apameæ me nuper vidisset Romam proficiscens, me ita appellauit
(Culleolum vix auderem) Vnde, inquit, me iubes petere cibaria? Profecō respondi
lenius, quàm putabant oportuisse qui aderant, me non instituisse iis dare cibaria, quo-
rum opera non essem vsus. abiit iratus. Huius nebulonis operatione si Brutus moue-
ri potest, licebit eum solus ames, me æmulum non habebis. sed illum eum futurum
esse puto, qui esse debet. tibi tamen causam notam esse volui: & ad ipsum hæc perscri-
psi diligentissimè. omnino (soli enim sumus) nullas vnquam ad me literas misit Brutus,
ne proximè quidem de Appio, in quibus non inesset arrogans ἀκοινώνητον aliquid. Tibi
autem valde solet in ore esse, grauius autem non contemnere se, & Reges odisse super-
36 bos. in quo tamē ille mihi risum magis, quàm stomachum mouere solet. sed planè pa-
rum cogitat, quid scribat, aut ad quem. Quintus Cicero puer legit, ut opinor, & certè,
epistolam inscriptam patri suo. solet enim aperire, idque de meo consilio, siquid fortè
sit, quod opus sit sciri. In ea autem epistola erat illud idem de sorore, quod ad me. mi-
rificè conturbatum vidi puerum. lachrymās mecum est questus. Quid quæris: miram
in eo pietatem, suauitatē, humanitatēque perspexi: quo maiorem spem habeo, nihil
fore aliter, ac deceat. Id te igitur scire volui. Ne illud quidem prætermittā, Hortēsius

filius fuit Laodiceæ cum gladiatoribus flagitiosè & turpiter. hunc ego patris causa vocauit ad cœnam, quo die venit: & eiusdem patris causa nihil amplius. is mihi dixit, se Athenis me expectaturum, vt mecum decederet. Rectè, inquam: quid enim dicerem omnino puto nihil esse, quod dixit: nolo quidem, ne offendam patrem quem mehercule valde diligo. si fuerit meus comes, moderabor ita, nequid eum offendam, quem minimè volo. Hæc sunt: etiam illud, Orationem Q. Celeris mihi velim mittas contra M. Seruiliū. Literas mitte quamprimum: si nihil fuerit, vel per tuum tabellarium. Piliæ & filia salutem. Cura vt valeas.

CICERO ATTICO S.

TARSVM venimus Non. Iun. ibi me multa mouerunt: magnum in Syria bellum, magna in Cilicia latrocinia, mihi difficilis ratio administrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris. illud autem difficillimum: relinquendus erat ex s. c. qui præesset. nihil minus probari poterat, quam Quæstor Messinius. nam de Celio nihil au diebamus. Rectissimum videbatur fratrem cum imperio relinquere: in quo multa molestia, discessus noster, belli periculum, militum improbitas. sexcenta præterea. O rem totam odiosam. sed hæc fortuna viderit: quoniam consilio non multum vti licet. Tu quando Romam saluus, vt spero, venisti, videbis, vt soles, omnia quæ intelliges nostra interesse, in primis de Tullia mea: cuius de conditione quid mihi placeret, scripsi ad Teretiam, cum tu in Græcia esses: deinde de honore nostro. quod enim tu abfuiti, vereor vt satis diligenter actum in Senatu sit de literis meis. illud præterea *μισκώτερον* ad te scribam, tu sagacius odoraberis. *τῆς δ' ἀμαρτῆς μὲν ὁ ἀπελούθετος (οὐδ' αὖτε λέγω) ἔδοξε μὲν παρ' ὧν, ὅς ἐστι ἀλογεῦσθαι, ὡς περὶ φθῆ. περὶ φθῆναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς αἰτίας τῆς ἀπορρήτων τῆς Κερτωνιάτης τυραννοκτονίας. δέδοικα δὲ, μή τι νοήσης. ἐν δὲ τῆς τῆς δὲ περισκέψασθαι, ὅτι παρ' ὧν ἀσφάλισται.* non queo tantum, quantum vereor, scribere. Tu autem fac vt mihi tuae literæ volent obuiæ. Hæc festinàs scripsi in itinere atque agmine. Piliæ & puellæ Cæciliæ bellissimæ salutem dices. Vale.

CICERO ATTICO S.

NUNC quidē profectò Romæ es: quòte (si ita est) saluum venisse gaudeo: vnde quidem quandiu abfuiti, magis à me abesse videbare, quam si domi esses. minus enim mihi mea nota res erant, minus etiam publicæ. quare velim, etsi (vt spero) te hæc legente aliquantum tamen viâ processero, tamē obuias mihi literas quamargutissimas de omnibus rebus crebrò mittas, in primis de quo scripsi ad te antea. *ὁ τῆς Ξυναόρου τῆς ἐμῆς ὁ ἔξελεύθετος ἔδοξε μὲν θαυμάσιον, καὶ ἀλύων ἐν τοῖς Ξυλλόγοις, καὶ ταῖς λέξεσι ἠσπῶτι περὶ φθῆναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ἠσπῶσι τοῖς τῆς Κερτωνιάτης.* Hoc tu indaga, vt soles. At hoc magis. *ἔξ ἀπεως ἐπιλάσθαι τειχῶν περὶ ἐδάκεν ἡμῶν γάμος ὁ φθλήματα ὁ Κάμιλλος αὐτόν τε ὁ φείλοντα μῆας. κ. δ. ἐκ τῆς Κερτωνιατικῶν, καὶ ἐκ τῆς χερρονησιτικῶν. μη. καὶ κληρονομίας. χμ. η. μ. τῶν δὲ μῆδὲ ὀβελῶν ἀγαλλύσασθαι πύτων ὄφ. ληθέντων τῆς δὲ δύτερου μηνός τῆς μηνία. τῆ δὲ ἀπελώθετον αὐτῆς, ὅτι αὐτὸν μὲν ὁ Κόνωνος πατεὶ μῆδὲν ὄλοσθαι περὶ φθῆναι. τῶν ταῶν περὶ τὸν μῆδὲ ἵνα πάντα φθῆται, δὲ δύτερον δὲ, ἵνα μῆδὲ τῆς ὀλιγαρχίας τῆς ἀπὸ τῆς περὶ ἐκκλήσεως ἡμέρας, ἵσας αὐτὸν ἡνέγκασθαι, σφῆδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν περὶ ἡμῶν κατὰ σκεψάμενος, καὶ τι γὰρ εἰδὸν ἐλπίσας, ἀπογῆς δὲ ἀλόγως ἀπέστη, ἐπὶ φθῆναι, αἰχρῶν τοι δὲ τὸν τε μῆδὲν κενεὸν τε νέεσθαι.* meque obiurgauit vetere prouerbio, *καὶ μὲν διδόμενα.* Reliqua vide, & quantum fieri potest, perspiciamus, etsi annum tēpus propè iam emeritum habebamus. dies enim *xxxi*. erāt reliqui: sollicitudine prouinciæ tamen vel maximè vrgebamur. cum enim arderet Syria bello, & Bibulus in tanto mœrore suo maximam curam belli sustineret, ad meque Legati eius, & Quæstor, & amici literas mitterent, vt subsidio venirem: etsi exercitum infirmum habebam, auxilia sanè bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum (hæc enim sunt nostra robora) tamen esse officium meum putauit, exercitum habere quāproxime hostem, quoad mihi præesse prouinciæ per s. c. liceret. sed, quo ego maximè delectabar, Bibulus molestus mihi nō erat: de omnibus rebus scribebat ad me potius,

& mihi decessionis dies *λελυθῶτος* obrepebat. qui cum aduenerit, *ἀλλο πρὸς βλημ.* quæ præficiam, nisi Celius Quæstor venerit, de quo adhuc nihil certi habebamus. Cupiebam mehercule longiorem epistolam facere: sed nec erat res de qua scriberem, nec iocari præ cura poterā. Valebis igitur, & puellæ salutē articulatè dices, nostræque Piliæ.

CICERO ATTICO S.

- 41 EGO, dum in prouincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus accusatoris eius focer. Id quidem, inquis, dii approbent. Ita velim: tēque ita cupere certò scio. sed crede mihi, nihil minus putaram ego, qui de Ti. Nerone, qui mecum egerat, certos homines ad mulieres miseram, qui Romam venerunt factis sponsalibus, sed hoc spero melius. Mulieres quidem valde intelligo delectari obsequio & comitate adolescentis. Cætera noli *ἐξοικανθίζην*. Sed heus tu, *πυρὸς εἰς δῆμον* Athenis. placet hoc tibi? etsi non impediabant mei certè libri: non enim ista largitio fuit in ciueis, sed in hospites liberalitas. me tamen de Academiæ *προπόλη* iubes cogitare, quoniam Appius de Eleusine non cogitet. De Hortensio te certò scio dolere: equidem excrucior: decreueram enim cum eo valde familiariter viuere. Nos prouinciæ præfecimus Celium: Puerum, inquires, & fortasse fatuum, & non grauem, & non continentem. Assentior: fieri non potuit aliter. nam quas multò ante tuas acceperam literas, in quibus *ἐπέχην* te scripseras, quid esset mihi faciendum de relinquendo, eæ me pungebant. videbam enim, quæ tibi essent *ἐποχῆς* causæ, (& erant eadem mihi) puero ne traderem. fratri autem, illud non vtile nobis: nam præter fratrem nemo erat, quem sine contumelia Quæstor, nobili præsertim, anteferrem. tamen dum impendere Parthi videbantur, statueram fratrem relinquere, aut etiam Reipub. causa contra s. c. ipse remanere. qui posteaquam incredibili felicitate discesserunt, sublata dubitatio est. Videbam sermones, Hui fratrem reliquit? num est hoc non plus annum obtinere prouinciā? Quid, quod Senatus eos voluit præesse prouinciis, qui non præfuisent? at hic triennium. ergo hæc ad populum. Quid quæ tecum? nunquam essem sine cura, siquid iracundius, aut contumeliosius, aut negligentius. quæ fortuita hominum? Quid, siquid filius puer, & puer bene sibi fidens? qui esset dolor? quem pater non dimittebat, tēque id censere molestè ferebat. At nunc Celius non dico equidem, quod egerit: sed tamen multò minus laboro. Adde illud: Pompeius, eo robore vir, his radicibus, Q. Cassium sine forte delegit, Cæsar Antonium: ego forte datum offenderem? aut etiam inquirerem in eum, quem reliquissim? hoc melius, & huius rei plura exempla. senectuti quidem nostræ profectò aptius. at te apud eum, dii boni, quanta in gratia posui? eique legi literas non tuas, sed librarii tui. Amicorum literæ me ad triumphum vocant, rem à nobis, vt ego arbitror, propter hanc *παλιγγενεσίαν* nostram, non negligendam. Quare tu quoque mi Attice incipe hoc cupere, quo nos minus inepti videamur. Vale.

CICERO ATTICO S.

- 45 QUINTVS FILIVS, piè sanè, me quidem certè multum hortante, sed currentem animum patris sui forori tuæ reconciliauit. eum valde tuæ literæ excitarūt. Quid quæris? confido rem, vt volumus, esse. Bis ad te antea scripsi de re mea familiari, si modò tibi reddita literæ sunt, Græcè *ἐν ἀνιγμοῖς*. scilicet nihil est mouendum. sed tamen ἀφελῶς percunctando de nominibus Milonis, & vt expediat, vt mihi recepit, hortando, aliquid ita tu proficies. Ego Laodiceæ Quæstorem Messinium expectare iussi, vt confectas rationes lege Iulia apud duas ciuitates possim relinquere. Rhodum volo, puero-rum causa, inde quamprimum Athenas: etsi Etesia valde restant: sed volo his magistratibus, quorum voluntatem in supplicatione sum expertus. tu tamen mitte mihi quæso obuiam literas, nunquid putes Reipub. nomine tardandum esse nobis. Tiro ad te dedisset literas, nisi eum grauiter ægrum Etesæ reliquissim. Sed nunriant, melius esse. ego tamen angor. nihil enim illo adolescente castius, nihil diligentius. Vale.

CICERO ATTICO S.

CUM instituissem ad te scribere, calamumque sumpsissem, Batonius è naui rectà ad me venit domum Ephesi, & epistolam tuam reddidit prid. Calèd. Octob. lætatus sum felicitate nauigationis tuæ, opportunitate Piliæ, etiam mehercule sermone eiusdem de coniugio Tullix meæ. Batonius autem miros terrores ad me attulit Cæsarianos. cù Lepta etiam plura locutus est: spero, falsa, sed certè horribilia, exercitum nullo modo dimissurum: cum illo Prætores Des. Cassium Trib. Lentulum c o s. facere: Pompeio in animo esse Urbem relinquere. Sed heus tu, nunquid molestè fers de illo, qui se solet anteferre patruo sororis tuæ filii? At à quibus victus: sed ad rem. Nos Etesix vehementissimè tardarunt. detraxit x x. ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. Calèd. 47 Octob. Epheso conscendentes hanc epistolam dedimus L. Tarquinio simul è portu egredienti, sed expeditius nauiganti. nos Rhodiorum aphractis, cæterisque longis nauibus tranquillitates aucupaturi eramus. ita tamen properabamus, vt nò posset magis.

De rauduscule Puteolano gratum. nunc velim despicias res Romanas, videas quid nobis de triumpho cogitandum putes, ad quem amici me vocant. Ego, nisi Bibulus, qui, dum vnus hospes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quàm domo sua, adniteretur de triumpho, æquo animo essem. nunc verò ἀγρόν σωπαίν. sed explora rem totam, vt quo die congressi erimus, consilium capere possimus. At multa, qui & properarem, & ei literas darem, qui aut mecum, aut paulò antè venturus esset. Cicero tibi plurimam salutem dicit. Tu dices vtriusque nostrum verbis & Piliæ tuæ & filix. Vale.

CICERO ATTICO S.

IN PIRÆEA cùm exissem prid. Id. Octob. accepi ab Acasto seruo meo statim 48 tuas literas, quas quidem cùm expectassem iandiu, admiratus sum, vt vidi obfignatam epistolā, breuitatem eius: vt aperui, rursus συγγυσιν literularum, quæ solent tuæ copiosissimæ & clarissimæ esse. ac ne multa cognoui ex eo, quòd ita scripseras, te Romam venisse ad x i i. Calend. Octob. cum febris percussus vehementer, nec magis quàm debui, statim quæro ex Acasto. ille & tibi & sibi visum, & ita se domi ex tuis audisse, vt nihil esset incommodè. id videbatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem scripsisse. sed clamaui tamen, admiratusque sum, quòd nihilo minus ad me tua manu scripsisses. Quare de hoc satis: spero enim, quæ tua prudentia & temperantia, & hercule, vt me iubet Acastus, confido te iam, vt volumus, valere. A Turrano te accepisse meas literas gaudeo. παρὰ φύλαξι, si me amas, τὴν τῶ φουρατῶ φιλοτιμίαν ἀποπατα. Hanc quæ mehercule mihi magno dolori est (dilexi enim hominem) procura 49 (quantulacunque est) Prætianā hæreditatem. prorsus illam ne attingas. Dices numos mihi opus esse ad apparatus triumphi: in quo, vt præcipis, nec me κείων in expetendo cognosces, nec ἀποφω in abiiciendo. Intellexi ex tuis literis te ex Turrano audisse, à me prouinciam fratri traditam. Adeon' ego non perspexeram prudentiam literarum tuarum: ἐπέχην te scribebas. Quid erat dubitatione dignum? si esset quicquam, cur placeret fratrem, & talem fratrem relinquit? ἀθέτησις ista mihi tua, non ἐποχή videbatur. Monebas de Q. Cicerone puero, vt eum quidem neutiquam relinquerem. τὸ τὸ μόνον ἐρῶν ἐμοί. eadem omnia, quasi collocuti essemus, vidimus. non fuit faciendum aliter, meque ἐπιχειροῖα ἐποχή tua dubitatione liberauit. sed puto te accepisse de hac re epistolam scriptam accuratius. ego tabellarios postero die ad vos eram missurus, quos puto antè vē- 50 tuos, quàm nostrum Saufeium. sed eum sine meis literis ad te venire vix rectum erat.

Tu mihi, vt polliceris, de Tulliola mea, id est, de Dolabella, perscribas: de Rep. quam præuideo in summis periculis: de Censoribus, maximè que de signis, tabulis quid fiat, referaturne. Idib. Octob. has dedi literas, quo die, vt scribis, Cæsar Placentiam legiones quatuor. Quæso, quid nobis futurum est, maecte scribas. Athenis statio mea nunc placet. Vale.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER VII.

CICERO ATTICO S.



DEDERAM equidem L. Saufeio literas, & dederam ad te vnum, quòd cum non esset temporis mihi ad scribendum satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis literis ad te venire nolebam: sed, vt philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius. sin iam illas accepisti, scis me Athenas venisse pridie Id. Oct. è naui egressum in Piræum tuas ab Acasto nostro literas accepisse: conturbatum, quòd cum febre Romam venisses: bono tamen animo esse cœpisse, quòd Acastus ea quæ vellem, de alleuato corpore tuo nunciaret: cohorruisse autem, quòd tuæ literæ de legionibus Cæsaris afferrent: & egisse tecum, vt videres, nequid φιλοτιμία eius, quem nosti, nobis noceret, & de quo iam pridem ad te scripseram. Turranius autem secus tibi Brundisii dixerat, quòd ex his literis cognoui, quas à Xenone optimo viro accēpi. Cur fratrem prouinciæ non præfecissem, exposui breuiter. Hæc ferè sunt in illa epistola. nunc audi reliqua. Per fortunas, omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnemque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere iudico singularem, conferto ad eam curam, vt de omni statu meo cogites. Videre enim mihi videor tantam dimicationem, nisi idem deus, qui nos melius, quàm optare auderemus, Parthico bello liberauit, respexerit Rempub. quanta nunquam fuit. Age, hoc malum mihi commune est cum omnibus: nihil tibi mando, vt de eo cogites. illud meum proprium ἀεὶ βλημα quæso suscipe. Vidēsne, vt te authore sim vtrunque complexus: ac vellè à principio te audisse amicissimè monentem. ἀλλ' ἐμὸν ἔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἔπειθε πατείδος: sed aliquando tamè persuasisti, vt alterum complecterer, quia de me erat optimè meritis: alterum, quia tantum valebat. Feci igitur, atque effeci omni obsequio, vt neutri illorum quisquam esset me charior. hæc enim cogitabamus, nec mihi iuncto cum Pompeio fore necesse peccare in Repub. aliquando: nec cum Pompeio sentienti, pugandum esse cum Cæsare: tanta erat illorum coniunctio. Nunc impendet, vt & tu ostendis, & ego video, summa inter eos contentio. me autem vterque numerat suum: nisi fortè simulat alter. nam Pompeius non dubitat (verè enim iudicat) ea quæ de Repub. nunc sentiat, mihi valde probari. Vtriusque autem accepi eiusmodi literas eodem tempore, quo tuas, vt neuter quenquā omnium pluris facere, quàm me videretur. verum quid agant? non quæro illa vltima (si enim castris res geretur, video cum altero vincifatius esse, quàm cum altero vincere) sed illa, quæ tum agentur, cùm venero, ne ratio absentis habeatur, vt exercitum dimittat. Dic M. Tulli, Quid dicam? Expecta, amabo 4 te, dum Atticum conueniam. non est locus ad tergiuersandum cōtra Cæsarem. Vbi illa sunt densæ dextera? nam vt illi hoc liceret, adiui rogatus ab ipso Rauennæ de Celio Trib. pleb. ab ipso autem: etiam à Cneo nostro in illo diuino tertio Consulatu. aliter sensero: ἀδέομοι non Pōpeium modò, sed Τρῶας, καὶ Τρωάδας. Πυλδαμας μοι ἀποπὸς ἐλεγχείου καταθήσει. Quis? Tu ipse scilicet laudator & factorum & scriptorum meorum. hanc ego plagam effugi per duos superiores Marcellorum Consulatus, cùm est actum de prouincia Cæsaris. nunc incido in discrimen ipsum. Itaque, vt stultus primus suam sententiam dicat, mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid, extra Urbem esse cum iustissima causa. tamen dabunt operam, vt eliciant sententiam meam. Ridebis hoc loco fortasse: quàm vellem etiam nunc in prouincia morari. planè opus fuit, si hoc impendebat: etsi nil miserius. nam ὁδὸν πῆρρον, volo te hoc scire, omnia illa prima, quæ etiam tu literis in cælum ferebas, βῆτιθηκα fuerunt. Quàm nò est facilis virtus, quàm verò difficilis eius diuturna simulatio! cùm enim hoc rectum & gloriosum pu-

triumpho ambitiosè, & de Repub. liberè. sed ne dubitaris, quin quod honestius, id mihi futurū sit antiquius. nam quod putas vtilius esse, vel mihi quod tutius sit, vel etiam vt Reipub. prodesse possim, me esse cum imperio: id coram considerabimus quale sit. habet enim res deliberationem: etsi ex parte magna tibi assentior. De animo autem meo erga Rempub. bene facis, quod non dubitas, & illud probè iudicas, nequaquam satis pro meis officiis, pro ipsius in alios effusione illum in me liberalem fuisse: eiusque rei causam verè explicas: & eis, quæ de Fabio Caniniōque acta scribis, valde consentiūt. 15 quæ si secus essent, totūque se ille in me profudisset: tamen illa, quam scribis, custos Urbis me præclaræ inscriptionis memorem esse cogeret, nec mihi concederet, vt imitarer Volcatium aut Seruium, quibus tu es contentus. sed aliquid nos vellet nobis dignum & sentire & defendere. quod quidem agerem si liceret, alio modo, ac nūc agendum est. De sua potentia dimicant homines hoc tēpore periculo ciuitatis. nam si Respub. defenditur, cur ea Consule isto ipso defensa non est: cur ego, in cuius causa Reip. salus consistebat, defensus postero anno non sum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum est? cur tantopere pugnatum est, vt de eius absentis ratione habenda decem Tribuni pl. ferrent: His ille rebus ita conualuit, vt nunc in vno ciue Respub. ad resistendum imbecilla sit. quæ mallet tantas ei vires non dedisset, quam nunc tam valenti resisteret. sed quoniam res eò deducta est, non quaram, vt scribis, *ὁ σάφους ἦν* 16 *Ἀπεδῶν*. mihi *σάφους* vnum erit, quod à Pompeio gubernabitur. Illud ipsum quod ais, Quid fiet, cum erit dictum? Dic M. Tulli *σάφους*. Pompeio assentiar. ipsum tamen Pompeium separatim ad concordiam hortabor. sic enim sentio, maximo in periculo rem esse. Vos scilicet plura, qui in Vrbe estis, veruntamen hoc video, cum homine audacissimo, paratissimoque negotium esse: omneis damnatos, omneis ignominia affectos, omneis damnatione, ignominiaque dignos illac facere, omnem ferè iuuetutem, omnem illam vrbanam ac perditam plebem, Tribunos valēteis addito C. Cælio: omneis qui ære alieno premantur, quos plureis esse intelligo, quam putaram. Causam solū illa causa non habet: cæteris rebus abundat. hic omnia facere omnis debet, ne armis decernatur: quorum exitus semper incerti, nunc verò in alteram partem magis timendi. Bibulus de prouincia decessit: Veientonem præfecit. in decedendo erit, vt audio, tardior. quem cum ornauit Cato, declarauit iis se solis non inuidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem posset accedere. Nunc venio ad priuata. ferè enim respondi tuis literis de Repub. & iis quas in suburbano, & iis, quas postea scripsisti. ad priuata venio. Vnum etiam de Celio. tantum abest, vt meam ille sententiā moueat, vt valde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, pœnitendum putem. sed quid est, quod cūcti Luceiis sint addicti: hoc te prætermisile miror. De Philotimo faciam equidem, vt mones. sed ego mihi ab illo non rationes expectabam, quas tibi edidit, verum id reliquum, quod ipse in Tusculano me referre in cōmentarium mea manu voluit, quodque idem in Asia mihi sua manu scriptum dedit. id si præstaret, quantum mihi æris alieni esse ibi edidit, tantum, & plus etiam ipse mihi deberet. sed in hoc genere, 18 si modò per Rempub. licebit, non accusabimur posthac: neque hercule antea negligētes fuimus, sed amicorum multitudine occupati. Ergo vtemur, vt polliceris, & opera & consilio tuo, nec tibi erimus, vt spero, in eo molesti. De Serperastris cohortis meæ nihil est, quod doleas. ipsi enim se collegerūt admiratione vitæ integritatis meæ. sed me mouerat nemo magis quam is, quē tu neminem putas. Idem & initio fuerat, & nunc est egregius, sed in ipsa decessione significauit sperasse se aliquid, & id quod animum induxerat paulisper, non tenuit, sed citò ad se rediit, meisque honorificentissimis erga se officiis victus, pluris ea duxit, quam omnem pecuniam. ego à Curio tabulas accepi, quas mecum porto. Hortensii legata cognoui. Nunc auco scire, quid hominis sit, & quarum rerum auctorem instituat. nescio enim cur cum portam Flumentanam Celius occuparit, ego Puteolos non faciam meos. Venio ad Piræa: in

quo magis reprehēdendus sum, quod homo Romanus Piræa scripserim, nō Piræum (sic enim omnes nostri locuti sunt) quam quod in addiderim: nō enim hoc vt oppido præposui, sed vt loco. & tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, & Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piræa. sed de re videro. nostrum quidē si est peccatum, in eo est, quod non vt de oppido locutus sum, sed vt de loco: securusque sum, nō dico Cæcilium, Mane vt ex portu in Piræum (malus enim author latinitatis est) sed Terentium, cuius fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur à C. Lælio scribi, Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræum. & idem, Mercator hoc addebat, captam è Sunio. quod si *δύμωσ* oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium, quam Piræus. sed quoniam gram- 20 maticus es, si hoc mihi *ζήτημα* perfolueris, magna me molestia liberaris. Ille mihi literas blandas mittit. facit idem pro eo Balbus. mihi certum est ab honestissima sententia digitem nusquam. sed scis, illi reliquum quantum sit. Putasne igitur verendum esse, ne aut obiciat id nobis aliquis, si languidius: aut repetat, si fortius? Quid ad hæc repereris? Soluamus, inquis. Age, à Cælio mutuabimur. hoc tu tamen cōsideres velim. puto enim in Senatu, siquādo præclarè pro Rep. dixerō. Tarteisium istum tuum mihi aduenti vrbē, iube fodes numos curare. Quid superest? etiam. gener est suauis mihi: Tullia, Terentia quantumuis: vel ingenii, vel humanitatis satis. reliqua quæ nosti, ferenda: scis enim quos aperuerimus, qui omnes præter eum, de quo per te egimus, reū me facere rentur. ipsis enim expensum nemo offeret. Sed hæc coram: nam multi sermonis sunt. Tironis reficiendi spes est in M. Curio: cui ego scripsi, tibi eum gratissimum facturum.

11 Vale. Data v. Id. Decemb. à Pontio, ex Trebulano.

CICERO ATTICO S.

DIONYSIVM flagrantem desiderio tui mihi ad te, nec mehercule æquo animo, sed fuit concedendum. quem quidem cognoui cum doctum (quod mihi iam antè erat notum) tum sanctum, plenum officii, studiosum etiam meæ laudis, frugi hominem, ac, ne libertinū laudare videar, planè virum bonum. Pompeium vidi 1111. Id. Decēb. fui- 22 mus vnà horas duas fortasse. magna lætitia mihi visus est affici meo aduentu. de triumpho hortari, suscipere parteis suas, monere ne antè in Senatum accederem, quam rem confecissem, ne dicendis sententiis aliquem Tribunum alienarem. Quid quæris: in hoc iudicio & officio sermonis nihil potuit esse prolixius. de Repub. autem ita mecum locutus est, quasi non dubiū bellum haberemus: nihil ad spem concordia: planè illum ab se alienatum cum antè intelligeret, tum verò proximè iudicasse: venisse Hircium à Cæsare, qui esset illi familiarissimus, ad se non accessisse: & cum ille ad v 111. Id. Decēb. vesperi venisset, Balbus de tota re constituisset, ad v 11. ad Scipionem ante lucem venisse: multa de nocte profectum esse ad Cæsarem. hoc illi *τεκμηλιώδες* videbatur esse alienationis. Quid multa? nihil me aliud consolatur, nisi quod illum, cui etiam inimici alterum Consulatū, fortuna summam potentiam dederit, non arbitror fore tam amētem, vt hæc in discrimen adducat. quod si ruere cœperit, nā ego multa timeo, quæ nō audeo scribere. sed vt nunc est, ad 111. Non. Ian. ad Vrbem cogito. Vale.

CICERO ATTICO S.

MULTAS vno tempore accepi epistolas tuas: quæ mihi, quanquam recentiora au- 23 diebam ex iis qui ad me veniebant, tamen erant iucundæ. studiū enim & benevolentiam declarabant. Inualetudine tua moueor: & Piliā in idem genus morbi delapsam, curam tibi afferre maiorem sentio. Date igitur operam, vt valeatis. De Tirone video tibi curæ esse: quem quidem ego, etsi mirabiles vtilitates mihi præbet, cum valet, in omni genere vel negotiorum vel studiorum meorum, tamen propter humanitatem & modestiam malo saluum, quam propter vsum meum. Philogenes mecum nihil vnquam de Luscenio locutus est. de cæteris rebus habes Dionysium. Sororē tuam non venisse in Arcanum miror. De Chrysippo, meū consilium probari tibi, non molestè fero. Ego in Tusculanum: nihil sanè hoc tempore. deuium est *ἡ ἀπαρτοῦν*, & habet

alia *δύσχευσα*. sed de Formiano Tarracinam prid. Calend. Ian. inde Pontinum sumam: inde Albanum Pompeii: ita ad Urbē 111. Non. natali meo. De Repub. quotidie magis timeo: non enim boni, ut putavi, consentiunt. quos ego equites Romanos, quos Senatores vidi, qui acerrimè cum cætera, tum hoc iter Pompeii vituperarent: pace opus est. ex victoria cum multa mala, tum certè tyrānis existet. Sed hæc propediem coram. iam planè mihi deest, quid ad te scribam. nec enim de Repub. quòd vterque nostrum scit eadem: & domestica nota sunt ambobus. Reliquum est iocari, si hic finat. nam ego is sum, qui illi concedi putem vtilius esse quod postulat, quàm signa cõferri. serò enim resistimus ei, quem per annos decè aluimus contra nos. Quid sentis igitur, inquis? Nihil scilicet nisi de sententia tua, nec prius quidem, quàm nostrum negotium aut confecerimus, aut deposuerimus. Cura igitur ut valeas, aliquādo *ἀποπειλάς* quartanam istam diligentia quæ in te summa est.

CICERO ATTICO S.

PLANE deest, quid ad te scribam: nota omnia tibi sunt. nec ipse habeo, à te quid expectem. tantum igitur nostrum illud solenne seruemus, ut ne quem istuc euntem sine literis dimittamus. De Repub. valde timeo: nec adhuc ferè inueni, qui non concedendum putaret Cæsari quod postulare, potius quàm depugnandum. est illa quidem impudens postulatio opinione valentior: cur autem nunc primum ei resistamus, & *ἢ ἀπὸ τοῦ μείζονος ἐπιτοῦ κακόν*, quàm cum quinquenniū prorogabamus, aut cum, ut absentis ratio haberetur, ferebamus? nisi fortè hæc illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. Dices, Quid tu igitur sensurus es? Nō idem quod dicturus. sentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur: dicam idem quod Pompeius, neque id faciam humili animo: sed rursus hoc permagnum Reip. malum est, & quodammodo mihi præter cæteros non rectum, me in tantis rebus à Pompeio dissidere. Vale.

CICERO ATTICO S.

DIONYSIVS vir optimus, ut mihi quoque est perspectus & doctissimus, tuique amantissimus, Romam venit x v. Calend. Ian. & literas à te mihi reddidit. tot enim verba sunt de Dionysio in epistola tua. Illud priuatius nō ascribis. Et tibi gratias egit. Atqui certè ille agere debuit, & si esset factum, quæ tua est humanitas, ascripisses. Mihi autem nulla de eo *παλινοφθία* datur propter superioris epistolæ testimonium. sit igitur sanè bonus vir. hoc enim ipsum bene fecit, quòd mihi sui cognoscendi penitus etiam istam facultatem dedit. Philogenes rectè ad te scripsit. curauit enim, quod debuit. cum ego vti ea pecunia volui, quoad liceret: itaque vsus est menses x 1111. Pontinum cupio valere: & quod scribis in Urbem introisse, vereor quid sit. nam id nisi graui de causa non fecisset. Ego, quoniam 1111. Non. Ian. compitalitius dies est, nolo eo die in Albanum venire molestus familiæ. veniam 111. Non. igitur inde ad Urbem pridie Non. Tua *ἀνψις* quem in diè incurrat nescio, sed prorsus te commoueri incommodo valetudinis tuæ nolo. De honore nostro, nisi quid occultè Cæsar per suos Tribunos molitus erit, cætera videntur esse tranquilla. tranquillissimus autè animus meus, qui totum istuc æqui boni facit, & eo magis, quòd iam à multis audio constitutum esse Pompeio & eius consilio, in Siciliam me mittere, quòd imperium habeam, id est *Αβδηκετικόν*. nec enim Senatus decreuit, nec populus iussit me imperium in Sicilia habere. sin hoc Respub. ad Pompeium refert: quī me magis quàm priuatum aliquem mittat? Itaque si hoc imperium mihi molestum erit, vtar ea porta, quam primum videro. Nam quòd scribis, mirificam expectationem esse mei, neque tamen quēquam bonorum, aut satis bonorum dubitare, quid sensurus sim: ego quos tu bonos esse dicas, non intelligo: ipse nullos noui: sed ita, si ordines bonorum quærimus: nam singulares sunt boni viri: verum in diffensionibus ordines bonorum, & genera quærenda sunt. Senatū bonum putas, per quem sine imperio prouinciæ sunt? nūquam enim Curio sustinisset, si cum eo agi cœptum esset. quam sententiā Senatus sequi noluit. ex quo factum

est, ut Cæsari non succederetur. An publicanos, qui nunquā firmi, sed nunc Cæsari sunt amicissimi: an fœneratores? an agricolas? quibus optatissimū est otium: nisi eos timere putas, ne sub regno sint, qui id nunquā, dummodo otiosi essent, recusarunt. Quid ergo exercitū retinentis, cum legis dies transferit, ratione haberi placet: mihi verò ne absentis quidè. sed cum id datum est, illud vnà datum est. annorum decem imperiū, & ita latum placet. Placet igitur etiā me expulsus, & agrum Capanum periisse, & adoptatū patritium à plebeio, Gaditanum à Mitylenæo: & Labieni diuitiæ, & Mamurræ placet, & Balbi horti, & Tusculanum. sed horum omnium fons vnus est. imbecillo resistendum fuit, & id erat facile. Nunc legiones x 1. equitatus tantus, quantum volet: Transpadanæ plebs urbana, tot Tribuni pl. tam perdita iuuentus, tanta authoritate dux, tanta audacia: cum hoc aut depugnandum est, aut habèda è lege ratio. Depugna, inquis, potius, quàm seruias. Ut quid: si victus eris, proscribare: si viceris, tamen seruias. Quid ergo, inquis, acturus es? Idè quod pecudes, quæ dispulsa, sui generis sequuntur greges. ut bos armenta, sic ego bonos viros, aut eos quicumque dicentur boni, sequar, etiam si ruent. Quid sit optimum malè contractis rebus, planè video. nemini est enim exploratum, cum ad arma ventum est, quid futurum sit: at illud omnibus, si boni victi sunt, nec in cæde principum clementiorem hunc fore, quàm Cinna fuerit: nec moderatiorem, quàm Sulla in pecuniis locupletium. *ἐμπολιτδομυήσιν* iandudum, & facerem diutius, nisi me Lucerna desereret. Ad summā dic M. Tulli. Assentior Cn. Pompeio, id est T. Pomponio.

Alexim humanissimum puerum (nisi fortè dum ego absūm, adolescens factus est: id enim agere videbatur) saluere iubeas velim. Vale.

CICERO ATTICO S.

QUID opus est de Dionysio tam valde affirmare? an mihi nutus tuus non faceret fidem? suspicionem autem eò mihi maiorem tua taciturnitas attulerat, quòd & tu soles conglutinare amicitias testimoniis tuis, & illum aliter cum aliis de nobis locutum audiebam. sed prorsus ita esse, ut scribis, mihi persuades. Itaque ego is in illum sum, quem tu me esse vis. Diem tuum ego quoque ex epistola quadam tua, quam incipiente fabricula scripseras, mihi notaueram, & animaduerteram posse, pro re nata, te non incommodè ad me in Albanum venire 111. Non. Ian. Sed amabo te, nihil incommodo valetudinis feceris. quid enim est tantum in vno aut altero die? Dolabellam video Liuiæ testamento cum duobus cohæredibus esse in triente, sed iuberi mutare nomen. est *πολιτικόν σκέμμα*, rectumne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento. sed id *φιλοσοφώτερον διδουκρινήσομυ*, cum sciemus quantum quasi sit in trientis triente. Quod putasti fore, ut antè quàm istuc venire, Pompeium viderem: factum est ita. nam v 1. Calend. ad Lauernium me consecutus est. vnà Formias venimus, & ab hora octaua ad vesperum secretò collocuti sumus. Quòd quæris, ecquæ spes pacificationis sit: quantum ex Põpei multo & accurato sermone perspexi, ne voluntas quidem est. sic enim existimat, si ille vel dimisso exercitu Consul factus sit, *σώχουσι τῆς πολιτείας* fore. atque etiam putat eum, cum audierit, contra se diligenter parari, Consulatum hoc anno neglecturum, ac potius exercitum prouinciāmque retenturum. sin autem ille fureret, vehementer hominem contemnebat, & suis & Reipub. copiis confidebat. Quid quæris? etsi mihi crebrò *Ξυδὸς ἐνυδλιος* occurrebat, tamen leuabar cura, virum fortem & peritum, & plurimum authoritate valentem audiens, *πολιτικῶς* de pacis simulatæ periculis differentem. habebamus autem in manibus Antonii cõcionem habitam x. Calend. Ianuar. in qua erat accusatio Pompeii vsque à toga pura: querela de damnatis: terror armorum. In quibus ille, Quid censēs, aiebat, facturum esse ipsum, si in possessionem Reipub. venerit, cum hæc Quæstor eius infirmus & inops audeat dicere: Quid multa? non modò non expetere pacem istam, sed etiam timere visus est. Ex illa autem sententia ira relinquendæ Urbis mouet hominem, ut puto. Mihi autem illud molestissimum est, quòd soluedi sunt numi Cæsari, & instrumentū triumphii X.ii.

eò conferendum. est enim ἀμορφον ἀντιπολιτευομένης χρεωφλέπων esse. sed hæc & multa alia coram. Quotidiene, inquis, à te accipiendæ literæ sunt? Si habebō cui dem, quotidie. At iam ipse ades. Tum igitur, cum venero, desinam. Vnas video mihi à te non esse redditas, quas L. Quintius familiaris meus cum ferret ad Bustum Basilii, vulneratus & despoliatus est. videbis igitur, nunquid fuerit in his, quod me scire opus sit. & simul tu hoc διωκρησός ποσβλημα fanè πολιτικόν: cum sit necesse aut haberi Cæsaris rationem, illo exercitum vel per Senatum vel per Tribunos pleb. obtinente: aut persuaderi Cæsari, ut tradat provinciam atque exercitum, & ita consul fiat: aut si id non persuadetur, haberi comitia sine illius ratione, illo patiente atque obtinente provinciam: aut si per Tribunos pleb. non patitur, tamen quiescat, rem adduci ad interregnum: aut si ob eam causam, quod ratio eius non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere: illum autem initium facere armorum, aut statim nobis minus paratis, aut tum cum comitiis, amicis eius postulantibus, ut è lege ratio habeatur, impetratum non sit: ire autem ad arma aut hanc vnam ob causam, quod ratio non habeatur: aut addita causa, si fortè Tribunos pleb. Senatum impediens, aut populum incitans notatus, aut s. c. circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit, dicensue se expulsam ad illum confugerit: suscepto autem bello, aut tenenda sit Vrbs, aut ea relicta, ille à comætu & reliquis copiis intercludendus: quod horum malorum, quorum aliquod certè subeundum est, minimum putes. Dices profectò, persuaderi illi, ut tradat exercitum, & ita Consul fiat: est omnino id eiusmodi, ut si ille eò descendat, contradici nihil possit. idque eum, si non obtinet ut ratio habeatur retinentis exercitum, non facere miror. nobis autè, ut quidam putant, nihil est timendum magis, quàm ille Consul. At sic malo, inquis, quàm cum exercitu. Certè, sed, istuc ipsum sic, o magnum malum, putat aliquis, neque ei remedium est vllum. cedendum est, si id volet. vide Consulem illum iterum, quem vidisti Consulatu priore. At tum imbecillus plus, inquis, valuit, quàm tota Respub. Quid nunc putas? & eo Consule, Pompeio certum est esse in Hispania. O rem miseram: siquidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest: & quod ille si faciat, iamiam à bonis omnibus summam ineat gratiam. Tollamus igitur hoc, quo illum posse adduci negant. de reliquis quid est deterrimum? concedere illi, quod, ut idem dicit, impudentissimè postulat. Nam quid impudentius? tenuisti provinciam per decem annos, non tibi à Senatu, sed à te ipso per vim & per factionem datos: præterit tempus legitimum non legis, sed libidinis tuæ, fac tamen legis: ut succedatur, decernitur: impedis, & ais, Habe mei rationem: habe tu nostrum. exercitum tu habeas diutius, quàm populus iussit, inuito Senatu? depugnes oportet, nisi concedis, cum bona quidem spe, ut ait idem, vel vincendi, vel in libertate moriendi. iam si pugnandum est: quo tempore, in casu: quo consilio, in temporibus situm est. itaque te in ea quaestione non exerceo. ad ea quæ dixi, affer, siquid habes. equidem dies, noctesque torqueor. Vale.

CICERO ATTICO S.

SVBITO consilium cepi, ut antè quàm luceret, exirem, nequi conspectus fieret, aut sermo, licitoribus præfertim laureatis. De reliquo, neque hercule quid agam, nec quid acturus sim, scio: ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi consilii. tibi verò quid suadeam, cuius ipse consilium expecto? Cneus noster quid consilii ceperit, capiatur, nescio, adhuc in oppidis coarctatus, & stupent omnes. si in Italia consistat, erimus vna. sin cedit, consilii res est. adhuc certè (nisi ego insanio) stultè omnia & incauté. Tu quaeso crebrò ad me scribe, vel quod in buccam venerit. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVAESO, quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebræ sunt. Cingulum, inquit, nostenemus. Anconem amisimus. Labienus discessit ab Cæsare: Vtrum de imperatore populi R. an de Annibale loquuntur? o hominem amentem & miserum, qui ne umbram

quidem vnquam τὴν καλὴν viderit. atque hæc ait omnia facere se dignitatis causa. vbi est autem dignitas, nisi vbi honestas? num honestum igitur habere exercitum nullo publico consilio? occupare vrbes ciuium, quo facilius sit aditus ad patriam? χρεῶν ἀποκοπὰς, φουλάτων καὶ ὁδῶν, sexcenta alia scelera moliri, τὴν θεῶν μέγιστην ὡς ἐχθρὴν τυραννίδα? sibi habeat suam fortunam. vnam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quàm omnia istiusmodi regna: vel potius mori millies, quàm semel illiusmodi quicquam cogitare. Quid si tu velis, inquis? Age, quis est, cui velle non liceat? sed ego hoc ipsum velle miserius esse duco, quàm in crucem tolli. vna res est ea miserior, adipisci quod ita volueris. Sed hæc hæc tenus. libeter enim in his molestiis ἐνθρολίζω σοι. redcamus ad nostrum. Per fortunas quale tibi consilium Pompeii videtur? (hoc quaero, quod Urbem reliquerit) ego enim ἀπορῶ. tum nihil absurdius. Urbem tu relinquant: ergo idem, si Galli venirent. Non est, inquit, in parietibus Respub. at in aris & focis. fecit idem Themistocles. fluctum enim totius barbariæ ferre vrbs vna non poterat. At idem Pericles non fecit annum ferè post quinquagesimum, cum præter mœnia nihil tenebat. nostri olim Vrbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt, ἕτως περὶ τὴν ἀφῶθεν ἐπειθὲ μεθὰ κλέα ἀνδρῶν. rursus autem ex dolore municipali, sermonibusque eorum, quos conuenio, videtur hoc consilium exitum habiturum. Mira hominum querela est (nescio istic: sed facies ut sciam) sine magistratibus Urbem esse, sine Senatu. fugiens denique Pompeius mirabiliter homines mouet. Quid quaeris? alia causa facta: nihil iam concedendum putant Cæsari. hæc tu mihi explica qualia sint. Ego negotio præsum non turbulento: vult enim me Pompeius esse, quem tota hæc Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus & summa negotii referatur. itaque vagus esse cogitabam. te puto iam videre, quæ sit ὁρμὴ Cæsaris, qui populus, qui totius negotii status. ea velim scribas ad me, & quidem, quoniã mutabilia sunt, quàm sæpissime. acquiesco enim & scribens ad te, & legens tua. Vale.

CICERO ATTICO S.

VNAM adhuc à te epistolam acceperam, datam xii. Calend. Iun. in qua significabatur, aliam te antè dedisse, quàm non acceperam. sed quaeso ut scribas quàm sæpissime, non modò siquid scies, aut audieris, sed etiã siquid suspicabere: maximè que quid nobis faciendum, aut non faciendum putas. Nam quod rogas, curè ut scias quid Pompeius agat: ne ipsum quidem scire puto: nostrum quidem nemo. vidi Lentulum c o s. Formiis x. Calend. Iun. vidi Libonem. plena timoris & erroris omnia. Ille iter Larinum: ibi enim cohortes & Luceriæ & Theani, reliquæ in Apulia. inde vtrū consistere vsquam velit, an mare transire, nescitur. si manet, vereor ne exercitum firmum habere non possit. sin discedit, quò, aut qua, aut quid nobis agendum sit, nescio. nam istum quidem, cuius φαλαγγιστὸν times, omnia teterrimè facturum puto. nec enim rerum prolatio, nec Senatus, magistratumque discessus, nec ærarium clausum tardabit. Sed hæc, ut scribis, citò sciemus. interim velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa toties. acquiesco enim: & tuas volo elicere literas, maximè que consilium, quid agam, aut quo me pacto geram: dimittam me penitus in causam (non deterreor periculo, sed dirumpor dolore: tamne nullo consilio, aut tam contra meum consilium gesta esse omnia?) an cuncter & tergiverser, & iis me dem, qui tenent, qui potiuntur? αἰδέομαι Τρωῶν: nec solum ciuis, sed etiam amici officio reuocor: etsi frangor sæpe misericordia puerorum. Ut igitur ita perturbato, etsi te eadè sollicitant, scribe aliquid, & maximè, si Pompeius Italia cedit, quid nobis agendum putes. M. quidem Lepidus (nam fuimus vna) eum finem statuit: L. Torquatus eundem. me cum multa, tum etiam lictores impediunt. nihil vidi vnquam, quod minus explicari posset. Itaque à te nihil dum certi exquirō, sed quid videatur. denique ipsam ἀπορίαν tuam cupio cognoscere. Labienum ab illo discessisse, propemodum constat. si ita factum esset, ut ille Romam veniens, magistratum & Senatum Romæ offenderet, magno vsui causæ nostræ fuisset: damnasse enim

sceleris hominem amicum Reipub. causa videretur. quod nunc quoque videtur, sed minus prodest. non enim habet, cui profit: eumque arbitror poenitere: nisi fortè id ipsum est falsum, discessisse illum: nos quidè pro certo habebamus. Et velim (quanquam, vt scribis, domesticis te finibus tenes) formam mihi Urbis exponas, ecquod Pompeii desiderium, ecquæ Cæsaris inuidia appareat: etiam quid censeas de Terentia & Tullia: Romæ eas esse, an mecum, an aliquo tuto loco. & hæc, & siquid aliud, ad me scribas velim, vel potius scriptites. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Vennonianis rebus tibi assentior. Labienum ἥρωα iudico: facinus iandiu nullum ciuile præclarius. qui, vt aliud nihil, hoc tamè profecit, dedit illi dolorem: sed etiam ad summam profectum aliquid puto. amo etiam Pisonem: cuius iudicium de genero suspicor visum iri graue. quanquam genus belli, quod fit, vides. ita ciuile est, vt non ex ciuium dissensione, sed ex vnus perditu ciuis audacia natum sit. is autem valet, exercitum tenet multa spe & promissis: omnia omnium concupiuit. huic tradita Vrbs est, nuda præsidio, referta copiis. Quid est, quod ab eo nõ metuas, qui illa templa & tecta non patriam, sed prædam putet? Quid autem sit acturus, aut quomodo, nescio, sine Senatu, sine magistratu. ne simulare quidem poterit quicquam πολιτικῶς. Nos autem vbi exurgere poterimus? aut quando? quorum dux quam ἀσφαλιῆτος, tu quoque animaduertis, cui ne Picena quidem nota fuerint. quàm item sine consilio res stet. vt enim alia omitam decem annorum peccata, quæ conditio non huic fugæ præstitit? Nec verò nunc quid cogitet, scio, ac non desino per literas sciscitari. nihil esse timidius constat, nihil perturbatius. Itaque nec præsidium, cuius parandi causa ad Urbem retentus est, nec locum ac sedem præsidii vllam video. spes omnis in duabus inuidiosè retentis, penè alienis legionibus. nam delectus adhuc quidem inuitoru est, & à pugnando abhorrentium. Conditionum autem amissum tempus est. quid futurum sit, nõ video. commissum quidem à nobis certè est, siue à nostro duce, vt è portu sine gubernaculis egressi, tempeffati nos traderemus. itaque de Ciceronibus nostris dubito quid agam: nam mihi interdum amandadi videntur in Græciâ. De Tullia autem & Terentia, cum mihi barbarorum aduentus ad Urbem proponitur, omnia timeo. cum autem Dolabellæ venit in mentem, paulum respiro. sed velim consideres, quid faciendum putes: primùm πρὸς τὸ ἀσφαλές, aliter enim mihi de illis, ac de me ipso consulendum est. deinde πρὸς τὰς δόξας, ne reprehendatur, quod eas Romæ velimus esse in communi bonorum fuga. quinetiam tibi & Peduceo (scripsit enim ad me) quid faciatis, videndum est. is enim splendor est vestrum, vt eadem postulentur à vobis, quæ ab amplissimis ciuibus. Sed de hoc tu videbis, quippe cum de ipso ac de me ista considerare velim. reliquum est, vt & quid agatur, quoad poteris, explores, scribasque ad me & quid ipse coniectura assequare. quod etiam à te magis expecto. nam acta, omnibus nuntiantibus, à te expecto futura. μάλιστα δ' ἀεὶ. Loquacitati ignosces, quæ & me leuat ad te quidem scribentem, & elicit tuas literas.

ANigma Oppiorum ex Velia planè non intellexi. est enim numero Platonis obscurius. iam intellexi tuum ænigma. Oppios enim de Velia Sanctones dicis in eo æstu, aut die. quo aperto, reliqua patebant, & cum Terentiæ summa congruebant. L. Cæsarem vidi Minturnis ad v i i. Calend. Febr. mane cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas soluras: vt id ipsum mihi ille videatur irridendi causa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit: nisi fortè non dedit, & hic sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. Labienus, vir mea sententia magnus, Theanum venit ad i x. Calend. Febr. ibi Pompeium, Consulèque cõuenit. qui sermo fuerit, & quid actum sit, scribam ad te, cum certum sciam. Pompeius ab Theano Larinum versus, profectus est ad v i i. Calend. eo die mansit Venafri. Aliquantum animi videtur nobis attulisse Labienus. sed ego nondum habeo, quid ad te ex his locis scribam: ista magis expecto, quid illinc afferatur, quo pacto de Labieno ferat, quid agat Domitius in Mar-

sis, Tignii Thermus, P. Actius Cinguli, quæ sit populi vrbani voluntas, quæ tua coniectura de rebus futuris. Hæc velim crebrò, & quid tibi de mulieribus nostris placeat, & quid acturus ipse sis, scribas. Si scriberem ipse, longior epistola fuisset, sed dictaui propter lippitudinem. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD VI. Calend. Febr. Capuam Calibus proficiscens, cum leuiter lippirem, has literas dedi. L. Cæsar mandata Cæsaris detulit ad Pompeium ad v i i. Calend. cum is esset cum Consulibus Theani. probata conditio est, sed ita, vt ille de iis oppidis, quæ extra suam prouinciã occupauisset, præsidia deduceret. id si fecisset, responsum est, ad Urbem nos redituros esse, & rem per Senatum confecturos. spero etiam in præsentia pacem nos habere: nam & illum furoris, & hunc nostrum copiarum suppœnitet. Me Pompeius Capuam venire voluit, & adiuuare delectum. in quo parũ prolixè respondent Campani coloni. Gladiatores Cæsaris, qui Capuæ sunt, de quibus antè ad te falsum ex Torquati literis scripseram, sanè commodè Pompeius distribuit binos singulis patribus familiarum. secutorum in ludo I O O. fuerunt. eruptionem facturi fuisse dicebantur. sanè multum in eo Reipub. prouisum est. De mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quæso videas vt satis honestum nobis sit, eas Romæ esse, cum cetera vlla dignitate discesserint. hoc scripsi ad eas, & ad te ipsum antea. velim eas cohortere vt exeant, præsertim cum ea præsidia in ora maritima habeamus, cui ego præsum, vt in his pro re nata non incommodè possint esse. nam siquid offendimus in genero nostro, quod quidem ego præstare non debeo, id fit maius, quod mulieres nostræ præter ceteras Romæ remiserunt. Tu ipse cum Sexto scire velim quid cogites de exeundo, de totaque re quid existimes. Equidem ad pacem hortari non desino: quæ vel iniusta vtilior est, quàm iustissimum bellum. sed hæc vt fors tulerit. Vale.

CICERO ATTICO S.

VT AB Vrbe discessi, nullum adhuc intermisi diem, quin aliquid ad te literarum darem, non quò haberem magnopere quid scriberem, sed vt loquerer tecum absens, quo mihi, cum coram id non liceret, nihil est iucundius. Capuam cum venissem ad v i. Calend. pridie, quàm has literas dedi, Consules conueni, multosque nostri ordinis. omnes cupiebant Cæsarem abductis præsidis stare conditionibus iis, quas tulisset. vni Fauonio leges ab illo nobis imponi non placebat: sed is auditus in consilio: Cato enim ipse iam seruire, quàm pugnare mauult: sed tamen ait in Senatu se adesse velle, cum de conditionibus agatur, si Cæsar adductus sit, vt præsidia deducat: ita, quod maximè opus est, in Siciliam ire nõ curat: quod metuo ne obsit, in Senatu esse vult. Posthumus autem, de quo nominatim Senatus decreuit, vt statim in Siciliam iret, Furfanoque succederet, negat se iturũ sine Catone, & suam in Senatu operam, autoritatẽque magni æstimat. ita res ad Fannium peruenit. is cum imperio in Siciliam præmittitur. In disputationibus nostris summa varietas est. plerique negant Cæsarem in conditione mansurum: postulatque hæc ab eo interposita esse, quò minus quod opus esset ad bellum, à nobis pararetur. ego autem eum puto facturũ, vt præsidia deducat: vicerit enim, si Consul factus erit, & minori scelere vicerit, quàm quo est ingressus: sed accipiẽda plaga est. sumus enim flagitiosè imparati cum à militibus, tum à pecunia, quam quidem omnem non modò priuatam, quæ in Vrbe est, sed etiam publicã, quæ in arario, illi reliquimus.

Pompeius ad legiones Actianas est profectus. Labienum secum habet. Ego tuas opinionones de his rebus expecto. Formias me continuo recipere cogitabam. Vale.

CICERO ATTICO S.

OMNEI S arbitror mihi tuas literas redditas esse, sed primas præposterè, reliquas ordine, quo sunt missæ per Terentiam. De mandatis Cæsaris, aduentũque Labieni, & responsis Consulũ ad Pompeium, scripsi ad te literis iis, quas ad v. Calẽd. Capua dedi: pluraque præterea in eandẽ epistolam conieci. Nũc has expectationes habemus duas:

vnam, quid Cæsar acturus sit, cum acceperit ea, quæ referenda ad illum data sunt L. Cæsari: alteram, quid Pompeius agat: qui quidem ad me scribit, paucis diebus se firmum exercitum habiturum: spemque affert, si in Picenum agrum ipse venerit, nos Romam redituros esse. Labienum secum habet non dubitantem de imbecillitate Cæsaris copiarum: cuius aduentu Cneus noster multo animi plus habet. nos à Consulibus Capuam venire iussi sumus ad Non. Febr. Capua profectus sum Formias ad 111. Calend. eo die cum Calibus tuas literas hora ferè nona accepissem, has statim dedi. De Terentia & Tullia tibi assentior: ad quas scripseram, ad te ut referrent. si nondum profectæ sunt, nihil est, quod se moueant, quoad perspiciamus, quo loco sit res. Tuæ literæ mihi gratæ, iucundæque sunt. De pueris in Græciam transportandis tum cogitabam, cum fuga ex Italia quæri videbatur. nos enim Hispaniam peteremus: illis hoc æquè commodum non erat. Tu ipse cum Sexto etiam nunc mihi videris Romæ rectè esse posse: etenim minimè amici Pompeio nostro esse debetis: nemo enim vnquam tantum de vrbis præfidiis detraxit. Vidésne me etiam iocari? Scire iam te oportet, L. Cæsar quæ responsa referat à Pompeio, quas ab eodem ad Cæsarem ferat literas. scriptæ enim, & datæ ita sunt, ut proponerentur in publico. in quo accusaui mecum ipse Pompeium, qui cum scriptor luculentus esset, tantas res, atque eas quæ in omnium manus venturæ essent, Sestio nostro scribendas dederit. itaque nihil vnquam legi scriptum *σὴν ὠδὲ τῆσσι*. perspicere tamen ex literis Pompeii potest, nihil Cæsari negari, omniæque, & cumulatè quæ postulet, dari: quæ ille amentissimus fuerit, nisi acceperit, præsertim cum impudentissimè postulauerit, quis enim tu es, qui dicas, si in Hispaniam profectus erit, si præfidia dimiserit? tamen conceditur minus honestè nunc quidem, violata iam ab illo Repub. illatoque bello, quàm si olim de ratione habenda impetrasset: tamen vereor ut his ipsis contentus sit. nam cum ista mandata dedisset L. Cæsari, debuit esse paulò quietior, dum responsa referrentur: dicitur autem nunc esse acerrimus. Trebatius quidem scribit, se ab illo 11. Calend. Febr. rogatum esse, ut scriberet ad me, ut essem ad Urbem: nihil ei me gratius facere posse. Hæc verbis plurimis. Intellexi ex dierum ratione, ut primùm de discessu nostro Cæsar audisset, laborare eum cœpisse, ne omnes abessemus. Itaque non dubito, quin ad Pisonem, quin ad Seruium scripserit. illud admiror, non ipsum ad me scripsisse, non per Dolabellam, non per Celium egisse. quanquam non aspersionem Trebatii literas, à quo me vnice diligere scio. Rescripsi ad Trebatium (nam ad ipsum Cæsarem, qui mihi nihil scripsisset, nolui) quàm illud hoc tempore esset difficile: me tamen in prædiis meis esse, neque delectum vllum, neque negotium suscepisse. In quo quidem manebo, dum spes pacis erit. sin bellum geretur, non deero officio, nec dignitati meæ. pueros *παιδῶν μέρους* in Græciam. totam enim Italiam flagrationem bello intelligo: tantum mali excitatum partim ex improbis, partim ex inuidis ciuibus. Sed hæc paucis diebus ex illius ad nostra responsa responsis intelligentur quorsum euasura sint. tum ad te scribam plura, si erit bellum: sin autem etiam induciæ, te ipsum, ut spero, videbo. Ego 1111. Non. Febr. quo die has literas dedi, in Formiano, quò Capua redieram, mulieres expectabam: quibus quidem scripseram, tuis literis admonitus, ut Romæ manerent: sed audio maiorem quædam in Vrbe timorem esse. Capuæ Non. Febr. esse volebam, quia Consules iusserant. Quicquid huc erit à Pompeio allatum, statim ad te scribam, tuasque de istis rebus literas expectabo. Vale.

CICERO ATTICO S.

1111. Non. Febr. mulieres nostræ Formias venerunt, tuasque erga se officia plena tui suauissimi studii attulerunt. eas ego, quoad scirem usque vtrum turpe pace nobis, an miserrè bello esset utendum, in Formiano esse volui, & vnà Cicerones. ipse cum fratre Capuam ad Consules (Nonis enim adesse iussi sumus) 111. Non. profectus sum, cum has literas dedi. responsa Pompeii grata populo, & probata concioni esse dicuntur. ita putarè. quæ quidem si ille repudiarit, iacebit: si acceperit. Vtrum igitur, inquires, mauis? Respon-

derem, si, quemadmodum parati essemus, scirem. Cassium, erat hinc auditum, expulsus Ancone, eamque Urbem à nobis teneri: si bellum futurum est, negotium vtile. Cæsarem quidem, L. Cæsarem cum mandatis de pace misso, tamè aiunt acerrimè delectum habere, loca occupare, vincere præfidiis. O perditum latronem, vix vlllo otio compensandam hanc Reipub. turpitudinem! sed stomachari desinamus, tempori pareamus, cum Pompeio in Hispaniam eamus. hæc opto in malis, quoniam illius alterum Consulatum à Repub. ne data quidem occasione repulimus. sed hæc hæctenus. De Dionysio fugit me ad te antea scribere: sed ita constitui expectare responsa Cæsaris, ut, si ad Urbem rediremus, ibi nos expectaret: sin tardius id fieret, tum eum accerferemus: omnino quid ille facere debuerit in nostra illa fuga, quid docto homine & amico dignum fuerit, cum præsertim rogatus esset. sed hæc non nimis exquiro à Græcis. Tu tamen videbis, si erit (quod nolim) accersendus, ne molesti simus inuito. Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio soluat: nec Egnatio voluntas deest: nec parum locuples est. sed, cum tale tempus sit, ut Q. Titinnius (multum enim est nobiscum) viaticum se neget habere, idemque debitoribus suis denuntiarit, ut eodem fœnore vterentur, atque hoc idem etiam L. Ligus fecisse dicatur, nec hoc tempore, aut domi numos Quintus habeat, aut exigere ab Egnatio, aut versuram vsquam facere possit: miratur te non habuisse rationem huius publicæ difficultatis. ego autem, etsi illud *ῥεῦσι σιόδειον* (ita enim putatur) obseruo, *μηδὲ δίκην*, præsertim in te, à quo nihil vnquã vidi temere fieri: tamen illius querela mouebat. hoc, quicquid est, te scire volui.

CICERO ATTICO S.

Nihil habeo quod ad te scribam. quin etiam eam epistolam, quam eram elucubratus, ad te non dedi: erat enim plena spei bonæ, quod & concionis voluntatem audieram, & illum conditionibus vsurum putabam, præsertim suis. Ecce tibi 1111. Non. Febr. mane accepi literas tuas, Philotimi, Furnii, Curionis ad Furnium, quibus irridet L. Cæsaris legationem. Planè oppressi videmur: nec, quid consilii capiam, scio: nec mehercule de me laboro: de pueris quid agam, non habeo. Capuam tamen proficiscebam hæc scribens, quo facilius de Pompeii rebus cognoscerem. Vale.

CICERO ATTICO S.

BREVILOQUENTEM iam me tempus ipsum facit: pacem enim desperavi. bellum nostri nullum administrant: caue enim putes quicquam esse minoris his Consulibus, quorum ego spe audiendi aliquid, & cognoscendi nostri apparatus, maximo imbri Capuam veni prid. Non. ut eram iussus. Illi autem nondum venerant, sed erant venturi, inanes, imparati. Cneus autem Luceriæ dicebatur esse, & adire cohortes legionum Actinarum non firmissimarum. At illum ruere nuntiant, & iam iamque adesse, non ut manum conferat (quicum enim?) sed ut fugam intercludat. Ego autem in Italia *καὶ σωμαποδοῦν*: nec te id consulo. sin extra, quid ago: ad manendum hyems, lictores, improvidi & negligentes duces: ad fugam hortatur amicitia Cnei, causa bonorum, turpitudine coniungendi cum tyranno. qui quidem, incertum est, Phalarimne an Pisistratum sit imitaturus. Hæc velim explices, & me iuues consilio: etsi te ipsum istic iam calere puto: sed tamen, quantum poteris. Ego siquid hinc hodie noui cognoro, scies: iam enim aderunt Consules ad suas Nonas. Tuas quotidie literas expectabo. Ad has autem, cum poteris, rescribes. Mulieres & Cicerones in Formiano reliqui. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE malis nostris tu prius audis, quàm nos: istinc enim emanant. boni autè hinc quod expectes, nihil est. Veni Capuam ad Non. Febr. ita ut iusserant Consules. eo die Lentulus venit sero. alter Consul omnino non venerat v11. Id. eo enim die ego Capua discessi, & mansi Calibus. inde has literas postridie ante lucem dedi. Hæc Capuæ dum fui, cognoui, nihil in Consulibus, nullum vsquã delectum: nec enim conquisitores *Φαινοδοῦν* audent, cum ille adsit contra, cum noster dux nusquam sit, nihil agat: nec nomina

dant: deficit enim non voluntas, sed spes. Cneus autem noster (ò rem miseram & incredibilem) ut totus iacet: non animus est, non consilium, non copia, non diligentia. Mitto illam fugam ab Vrbe turpissimam, timidissimas in oppidis cõciones, ignorationem non solum aduersarii, sed etiam suarum copiarum. Hoc cuiusmodi est? v. Id. Febr. Capuam C. Cassius Trib. pl. venit: attulit mandata ad Consules, ut Romam venirent, pecuniã de sanctiore arario auferrent, statim exirent Vrbe relicta. Redeant. quo præsidio: Deinde exeant. quis finat? Consul ei rescripsit, ut prius ipse in Picenum. at illud totum erat amissum: sciebat nemo, præter me ex literis Dolabellæ. mihi dubium nõ erat, quin ille iam iamque foret in Apulia, Cneus noster in nauis. ego quid agam? *σκεμμα* magnũ, neque mehercule mihi quidẽ ullum, nisi omnia essent acta turpissimẽ. Neque ego vilius consilii particeps: sed tamẽ quod me deceat. ipse me Cæsar ad pacem hortatur: sed antiquiores literæ, quàm ruere cœpit. Dolabella, Celius, me illivalde satiffacere. mira me *δυναμεια* torquet: iuua me consilio, si potes: & tamen ista, quantum potes, prouide. nihil habeo, tanta rerum perturbatione, quod scribam: tuas literas expecto. Vale.

CICERO ATTICO S.

PEDEM in Italia video nullum esse, qui nõ in istius potestate sit. De Pompeio scio nihil: eumque, nisi in nauim se contulerit, exceptum iri puto. ò celeritatem incredibilem! huius autẽ nostri. sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor & crucior. Tu cædem non sine causa times: non quominus quicquam Cæsari expediat ad diuturnitatẽ victoriæ & dominationis: sed video, quorum arbitrio sit acturus. rectè sit. censeo cedendum de oppidis his. ego consilii. quod optimum factu videbitur, facies. cum Philotimo loquere, atque adeo Terentiam habebis Idibus. ego quid agam? quã autẽ terra aut mari persequar eum, qui vbi sit, nescio: etsi terra quidẽ, qui possum? mari quo? tradam igitur isti me: fac posse tuto: multi enim hortantur: num etiam honestè: nullo modo quidem. A te petam consiliũ, ut soleo. explicari res non potest. sed tamen, siquid in mentem venit, velim scribas, & ipse quid sis acturus. Vale.

CICERO ATTICO S.

v. Id. Febr. vesperi è Philotimo literas accepi, Domitium exercitum firmum habere: cohortes ex Piceno, Lentulo & Thermo ducentibus, cum Domitii exercitu coniunctas esse: Cæsarem intercludi posse, eumque id timere: bonorum animos recreatos Romæ, improbos quasi percussos. hæc metuo quidem ne sint infomnia: sed tamen M. Lepidum, L. Torquatũ, C. Cassium Trib. pl. (ii enim sunt nobiscum, id est, in Formiano) Philotimi literæ ad vitam reuocarunt. ego autem illa metuo ne veriora sint, nos omnes penẽ iam captos esse, Pompeium Italia cedere. quem quidem (ò rem acerbam) persequi Cæsar dicitur. persequi Cæsar Pompeium? quid? ut interficiat? ò me miserum: & non omnes nostra corpora opponimus? in quo tu quoque ingemiscis. sed quid faciamus? victi, oppressi, capti planè sumus. Ego tamen Philotimi literis lectis mutauis consilium de mulieribus: quas ut scripseram ad te, Romam remittebam: sed mihi venit in mentem multum fore sermonem, me iudiciũ iam de causa publica fecisse: qua desperata, quasi hunc gradum mei reditus esse, quod mulieres reuertissent. De me autẽ ipso tibi assentior, ne me dem incertæ & periculosæ fugæ, cum Reip. nihil profim, nihil Pompeio, pro quo emori cum piẽ possum, tum libenter. manebo igitur: etsi viuere. Quod quæris, hinc quid agatur: tota Capua, & omnis hic delectus iacet: desperata res est: in fuga omnes sunt, nisi quid eiusmodi fuerit, ut Pompeius istas Domitii copias cum suis coniungat. sed videbamur omnia biduo, triduo scituri. Cæsaris literarum exemplum tibi misi: rogaras enim. cui nos valde satiffacere multi ad me scripserunt: quod patior faciliẽ, dum, ut adhuc, nihil faciam turpiter. Vale.

CICERO ATTICO S.

PHILOTIMI literæ me quidem non nimis, sed eos, qui in his locis erant, admodum delectarunt. Ecce postridie Cassii literæ Capua à Lucretio familiari eius, Nigidium à Do-

mitio Capuam venisse, eum dicere, Vibullium cum paucis militibus è Piceno currere ad Cneum, confestim sequi Cæsarem, Domitium non habere militum vim. Idem scripsit Consules Capua discessisse. non dubito quin Cneus in fuga sit, modò effugiat. à consilio fugiendi, ut tu censes, absũ. Vale.

CICERO ATTICO S.

c v m dedissem ad te literas tristeis, & metuo ne veras, de Lucretiũ ad Cassium literis Capua missis, Cephalio venit à vobis: attulit etiam à te literas hilariores, nec tamen firmas, ut soles. Omnia facilius credere possum, quàm quod scribitis, Põpeium exercitum habere. Nemo huc ita affert, omniaque, quæ nolim. Rem miseram. malas causas semper obtinuit, in optima concidit. Quid dicã, nisi illud eum scisse? neque enim erat difficile hoc nescisse: erat enim ars difficilis rectè Rempub. regere. sed iam iamque omnia sciemus, & scribemus ad te statim. Vale.

CICERO ATTICO S.

NON venit idem vsu mihi quod tu tibi scribis, Quoties exorior: Ego enim nunc paulum exorior, & maximè quidẽ his literis, quæ Roma afferuntur, de Domitio, de Picentiũ cohortibus. omnia erant facta hoc biduo lætiora. Itaque fuga, quæ parabatur, repressa est. Cæsaris interdicta, Si te secundo lumine hinc offendero, respuuntur. Bona de Domitio, præclara de Afranio fama est. Quod me amicissimè admones ut me integrum, quoad possum, seruem, gratum est. Quod addis, ne propensior ad turpem causam videar: certè videri possum. Ego me ducem in ciuili bello, quoad de pace ageretur, negavi esse: non quin rectum esset: sed quia, quod multò rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Planè eum, cui noster alterum Cõsulatam deferret, & triumphum, at quibus verbis pro suis gestis amplissimis, inimicum habere nolueram. Ego scio & quem metuum, & quam ob rem. sin erit bellum, ut video fore, partes meæ non desiderabuntur. De his. x x. Terentia tibi rescripsit. Dionysio, dum existimabam vagos nos fore, nolui molestus esse. tibi autem crebrò ad me scribenti de eius officio, nihil rescripsi, quod diem ex die expectabam, ut statuerem quid esset faciendum. nunc, ut video, pueri certè in Formiano videntur hyematuri: num & ego nescio: si enim erit bellum, cum Pompeio esse constitui. Quod habebis certi, faciam ut scias. Ego bellum foedissimum futurum puto, nisi qui (ut tu scis) Parthicus casus extiterit. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD T.

POMPONIVM ATTICVM LIBER VIII.

CICERO ATTICO S.



v m ad te literas dedissem, redditæ mihi literæ sunt à Pompeio. cætera de rebus in Piceno gestis, quæ ad te Vibullius scripserat, de delectu Domitii, quæ sunt nobis nota, nec tamen læta, erant in his literis. quam ad me Philotimus scripserat, ipsam tibi epistolam misissem, sed subito fratris puer proficiscebatur: cras igitur mittam. sed in ea Pompeii epistola erat in extremo ipsius manu, Tu censeo Luceriam venias: nusquam eris tutius. Id ego in eam partem accepi, hæc oppida atque oram maritimã illum pro derelicto habere: nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris nõ parcere. ei statim rescripsi, hominẽque certum misi de comitibus meis, non me quære, vbi tutissimè essem: si me vellet sua, aut Reipub. causa Luceriam venire, statim esse venturum: hortatusque sum, ut oram maritimam retineret, si rem frumentariam sibi ex prouinciis suppeditari vellet. Hæc me frustra scribere videbam: sed uti in Vrbe retinenda tunc, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam: sic enim parari video, ut Luceriam omnes copias contrahatur: & ne is quidem locus sta-

bilis, sed ex eo ipso, si vrgeamur, paretur fuga. quo minus mirere, si inuitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quaesita sit vnquam: semper flagitiosæ & calamitosæ fugæ. eundem, vt quencunque fors tulerit casum, subeam potius cum iis qui dicuntur esse boni, quàm videar à bonis dissentire. Etsi propediem video bonorum, id est lautorum & locupletum, Urbem refertam fore: municipiis verò his relietis refertissimam. Quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos non haberem: nec me M. Lepidi, L. Volcatii, Ser. Sulpitii comitū pœniteret: quorum nemo nec stultior est, quàm L. Domitius, nec inconstantior, quàm App. Claudius. vnus Pompeius me mouet, beneficio, nō autoritate. quam enim ille habeat auctoritatem in hac causa, qui, cum omnes Cæsarem metuebamus, ipse eum diligebat: postquam verò ipse metuere cœpit, putat omnes hostes illi oportere esse. ibimus tamē Luceriam: nec eum fortasse delectabit noster aduentus: dissimulare enim non potero, mihi, quæ adhuc acta sunt, displicere. Ego, si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtūderem. tu, si tibi eadem causa est, me remunerere sanè velim. Vale.

CICERO ATTICO S.

M I H I verò omnia grata: & quòd scripsisti ad me quæ audieras: & quòd non credidisti, quæ digna diligentia mea nō essent: & quòd monuisti quod sentiebas. Ego ad Cæsarem vnas Capua literas dedi, quibus ad ea rescripsi quæ mecum ille de gladiatoribus suis egerat, breueis, sed beneuolentiam significantes, non modò sine contumelia, sed etiam cum maxima laude Pompeii. id enim illa sententia postulabat, qua illum ad concordiam hortabar. eas siquò ille misit, in publico proponat velim. alteras eodem die dedi, quo has ad te: non potui non dare, cum & ipse ad me scripsisset, & Balbus: earum exemplum ad te misi, nihil arbitror fore quod reprehēdas. siqua erunt, doce me: quomodo enim effugere possum? Nihil, inquires, omnino scripseris. quī magis effugias eos, qui volent fingere: veruntamen ita faciam, quoad fieri poterit. Nam quòd me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum: facis amicè tu quidem, mihi que gratissimum: sed mihi videris aliud tu honestum, meque dignum in hac causa iudicare, atque ego existimem: mihi enim nihil vlla in gente vnquam ab vllō auctore Reipub. ac duce turpius factum esse videtur, quàm à nostro amico factum est. cuius ego vicem doleo, qui Urbem reliquit, id est patriam, pro qua, & in qua mori præclarum fuit. ignorare mihi videris, hæc quanta sit clades: es enim etiam nunc domi tuæ: sed inuitis perditissimis hominibus esse diutius non potes. Hoc miserius, hoc turpius quicquam: vagamur egentes cum coniugibus & liberis. in vnus hominis quotannis periculose ægrotantis anima positas omnes nostras spes habemus, non expulsi, sed euocati è patria: quam non seruandam ad reditum nostrum, sed diripiendam & inflāmandam reliquimus. Ita multi nobiscum sunt non in suburbanis, non in hortis, non in ipsa Vrbe: & si nunc sunt, non erunt: nos interea ne Capuæ quidem, sed Luceriæ, & orā quidem maritimā iam relinquemus. Afranium expectabimus, & Petreium: nam in Labieno parū est dignitatis. hic tu in me illud desideras. nihil de me dico: alii viderint. hic quidē quæ est domi vestræ estis, & eritis omnes boni. quis tum se mihi non ostēdit? quis nūc adest hoc bello? sic enim iam appellandū est. Vibullii res gestæ sunt adhuc maximæ. id ex Pompeii literis cognosces: in quibus animaduertito illum locum, vbi erit *δραμ*. videbis de Cneo nostro ipse Vibullius quid existimet. Quò igitur hæc spectat oratio? ego pro Pompeio libenter emori possum. facio pluris omnium hominum neminem. sed non ita non meo iudicio spem de salute Reipub. significas enim aliquā: tō secus, quàm solebas: vt etiam, Italia si ille cedat, putes cedendum: quod ego nec Reipub. puto esse vtile, nec liberis meis: præterea neque rectū, neque honestum. Sed cur poterisne videre tyrannum? quasi intersit, audiam, an videam: aut locupletior mihi sit quærendus auctor, quàm Socrates: qui cum triginta tyrāni essent, pedem porta non extulit. Est mihi præterea præcipua causa manēdi, de qua vtinā aliquando tecum loquar.

Ego xiiii. Calend. cum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam, Formiis ad Pompeium, si de pace ageretur, profecturus eram: si de bello, videro. Vale.

CICERO ATTICO S.

M A X I M I S & miserimis rebus perturbatus, cum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, vti tamen tuo consilio volui. Deliberatio autem omnis hæc est, si Pompeius Italia cedat (quod eum facturum esse suspicor) quid mihi agendum putes: & quo facilius consilium dare possis, quid in vtranque partem mihi in mentem veniat, explicabo breui. Cum merita Pompeii summa erga salutem meam, familiaritasque, quæ mihi cum eo est, tum ipsa Reipub. causa me adducit, vt mihi vel consilium meum cum illius consilio vel fortuna coniungenda esse videatur. accedit illud: si maneo, & illum comitatum optimorum & clarissimorum ciuium desero, cadendum est in vnus potestatem. qui etsi multis rebus significat se nobis esse amicum, & vt esset, à me est (tute scis) propter suspicionem huius impendentis tempestatis multò antè prouisum: tamen vtrumque considerandum est, & quanta ei fides sit habenda: & si maximè exploratum sit, eum nobis amicum fore, sitne viri fortis & boni ciuis esse in ea vrbe, in qua cum summis honoribus, imperiisque vsus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo præditus, non futurus sit sui iuris, subeundūque periculum sit cum aliquo fortè dedecore, si quando Pompeius Rempub. recuperarit. In hac parte hæc sunt: vide nunc, quæ sint in altera. Nihil actum est à Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter: adde etiam, nihil, nisi contra cōsiliū, auctoritatēque meā. omitto illa vetera, quòd istum in Rempub. ille aluit, auxit, armauit: ille legibus per vim, & contra auspicia ferendis auctor: ille Galliæ vltioris adiunctor: ille gener: ille in adoptando P. Clodio Augur: ille restituendi mei, quàm retinendi studiosior: ille prouinciæ propagator: ille absentis in omnibus adiutor: idem etiam tertio Cōsularu, postquam esse defensor Reipub. cœpit, contendit, vt decem Tribuni pl. ferrent, vt absentis ratio haberetur. quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcōque Marcello c. o. s. finienti prouincias Gallias Calend. Martii, restitit. Sed vt hæc omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab Vrbe discessu, siue potius turpissima fuga: quæ conditio non accipienda fuit potius, quàm relinquenda patria? Malæ conditiones erant: fateor. sed nunquid hoc peius? At recuperabit Rempub. quando? aut quid ad eam spem est parati? non ager Picenus amissus: non patefactum iter ad Urbem: non pecunia omnis & publica & priuata aduersario tradita: denique nulla causa, nullæ vires, nulla sedes, quò concurrat qui Rempub. defensam velint. Apulia delecta est inanissima pars Italiæ, & ab impetu huius belli remotissima. fuga & maritima opportunitas visa quæri desperatione. Inuitè cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, sed sine causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus priuatorum dolor: bonorum autem esset aliquis, sed hebes, vt solet, & vt ipse sensissem, multitudo, & infimus quisque propensus in alteram partem: multi mutationis rerum cupidi. Dixi ipsi me nihil suscepturum sine præsidio & sine pecunia. Itaque habui nihil omnino negotii, quod ab initio vidi, nihil quæri præter fugam. cum si nūc sequor, quoniam? cum illo non. ad quem cum essem profecturus, cognoui in his locis esse Cæsarem, vt tutò Luceriam venire non possem. Infero mari nobis incerto cursu, hyeme maxima nauigandum est. Age iam, cum fratre, an sine? cum filio, an quomodo? in vtraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. qui autem impetus illius erit in nos absentes, fortunæque nostras: acrior, quàm in cæterorum, quòd putabit fortasse in nobis violandis aliquid se habere populare. Age iam, has compedes, fasces inquam hos laureatos efferre ex Italia quàm molestum est? qui autem locus erit nobis tutus, vt iam placatis vtamur fluctibus, antè quàm ad illum venerimus? quæ autem, aut quò, nihil scimus. at si restitero, & fuerit nobis in hac parte locus, idem fecero, quod in Cinnæ dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mutius, quoquomodo ea res huic quidem cecidit,

qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est: sed hoc malle, quam armatum ad patriæ mœnia accedere. aliter Thrasibulus, & fortasse melius: sed est cetera quædam illa Mutii ratio atque sententia, est illa etiam Philippi: & cum sit necesse, feruere tempori: & non amittere tempus, cum sit datum. sed in hoc ipso habent tamen iidam fascis molestiam. sit enim nobis amicus, quod incertum est: sed sit, deferet triumphum. non accipere ne periculosum sit, an accipere inuidiosum ad bonos? O rem, inquis, difficilem & inexplicabilem. Atqui explicanda est: quæ enim fieri potest? ac ne me existimaris ad manendum esse propensorem, quod plura in ea parte verba fecerim: potest fieri, quod sit in multis quæstionibus, ut res verbosior hæc fuerit, illa vereor. Quæ ob rem ut maxima de re æquo animo deliberati, ita mihi des consilium velim. nauis & in Caieta est parata nobis, & Brundusii. Sed ecce nuntii, scribente me hæc ipsa noctu in Caleno, ecce literæ, Cæsarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu, & pugnare cupiente. non puto etiam hoc Cneum nostrum commissurum, ut Domitium relinquat: etsi Brundusium Scipionem cum cohortibus duabus præmiserat, legionem à Fausto conscriptam, in Siciliam sibi placere à Consule duci, scripserat ad Consules. sed turpe Domitium erit deferere implorantem eius auxilium. Est quædam spes mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pireneo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus: summum autem, Afranium cum magnis copiis aduentare. id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego autem, cum esset incertum iter Cæsaris, quod vel ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeiū misi, & literas: ipse, ne quod inciderem, reuerti Formias. Hæc te scire volui, scripsique sedatiore animo, quam proximè scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum. Vale.

CICERO ATTICO S.

DIONYSIUS quidem tuus potius, quam noster, cuius ego cum satis cognossem mores, tuo tamen potius stabam iudicio, quam meo, ne tuum quidem testimonium, quod ei sæpe apud me dederas, veritus, superbum se præbuit in fortuna, quæ putauit nostram fore: cuius fortunæ nos, quantum humano consilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus. cui qui noster honos, quod obsequium, quæ etiam ad cæteros contempti cuiusdam hominis commendatio defuit: ut meum iudicium reprehendi à Quinto fratre, vulgòque ab omnibus malle, quam illū non efferre laudibus, Ciceronisque nostros meo potius labore subdoceri, quam me alium iis magistrū quærere. Ad quem ego quas literas dii immortales miseram? quantum honoris significantes? quantum amoris? Dicæarchum mehercule, aut Aristoxenum diceres accersi, nō vnum omnium loquacissimum, & minimè aptum ad docendum. sed est memoria bona: me dicet esse meliore. quibus literis ita respondit, ut ego nemini, cuius causam non reciperem. semper enim, si potero, si antè suscepta causa non impediatur. nunquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi, quam hic mihi: planè sine vlla exceptione præcidit. nihil cognoui ingratius. in quo vitio nihil mali nō inest: sed de hoc nimis multa. Ego nauem parauit: tuas literas tamen expecto, ut sciam quid respondeant consultationi meæ. Sulmone C. Attium Pelignum aperuisse Antonio portas, cum essent cohortes quinque: Q. Lucretium inde effugisse scis: Cneum ire Brundusium desertum. confecta res est. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM ante lucem VIII. Calend. ad te literas dedissem, vesperi ad nos eodē die venit ipse Dionysius autoritate tua permotus, ut suspicor. quid enim putem aliud: etsi solet eū, cum aliquid furiose fecit, pœnitere: nūquā autē certior fuit, quam in hoc negotio: nā quod ad te non scripseram, postea audiui, à tertio miliario tum eum ille *πολλὰ μὲν* *ΚΑΡΕΠΕΚΙΝΕΧΕ* *ῥαθυμῶν δὲ* multa in quā mala cū dixisset, suo capiti (ut aiūt) sed meam mansuetudinem. Conieceram in fasciculum vnā cum tua venientem ad il-

lum epistolam: hanc ad me referri volo, nec vllam ob aliam causam Pollicem seruum à pedibus meum Romam misi. eò autem ad te scripsi, ut si tibi fortè reddita esset, mihi curares referendam, ne in illius manus perueniret. Noui liquid esset, scripsissem. pen deo animi expectatione Corfiniensis, in qua de salute Reipub. decernitur. Tu fasciculum, qui est M. Curio inscriptus, velim cures ad eum perferendum: Tironemque Curio commendes, ut ei, ut petii, liquid opus erit, in sumptum erogat. Vale.

CICERO ATTICO S.

OBSIGNATA iam epistola, quam de nocte daturus eram, sicut dedi (nam eam vesperi scripseram) C. Sotius Præt. in Formianum venit ad M. Lepidū vicinum nostrum, cuius Quæstor fuit: Pompeii literarum ad Consulem exemplum attulit. Literæ mihi à L. Domitio ad VIII. Calend. Martii allatæ sunt: earum exemplū infra scripsi. nunc, ut ego non sciebam sua sponte intelligere, scio quanti Reipub. interfit omneis copias in vnum locum primo quoque tempore conuenire. sed tu, si tibi videbitur, dabis operam, quam primū ad nos venias. præsidii Capuæ, quantum constitueris esse satis, relinquo. Vale. Deinde supposuit exemplum epistolæ Domitii, quod ego ad te pridie miseram. Diu immortales, qui me horror perfudit: quā sum sollicitus, quid nā futurum sit. hoc tamen spero, magnum nomen imperatoris fore, magnum in aduētū terrorem: spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil mutasse, nec regentia hoc, quod cum fortiter & diligenter, tum etiam mehercule: modò enim audiui quartanam à te discessisse. moriar, si magis gauderē, si id mihi accidisset. Piliæ dic, non esse æquum, eam diutius habere, nec id esse vestræ concordia. Tironem nostrum ab altera relictum audio. Sed eum video in sumptum ab aliis mutuatum. ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram. malo Tironis verecundiam in culpa esse, quam illiberalitatem Curii. Vale.

CICERO ATTICO S.

VNUM etiam restat amico nostro ad omne dedecus, ut Domitio non subueniat. at nemo dubitat quin subsidio venturus sit: ego non puto. deseret igitur talem ciuem, & eos, quos vnā scis esse, cum habeat præsertim & ipse cohortes xxx? nisi me omnia fallunt, deseret. incredibiliter pertimuit. nihil spectat, nisi fugam: cui tu (video enim quid sentias) me comitem putas debere esse. Ego verò quem fugiam habeo: quem sequar, non habeo: quod enim tu meum laudas, & memorandum dicis, malle quod dixerim me cum Pompeio vinci, quam cum istis vincere: ego verò malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse videbatur: cum hoc verò, qui antè fugit, quam scit aut quem fugiat, aut quò, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit: si malui, contigit, victus sum. quod superest, nec ista videre possum, quæ nunquam timui ne viderem: nec mehercule istum, propter quem mihi non modò meis, sed memetipso carendum est. Ad Philotimum scripsi de viatico, siue à Moneta, nemo enim soluit: siue ab Oppiis tuis contubernalibus. cætera apposita tibi mandabo. Vale.

CICERO ATTICO S.

O REM turpem, & ea re miseram: sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. aluerat Cæsarem: eundem repente timere cœperat: conditionem pacis nullam probarat: nihil ad bellum pararat: Urbem reliquerat: Picenum amiserat culpa: in Apuliam se compegerat: ibat in Græciam: omnes nos ἀπεροσφωθή-
της, expertes sui tanti, tam inusitati consilii relinquebat. Ecce subito literæ Domitii ad illum, ipsius ad Consules. fulsisse mihi videbatur *ὄρα* ad oculos eius, & exclamasse ille vir, qui esse debuit, *πρὸς ταῦθ' ὄν γεγῆσθαι, καὶ παραμύθων, καὶ πᾶν ἐπὶ ἐμοί, καὶ τεκταινέσθων. ὄρα γὰρ ὅτι, μετ' ἐμῶν.* at ille, *πολλὰ χάρην τῷ καλῶ* dicens, pergit Brundusium. Domitium autem aiunt re audita, & eos qui vnā essent, se tradidisse. O rem lugubrem. itaque intercludor dolore, quo ad te plura non scribam. tuas literas expecto. Vale.

CICERO ATTICO S.

EPISTOLAM meam quòd peruulgatam scribis esse, non fero molestè: quinetiam ipse multis dedi describendam: ea enim & acciderunt iam, & impendent, vt testatum esse velim, de pace quid senserim. cum autem ad eam hortarer, eum præsertim hominem, non videbar vllò modo facilius moturus, quàm si id, ad quod eum hortarer, conuenire eius sapientiæ dicerem. eam si admirabilem dixi, cum eum ad salutem patriæ hortabar, non sum veritus, ne viderer assentari, cui tali in re libenter me ad pedes abiecissem. Quà autem est, Aliquid impertias temporis: non est de pace, sed de meipso, & de meo officio, vt aliquid cogitet. nam quod testificor, me expertem belli fuisse, etsi id re perspectum est, tamen eo scripsi, quo in suadendo plus autoritatis haberè: eodemque pertinet, quòd causam eius probo. Sed quid hæc nunc? vtinam aliquid profectum esset: nã ego istas literas in concione recitari velim: siquidem ille ipse ad eundem scribens in publico proposuit epistolam illam in qua est, Pro tuis rebus gestis amplissimis: amplioribusne, quàm suis, quàm Africanis: ita tempus ferebat: siquidem etiam vos duo tales ad quintum miliarium. quid nunc ipsum vnde se recipienti, quid ageri, quid acturo? quantò autem ferocius ille causæ suæ confidet, cum vos, cum vestri similes non modò frequentes, sed læto vultu gratulantes viderit? num igitur peccamus? minimè vos quidem: sed tamen signa conturbantur, quibus voluntas à simulatione distingui possit. quæ verò s. c. video: sed apertius, quàm proposueram. Ego Arpini volo esse prid. Calend. deinde circum villulas nostras errare, quas visurum me postea desperavi.

Euryem tua consilia, & tamen pro temporibus non incauta, mihi valde probantur. Lepido quidem (nam ferè συνδινεῖσθαι, quod gratissimum illi est) nunquam placuit ex Italia exire, Tullo multò minus: crebrò enim illius literæ ab aliis ad nos comitant: sed me illorum sententiæ minus mouebant, minus multa dederant illi Reipub. pignora. tua mehercule autoritas vehementer mouet: affert enim & reliqui temporis recuperandi rationem, & præsentis tuendi. Sed obsecro te, quid hoc miserius, quàm alterum plaufus in fœdissima causa quærere, alterum offensiones in optima? alterum existimari conseruatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum? & mehercule quauis amemus Cneum nostrum, vt facimus, & debemus: tamen hoc, quòd talibus viris non subuenit, laudare non possum: nam siue timuit, quid ignauius? siue, vt quidam putant, meliorem suam causam illorum cæde fore putauit, quid iniustus? sed hæc omittamus: augemus enim dolorem retractando. v. i. Calend. vesperi Balbus minor ad me venit, occulta via currens ad Lentulum c. o. s. missu Cæsaris, cum literis, cum mandatis, cum promissione prouinciæ, Romam vt redeat. cui persuaderi posse non arbitror, nisi erit conuertus. idem agebat, nihil malle Cæsarem, quàm vt Pompeium assequeretur. id credo: vt rediret in gratiam, id non credo: & metuo ne omnis hæc clementia ad vnam illam crudelitatem colligatur. Balbus quidem maior ad me scribit, nihil malle Cæsarem, quàm principe Pompeio sine metu viuere. tu puto hæc credis? Sed cum hæc scriberem v. Calend. Pompeius iam Brundisium poterat venisse: expeditus enim antecesserat legiones Luceria. sed hoc τρέφας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est. Planè, quid futurum sit, nescio. Vale.

CICERO ATTICO S.

DIONYSIVS cum ad me præter opinionem meam venisset, locutus sum cum eo liberalissimè: tempora exposui: rogavi vt diceret quid haberet in animo: me nihil ab ipso inuitò contendere. respondit, se, quod in numis haberet, nescire quo loci esset: alios non soluere: aliorum diem nõdum esse. dixit etiam alia quædam de seruulis suis, quare nobiscum esse nõdum possit. morè gessi: dimisi à me vt magistrum Ciceronũ, non libenter: vt hominẽ ingratum, non inuitus. Voui te scire, quid ego de eius facto iudicarem. Vale.

CICERO ATTICO S.

Quòd me magno animi motu perturbatũ putas, sum equidẽ. sed non tam magno, 26

quàm tibi fortasse videor: leuatur enim omnis cura, cum aut consistit consiliũ, aut cogitando nihil explicatur. lamentari autẽ licet: illud tamen totos dies. sed vereor ne, nihil cum proficiam, etiam dedecori sim studiis ac literis nostris. Consumo igitur omne tẽpus, considerans quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter (vt tibi quidem videmur) expressimus. tenesne igitur, moderatorem illum Reip. quòd referre velimus omnia? nam sic quinto, vt opinor, in libro loquitur Scipio. vt enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria: sic huic moderatori Reipub. beata ciuium vita proposita est, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit: huius enim operis maximi inter homines, atque optimi illum esse effectorem volo. 27 Hoc Cneus noster cum antea nunquam, tum in hac causa minimè cogitauit. dominatio quæ sita ab vtroque est: non id actũ beata & honesta ciuitas vt esset. nec verò ille Urbẽ reliquit, quòd eã tueri non posset: nec Italiam, quòd ea pelleretur: sed hoc à primo cogitauit, omneis terras, omnia maria mouere, Reges barbaros incitare, gẽtes feras armatas in Italiã adducere, exercitus cõficere maximos. Genus illud Sullani regni iã pridem appetitur, multis, qui vna sunt, cupiẽtibus. An censes, nihil inter eos cõuenire? nullam pactionem fieri potuisse? hodie potest. sed neutri σκοπὸς est ille, vt nos beati simus. vterque regnare vult. Hæc à te inuitatus breuiter exposui: voluisti enim me, quid de his malis sentire, ostendere. περὶ τῆς αἰτίας igitur noster Attice, non ariolans, vt illa, cui nemo credidit, sed cõiectura prospiciens, Iamque mari magno. non multò in quã secus 28 possum vaticinari: tãta malorũ impendet ἰλιὰς. Atque hoc nostra grauior est causa, qui domi sumus, quàm illorũ, vna qui transierunt: quòd illi quidẽ alterũ metuunt, nos vtrũque. Cur igitur, inquis, remansimus? Vel tibi paruimus, vel non occurrimus, vel hoc fuit rectius. conculcari in quã miseram Italiam videbis proxima æstate ab vtriusque mancipiis ex omni genere collectis. nec tam proscriptio pertimescenda, quæ Luceriæ multis sermonibus denuntiata est, quàm vniuersæ interitus: tantas in configẽdo vtriusque vires video futuras. Habes coniecturã meam. tu autem consolationis fortasse aliquid expectasti: nihil inuenio: nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil fœdus. Quòd quæris, quid Cæsar ad me scripserit: quod sæpe, gratissimũ sibi esse, quòd quierim: oratque, in eo vt perseuerem. Balbus minor hæc eadem mandata. iter autem eius erat ad 29 Lentulum c. o. s. cum literis Cæsaris, præmiorũque promissis, si Romã reuertisset. verum cum habeo rationem dierum, antè puto transmissurum, quàm potuerit cõueniri.

Epistolarum Pompeii duarum, quas ad me misit, negligentiam, meamque in rescribendo diligẽtiam volui tibi notam esse. earum exẽpla ad te misi. Cæsaris hic per Apuliam ad Brundisium cursus quid efficiat, expecto: vtinam aliquid simile Parthiis rebus. simul aliquid audiero, scribam ad te. tu ad me velim bonorum sermones. Romæ frequentes esse dicuntur. scio equidem te in publicum non prodire: sed tamen audire te multa necesse est. Memini tibi librum afferri, à Demetrio Magnete ad te missum, περὶ ὁμοιότητος. eum mihi velim mittas. vides quam causam mediter. Vale.

CN. POMPEIUS PROCOS. M. CICERONI IMP. S.

30 Q. FABIVS ad me venit ad IIII. Id. Febr. is nuntiat L. Domitium cum suis cohortibus XI, & cohortibus XIII, quas Vibullius adduxit, ad me iter habere: habuisse in animo proficisci Corfinio, & ad v. Id. Febr. C. Hirrum cum v. cohortibus subsequi. Censeo ad nos Luceriam venias: nam te hĩc tutissimè puto fore. Vale.

CICERO CN. POMPEIO PROCOS. S.

AD XV. Cal. Mart. Formiis accepi tuas literas, ex quibus ea, quæ in agro Piceno gesta erant, cognoui commodiora esse multò, quàm vt erat nobis nũtium: Vibullique virtutem, industriamque libenter agnouit. Nos adhuc in ea ora, vbi præpositi sumus, ita fuimus, vt nauem paratam haberemus: ea enim audiebamus, & eaverebamur, vt quodcunque tu consiliũ præcepisses, id nobis persequendum putaremus. Nunc, quoniam autoritate & consilio tuo in spe firmiore sumus, si teneri posse putas Tarracinam,

& oram maritimā, in ea manebo: et si praesidia in oppidis nulla sunt: nemo enim nostri ordinis in his locis est, praeter M. Eppium, quem ego Minturnis esse volui, vigilantem hominem & industrium. L. Torquatum, virum fortem, & cum auctoritate, Formias non habemus: ad te profectum arbitramur. ego omnino, ut proximè tibi placuerat, Capuam veni eo ipso die, quo tu Theano Sidicino es profectus: volueras enim me cum M. Confidio Propraet. illa negotia tueri. Cùm eò venissem, vidi T. Ampium delectum habere diligentissimè, ab eo accipere Libonem summa item diligentia, & in illa colonia auctoritate. Fui Capuam, quoad c o s s. iterum, ut erat dictum, à c o s s. veni Capuam ad Non. Febr. cùm fuisset triduum, recepi me Formias. Nunc quod tuum consilium, aut quæ ratio belli sit, ignoro: si tenèdam hanc oram putas, quæ opportunitatem & dignitatem habet, & egregios ciues, & ut arbitror, teneri potest, opus est esse, qui praesit. sin omnia in vnum locum contrahenda sunt: non dubito quin ad te statim veniam: quo mihi nihil optatius est: idque tecum, quo die ab Vrbe discessimus, locutus sum. Ego, sicui adhuc videor segnior fuisse, dum ne tibi videar, non laboro. & tamen, si, ut video, bellum gerendum est, cōfido me omnibus facillè satisfacturum. M. Tullium meum necessarium ad te misi, cui tu, si tibi videretur, ad me literas dares. Vale.

CN. POMPEIUS PROCOS. M. CICERONI IMP. S.

T V A S literas libenter legi: recognoui enim tuam pristinam virtutem etiam in salute communi. Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, venerunt. magnopere te hortor pro tuo singulari, perpetuoque studio in Rempub. ut te ad nos conferas, ut communi consilio Reipub. afflictae opem atque auxilium feramus. Censeo via Appia iter facias, & celeriter Brundisium venias. Cura ut valeas.

M. CICERO CN. POMPEIO PROCOS. S.

C V M ad te literas misissem, quæ tibi Canusii redditæ sunt, suspicionem nullam habebam, te Reip. causa mare transiturum, erantque in spe magna, fore, ut in Italia possemus aut concordiam constituere, qua mihi nihil utilius videbatur, aut Remp. summa cum dignitate defendere: interim nondum meis literis ad te perlatis, ex iis mādatis, quæ Dialio ad Cōsules dederas, certior tui consilii factus, nō expectavi dum mihi à te literæ redderentur, confestimque cum Quinto fratre, & cum liberis nostris iter ad te in Apuliam facere cœpi. Cùm Theanum Sidicinum venissem, C. Messius familiaris tuus mihi dixit, alique complures, Cæsarem iter habere Capuam, & eo ipso die mansurum esse Efer-
 34 niam: sanè sum commotus: quod, si ita esset, non modo iter meum interclusum, sed me ipsum planè exceptum putabam. itaque tum Cales processi, ut ibi potissimum consisterem, dum certum nobis ab Efernia de eo, quod audieram, referretur. At mihi, cùm Calibus essem, affertur literarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum c o s s. misisses. hæ sic scriptæ erant, literas tibi à L. Domitio ad x i i i. Cal. Mart. allatas esse, earumque exemplum subscripseras: magnique interesse Reip. scripseras, omneis copias primo quoque tempore in vnum locum conuenire, & ut, praesidii quod satis esset, Capuam relinqueres. His ergo literis lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copiis ad Corfinium esse venturum: quò mihi, cùm Cæsar ad oppidum castra haberet, tutum iter esse non arbitrabar. Cùm res in summa expectatione esset, vtrunque simul audimus, & quæ Corfinii acta essent, & te iter Brundisium facere cœpisse. Cùmque nec
 35 mihi, nec fratri meo dubium esset, quin Brundisium contenderemus, à multis, qui è Samnio, Apuliaque veniebant, admoniti sumus ut caueremus ne exciperemur à Cæsare, quòd is in eadem loca quæ nos petebamus, profectus, celerius etiā, quàm nos possemus, eò quò intenderat, venturus esset. quod cùm ita esset, nec mihi, nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, ut temeritas nostra non solum nobis, sed etiā Reip. noceret: cùm praesertim non dubitarem quin, si etiā tutum nobis iter fuisset, te tamen iam cōsequi non possemus. interim accepimus tuas literas, Canusio ad x. Calend. Martii datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brundisium veniamus. quas cùm

accepissemus ad i i i. Calend. Mart. non dubitabamus, quin tu iam Brundisium peruenissemus: nobisque iter illud omnino interclusum videbatur, neque minus nos esse captos, quàm qui Corfinium venissent: neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidissent, sed eos nihilo minus, qui regionibus exclusi, intra praesidia atque intra arma aliena venissent. quod cùm ita sit, maximè velle primum tecum ferper fuisse: quod quidem tibi ostēderam, cùm à me Capuam reiciebam: quòd feci non vitandi oneris causa, sed quòd videbam teneri illam urbem sine exercitu non posse: accidere autem mihi nolebam, quòd doleo viris fortissimis accidisse. quoniam autem, tecum ut essem, non contigit, vtinam tui consilii certior factus essem: nam suspitione assequi non potui, quòd omnia prius arbitratus sum fore, quàm ut hæc Reipub. causa in Italia non posset duce te consistere. Neque verò nunc consilium tuum reprehendo, sed
 37 fortunam Reip. lugeo. nec, si ego, quid tu sis fecutus, non perspicio, iccirco minus existimo, te nihil, nisi summa ratione, fecisse. Mea quæ semper fuerit sententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, deinde de Vrbe (nam de Italia quidem nihil mihi vnquam ostenderas) meminisse te arbitror. sed mihi non sumo, ut meum consilium valere debuerit: secutus sum tuum, neque id Reipub. causa, de qua desperavi, quæ & nunc afflicta est, nec excitari sine ciuili perniciosissimo bello potest: sed te quærebam: tecum esse cupiebam: neque eius rei facultatem, si qua erit, praetermittam. Ego me in hac omni causa facillè intelligebam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere: primum enim præ me tui, me nihil malle, quàm pacem: non quin eadem timerem, quæ illi: sed ea bello ciuili leuiora ducebam. Inde suscepto bello, cùm pacis conditiones ad te afferri, à teque ad ea honorificè & largè responderi viderem: duxi meam rationem, quam tibi
 38 facillè me probaturum pro tuo in me beneficio arbitrabar. Memineram me esse vnum, qui pro meis maximis in Rempub. meritis supplicia miserrima & crudelissima pertulisset: me esse vnum, qui si offendissem eius animum, cui tum, cùm iam in armis essemus, Consulatus tamen alter & triumphus amplissimus deferebatur, subiicerer eisdem præliis, ut mea persona semper ad improborum ciuium impetus aliquid videretur habere populare. Atque hæc non ego prius sum suspicatus, quàm mihi palam denunciata sunt: neque ea tam pertimui, si subeunda essent, quàm declinanda putavi, si honestè vitare possem. Quoniam breuem illius temporis, dum in spe pax fuit, rationem nostram vides: reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus non satisfacio, facillè respōdeo: neque enim ego amicior C. Cæsari vnquam fui, quàm illi: neque illi amiciores Reip. quàm ego. Hoc inter me & illos interest, quòd cùm & illi ciues optimi sint, & ego ab ista
 39 laude non absim, ego conditionibus, quòd idem te intellexeram velle: illi armis disceptari maluerunt. quæ quoniam ratio vicit, perficiam profectò, ut neque Respub. ciuis à me animum, neque tu amici desideres. Vale.

CICERO ATTICO S.

M I H I molestior lippitudo erat etiam, quàm antè fuerat: dictare tamen hanc epistolam malui, quàm Gallo Fabio amantissimo vtriusque nostrum nihil ad te literarum dare: nam pridie quidè, quoquomodo potueram, scripseram ipse eas literas, quarum vaticinationem falsam esse cupio. Huius autem epistolæ non solum ea causa est, ut nequis à me dies intermittatur quin dem ad te literas, sed etiam hæc iustior, ut à te impetrem, ut sumeres aliquid temporis, quo quia tibi perexiguo opus est, explicari mihi tuum
 40 consilium planè volo, ut penitus intelligam. Omnia sunt integra nobis. nihil praetermissum est, quòd non habeat sapientem excusationem, non modò probabilem: nam certè neque tum peccaui, cùm imparatam Capuam, non solum ignauia delectus, sed etiam perfidia suspicionem fugiens, accipere nolui: neque, cùm post conditiones pacis per L. Cæsarem & Fabium allatas caui ne animum eius offenderem, cui Pompeius iam armatus armato Consulatum, triumphumque deferret. Nec verò hæc extrema quiscquam potest iure reprehendere, quòd mare non trāsierim: id enim, etsi erat deliberatio-

nis, tamen obire non potui; neque enim suspicari debui, præsertim cum ex ipsius Pompei literis, idem quod video te existimasse, non dubitarim, quin is Domitio subuerturus esset. Et planè, quid rectum, & quid faciendū mihi esset, diutius cogitare malui. Primum igitur, hæc qualia tibi esse videatur, etsi sæpius significata sunt à te, tamè accuratius mihi perscribas velim: deinde aliquid etiam in posterum prospicias, singulæque quem me esse deceat, & ubi me plurimum prodesse Reipub. sentias: ecquæ pacifica persona desideretur: an in bellatore, sint omnia. Atque ego, qui omnia officio metior, recordor tamen tua consilia: quibus si paruissim, tristitiam illorum temporum non subiissem, memini quid mihi tum suaseris per Theophanem, per Culeonem: idque sæpe ingemiscens sum recordatus. quare nunc salte ad illos calculos reuertamur, quos tum abiicimus, ut non solum gloriosis consiliis utamur, sed etiam paulò salubribus. sed nihil præscribo. accurate velim, perscribas tuam ad me sententiam. volo etiã exquiras quam diligentissimè poteris (habebis autem per quos possis) quid Lentulus noster, quid Domitius agat, quid acturus sit: quemadmodum nunc se gerant, num quem accusent, num cui succenseat: quid dico, num cuius num Pompeio. omnino culpam omnem Pompeius in Domitium confert: quod ipsius literis cognosci potest, quarum exemplum ad te mitto. Hæc igitur videbis: & quod ad te antè scripsi, Demetrii Magnetis librum, quem ad te misit, de concordia, velim mihi mittas. Vale.

CN. MAGNVS M. MARCELLO, L. LENTVLO COSS. S. D.

Ego, quod existimabam dispersos nos neque Reip. utiles, neque nobis præsidio esse posse, iccirco ad L. Domitiū literas misi, primum uti ipse cum omni copia ad nos veniret: si de se dubitaret ut cohortes XI, quæ ex Piceno ad me iter habebat, ad nos mitteret. Quod veritus sum, factū est, ut Domitius implicaretur, neque ipse satis firmus esset ad castra faciēda, quod meas XI, & suas XI. cohortes tribus in oppidis distributas haberet (nam partim Albæ, partim Sulmone collocauit) neque si vellet, expedire posset. Nūc scitote me esse in summa sollicitudine: nā & tot, & taleis viros periculo obsidionis liberare cupio: neque subsidio ire possum, quod his duabus legionibus nō puto esse committendum, ut illuc ducantur. ex quibus tamen non amplius XII. cohortes contrahere potui, quas Brundisium misi: neque Canusium sine præsidio, dum abessem, putavi esse dimittendum. Dellio mandaram, quod maiores copias sperabam nos habituros, ut, si vobis videretur, alteruter vestrum ad me veniret, alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuā, & circum Capuam comparastis, & cum iis militibus, quos Faustus legit, proficisceretur, Domitius cum XI. suis cohortibus eodem adiungeretur, reliquæ copiarum omnes Brundisium cogerentur, & inde nauibus Dyrrhachium transportarentur. Nunc, cum hoc tempore nihilo magis ego, quam vos, subsidio Domitio ire possim, seu per mortuis explicare, non est nobis committendum, ut has XII. cohortes, quas dubio animo habeo, hostis accedere, aut in itinere me consequi possit. Quam ob rem placitū est mihi (etiam video C. Marcello, & cæteris nostri ordinis, qui hinc sunt) ut Brundisium ducerem hanc copiam, quam ego habeo mecum. Vos hortor, ut quodcunque militum contrahere poteritis, contrahatis, & eodem veniatis quamprimum. arma, quæ ad me missuri eratis, iis censeo armetis milites, quos vobiscū habetis, quæ arma superabunt, ea si Brundisium iumentis deportaritis, vehementer Reip. profueritis. de hac re vellem nostros certiores faceretis. Ego ad P. Lupum & C. Coponium Prætt. misi, ut se nobis coniungerent, & militum quod haberent, ad nos deducerent. Valete.

CN. POMPEIVS PROCOS. L. DOMITIO PROCOS. S.

MIROR te ad me nihil scribere, & potius ab aliis, quam à te de Reip. certiores me fieri. Nos disiecta manu pares aduersariis esse non possumus. Contractis nostris copiis, spero nos & Reip. & communi saluti prodesse posse. Quam ob rem cum constituissem, ut Vibullius mihi scripserat, ad v. Id. Febr. Corfinio proficisci cum exercitu, & ad me venire, miror quid causæ fuerit quare consilium mutaris: nam illa causa, quam mihi Vi-

bullius scribit, leuis est, te propterea moratum esse, quod audieris Cæsarem Firmo progressum in castrum Truentinum venisse: quanto enim magis appropinquare aduersarius cœpit, eò tibi celerius agendum erat, ut te mecum coniungeres, prius quam Cæsar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset. Quam ob rem etiam te rogo & hortor, id quod non destiti superioribus literis à te petere, ut primo quoque die Luceriã aduenires, antè quam copiarum, quas instituit Cæsar contrahere, in vnum locum coactas nos à nobis distrahant. Sed, si erunt, qui te impediāt, ut illas suas feruent: æquum est me à te impetrare, ut cohortes, quæ ex Piceno & Camerino venerunt, quæ fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias. Vale.

CN. POMPEIVS PROCOS. L. DOMITIO PROCOS. S.

LITERAS abs te M. Calenius ad me attulit ad XIII. Calend. Mart. in quibus literis scribis, tibi in animo esse obseruare Cæsarem, & si secundum mare ad me ire cœpisset, confestim in Samnium ad me venturum: sin autem ille circum ista loca commoraretur, te ei, si propius accessisset, resistere velle. te animo magno & forti ista rem agere existimo: sed diligentius nobis est videndum, ne distracti pares esse aduersario non possimus, cum ille magnas copias habeat, & maiores breui habiturus sit. non enim pro tua prudentia debes illud solum animaduertere, quot in præsentia cohortes contra te habeat Cæsar, sed quantas breui tempore equitum & peditum copias contracturus sit. cui rei testimonio sunt literæ, quas Bussenius ad me misit, in quibus scribit, id quod ab aliis quoque mihi scribitur, præsidia Curionem, quæ in Umbria & Tuscis erant, contrahere, & ad Cæsarem iter facere. quæ si copiarum in vnum locum fuerint coactæ, ut pars exercitus ad Albam mittatur, pars ad te accedat, ut non pugnet, sed locis suis repugnet: hærebis, neque solus cum ista copia tantam multitudinē sustinere poteris, ut frumentatum eas. Quam ob rem te magnopere hortor, ut quamprimum cum omni copia huc venias. Consules constituerunt idem facere. Ego Metuscilio ad te mandata dedi, prouidendum esse, ne duæ legiones sine Picentinis cohortibus in conspectum Cæsaris committerentur. quam ob rem nolito commoueri, si audieris me regredi, si fortè Cæsar ad me veniet. cauendum enim puto esse, ne implicatus hæream: nam neque castra propter anni tempus, & militum animos facere possum: neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit, ne receptum amittam. itaque non amplius XII. cohortes Luceriã cœgi. Consules præsidia omnia deducturi sunt, aut in Siciliam ituri. nam aut exercitum firmum habere oportet, quo confidamus perumpere nos posse: aut regiones eiusmodi obtinere, è quibus repugnemus: id quod neutrum nobis hoc tempore contingit, quod & magnam partem Italiae Cæsar occupauit, & nos nō habemus exercitum tam amplum, neque tam magnum, quam ille. itaque nobis prouidendum est, ut summam Reip. rationem habeamus. Etiã atque etiam te hortor, ut cum omni copia quamprimum ad me venias. possumus etiam nunc Reipub. erigere, si communi consilio negotium administrabimus: si distrahemur, infirmi erimus. mihi hoc constitutum est. His literis scriptis, Sica à te mihi literas attulit, & mandata. Quod me hortare ut istuc veniam: id me facere non arbitror posse, quod non magnopere his legionibus confido. Vale.

CN. POMPEIVS L. DOMITIO S.

LITERAE mihi à te redditæ sunt ad XIII. Calend. Mart. in quibus scribis, Cæsarem apud Corfinium castra posuisse. quod putavi & præmonui, sit, ut nec in præsentia committere tecum prælium velit, & omnibus copiis conductis te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit, atque istas copias coniungere optimorum ciuium possis cum his legionibus, de quarum voluntate dubitamus: quo etiam magis tuis literis sum commotus: neque enim eorum militum, quos mecum habeo, voluntati satis confido, ut de omnibus fortunis Reipub. dimicem: neque etiam, qui ex delectibus conscripti sunt à Consulibus, cōuenerunt. Quare da operam, si vlla ratione etiã nunc efficere potes, ut te explices, huc quamprimum venias antè, quam omnes copiarum aduersariorum conueniant.

neque enim celeriter ex delectibus huc homines cōuenire possunt : & si conuenirent, quantum iis committendum sit, quod inter se noti sunt, contra veteranas legiones, non te praterit. Vale.

CICERO ATTICO S.

LIPPITVDINIS meæ signum tibi sit librarii manus, & eadem causa breuitatis. etsi nunc quidem, quod scriberē, nihil erat. Omnis expectatio nostra erat in nunciis Brundusinis, si nactus hic esset Cneum nostrum, spes dubia pacis : sin ille antè transmisset, exitiosa belli metus. Sed vidēsne in quem hominem inciderit Respub? quàm acutum? quàm vigilantem? quàm paratum? si mehercule neminem occiderit, nec cuiquā quicquam ademerit, ab iis, qui eum maximè timuerāt, maximè diligeretur. multum mecum municipales homines loquuntur, multū rusticani. nihil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi villulas, nisi numulos suos. Et vide, quàm conuersa res est. illum, quo antea confidebant, metuunt: hunc amant, quem timebant. Id quantis nostris peccatis, vitis que euenit, nō possum sine molestia cogitare. quæ autem impendere putarem, scripseram ad te, & iam tuas literas expectabam. Vale.

CICERO ATTICO S.

NON dubito quin tibi odiosæ sint epistolæ quotidiana, cum præfertim neque noua de re aliqua certiore te faciam, neque nouam denique iam reperiam scribendi vllam sententiā. sed si dedita opera, cum causa nulla esset, tabellarios ad te cum inanibus epistolis mitterem, facerem ineptè: eūtibz verò, domesticis præfertim, vt nihil ad te dem literarum, facere non possum. & simul (crede mihi) requiesco paululum in his miseriis, cum quasi tecum loquor: cum verò tuas epistolas lego, multò etiā magis. Omnino intelligo, nullum fuisse tēpus post has fugas & formidines, quod magis debuerit mutum esse à literis, propterea quod neque Romæ quicquam auditur noui, nec in his locis, quæ à Brundusio absunt propius, quàm tu, biduum aut triduum. Brūdusii autem omne certamen vertitur huius primi temporis : qua quidem expectatione torqueor. sed omnia antè nos sciemus : eodem enim die video Cæsarem à Corfinio post meridiem profectum esse, quo Canusio mane Pompeium. eo modo autem ambulat Cæsar, & iis diariis militum celeritatem incitas, vt timeam, ne citius ad Brundusium, quàm opus sit, accesserit. Dices, Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis? Nihil equidem: sed, vt supra dixi, tecum perlibētè loquor, & simul scito labare meū, consilium illud, quod satis iam fixum videbatur. non mihi satis idonei sunt authores ii, qui à te probantur. quod enim vnquam eorum in Repub. fortè factum extitit? aut quis ab iis vllam rem laude dignam desiderat? nec mehercule laudandos existimo, qui trans mare belli parandi causa profecti sunt (quanquam hæc ferenda non erāt) video enim, quantum id bellum, & quàm pestiferum futurum sit. sed me mouet vnus vir, cuius fugientis comes: Rempub. recuperantis socius videor esse debere. Totiēsne igitur sententiam mutas? Ego tecum, tanquam mecum, loquor. quis autem est, tanta quidem de re, quin variè secum ipse disputet? simul & elicere cupio sententiam tuam: si manet, vt firmitior sim : si mutata est, vt tibi assentiar. Omnino ad id, de quo dubito, pertinet me scire quid Domitius acturus sit, quid noster Lentulus. De Domitio varia audimus, modò esse in Tiburti aut Lepidi, quòcum Lepidus accessisset ad Urbem, quod item falsum video esse: ait enim Lepidus, eum nescio quò penetrasse itineribus : occultandi sui causa, an maris apiscendi, ne id quidem scit: ignorat enim de filio. addit illud sanè molestum, pecuniam Domitio satis grandē, quam is Coreni habuerit, non esse redditam. De Lentulo autem nihil audimus. hæc velim exquiras, ad meque perscribas. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD V. Non. Mart. epistolas mihi tuas Aegypto reddidit, vnā veterem IIII. Calēd. quam te scribis dedisse Pinario, quem non vidimus, in qua expectas quidnam præmissus agat Vibullius, qui omnino non est visus à Cæsare. in altera epistola video te scire

55 ita esse, & quemadmodum redeuntem excipiam Cæsarem, quem omnino vitatē cogito, & aut Hemonis fugam tendis, commutationemque vitæ tuæ: quod tibi puto esse faciendum: & ignoras, Domitius cum facibusne sit, quod cum scies, facies vt sciamus. Habes ad primam epistolam. Secutæ sunt duæ, prid. Calend. ambæ datæ, quæ me conuellerunt de pristino statu: iam tamen, vt antè ad te scripsi, labentē. Nec me mouet, quod scribis Ioui ipsi iniquum : nam periculum in vtriusque iracundia positum est : victoria autē ita incerta, vt deterior causa paratior mihi esse videatur. Nec me Consules mouēt, qui ipsi pluma aut folio facilius mouentur. officii me deliberatio cruciat, cruciauitque adhuc. cautior certè est mansio: honestior existimatur traiectio. malo interdum, multum me non cautè, quàm pauci non honestè fecisse existiment. De Lepido & Tullo quod quæris: illi verò non dubitant quin Cæsari præsto futuri, in Senatūque venturi sint. Recentissima tua est epistola Calend. data, in qua optas congressum, pacem non desperas. sed ego, cum hæc scribebam, nec illos congressuros: nec, si congressi essent, Pompeium ad vllam conditionem accessurum putabam. Quod videris non dubitare, si Consules trāseant, quid nos facere oporteat: certè trāseunt, vel, quomodo nunc est, transierunt. sed memento, præter Appium, neminem esse ferè, qui non ius habeat trāseundi: nam aut cum imperio sunt, vt Pompeius, vt Scipio, Setenas, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi Consules, quibus more maiorum concessum est vel omnes adire prouincias, aut legati sunt eorum: sed nihil defero. quid placeat tibi, & quid propemodum rectum sit, intelligo. Plura scriberē, si ipse possem: sed, vt mihi videor, potero biduo. Balbi Cornelii literarum exemplum, quas eodem die accepi, quo tuas, misi ad te, vt meam vicem doleres, cum me derideri videres. Vale.

BALBUS CICERONI IMP. S.

OBSECO te Cicero, suscipe curam & cogitationem dignissimam tuæ virtutis, vt Cæsarem & Pompeium perfidia hominum distractos, rursus in pristinam cōcordiam reducas. crede mihi, Cæsarem non solum in tua fore potestate, sed etiam maximum beneficium te sibi dedisse iudicaturum, si huc te reiciis. velim, idem Pompeius faciat: qui vt adduci tali tempore ad vllam conditionem possit, magis opto, quàm spero. sed cum constiterit, & timere desierit, tum incipiam non desperare, & tuam authoritatem plurimum valituram. Quod Lentulum c o s. meum voluisti hinc remanere, Cæsari gratum, mihi verò gratissimum mediussidius fecisti. nam illum tanti facio, qui non Cæsarem magis diligam: qui si passus esset, nos secum, vt consueueramus, loqui, & non si totum etiam, & etiam ab sermone nostro auertisset, minus miser, quàm sum, essem. nam caue putes, hoc tempore plus me quenquam cruciari, quod eum, quem ante me diligo, video in Consulatu quiduis potius esse, quàm Consulem. quod si voluerit tibi obtemperare, & nobis de Cæsare credere, & Consulatum reliquum Romæ peragere: incipiam sperare, etiam consilio Senatus, authore te, illo relatore, Pompeium & Cæsarem coniungi posse. quod si factum erit, me satis vixisse putabo. Factum Cæsaris de Corfinio totum me probaturum scito: & quomodo in huiusmodi re commodius cadere nō potuit, quàm vt res sine sanguine confieret. Balbi mei, tuique aduentu delectatū te, valde gaudeo. is quæcunque tibi de Cæsare dixit, quæque Cæsar scripsit, scio, tibi probabit: quæcunque fortuna eius fuerit, bellissimè scripsisse. Vale.

CICERO ATTICO S.

* OMNIA mihi prouisa sunt præter occultum, & tum iter ad mare superum. hoc enim mari vti non possumus hoc tempore anni: illuc autem, quò spectat animus, & quò res vocat, quæ veniam: cedendum enim est celeriter, ne fortè qua re impediatur, atque alliger. nec verò ille me ducit, qui videtur, quem ego hominem *ἀπολιτικώτατον* omnium iam antè cognoram, nunc verò etiam *ἀγρατικώτατον*. Non me igitur is ducit, sed sermo hominū, qui ad me à Philotimo scribitur: is enim me ab optimatibus ait cōscindi, quibus optimatibus Dii boni: qui nūc quomodo occurrunt? quomodo autem se

venditant Cæsari: municipia verò deum: nec simulant, vt cum de illo agro vota faciebant. Sed planè, quicquid mali hic Pisistratus non fecerit, tam gratum est, quàm si alium facere prohibuerit. hunc propitium sperant: illum iratum putant. quas fieri censet ἀποπρώσας ex oppidis: quos honores? Metuunt, inquit. credo: sed mehercule illum magis. huius insidiosa clementia delectantur: illius iracundiam formidant. Iudices δ c c l, qui præcipuè Cneo nostro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem video, nescio quas eius Lucerias horrent. itaque quæro qui sint isti optimates qui me exturbent, cum ipsi domi maneant. sed tamen quicumque sunt, ἀδέομυ Τρώας. et si, qua spe proficiscar, video: coniungoque me cum homine magis ad vastandum Italiã, quàm ad vincendum parato. domum quem expecto: & quidem, cum hæc scribebam i i i i. Non iam expectabam aliquid à Brundusio. Quid autem aliquid: quàm inde turpiter fugisset, & victor hic quàm se referret, & quò. quod vbi audissem, si ille Appia veniret, ego Arpinum cogitabam. Vale.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER IX.

CICERO ATTICO S.



TSI, cum tu has literas legeres, putabam fore vt scire iam quid Brundusii actum esset (nam Canusio v i i i. Cal. profectus erat Cneus, hæc autem scribebam prid. Non. x i i i. die postquam ille Canusio mouerat) tamè angebar singularum horarum expectatione, mirabarque nihil allatum esse, ne rumoris quidem. nam erat mirum silèrium. sed hæc fortasse κενόσπουδα sunt: quæ tamen iam sciuntur, necesse est. Illud molestū, me adhuc inuestigare non posse, vbi Lentulus noster sit, vbi Domitius. Quæro autem, quò facilius scire possim, quid acturi sint, iturine ad Pompeium: & si sint, quæ, quandouè ituri sint. Urbem quidem iam refertam esse optimatum audio. Sotium & Lupum, quos Cneus noster antè putabat Brundusium venturos esse, quàm se, ius dicere. hinc verò vulgò vadunt. Etiam M. Lepidus, quocum diem contere solebam, cras cogitabat. Nos autem in Formiano morabamur, quo citius audiremus: deinde Arpinum volebamus: inde, iter quàm maximè ἀναπρωτήτων esset, ad mare superum, remotis, siue omnino missis licitoribus. audio enim bonis viris, qui & nunc, & sæpe antea magno præsidio Reipub. fuerunt, hanc cunctationem nostram non probari: multaque in me, & seuerè in conuiuuiis tempestiuus quidem disputari. Cedamus igitur: & vt boni ciues simus, bellū Italiæ terra, marique inferamus: & odia improborum rursus in nos, quæ iam extincta erant, incédamus, & Luceii consilia, ac Theophani persequamur. Nam Scipio vel in Syriam proficiscitur sorte, vel cum genero honestè, vel Cæsarem fugit iratū. Marcelli quidè, nisi gladium Cæsaris timuissent, manerent. Appius & eodem timore, & inimicitiarum recentium. Et tamè præter hunc & C. Cassium, reliqui legati: Fauustus Proquæ. Ego vnus, cui vtrumuis liceret. Frater accesserit, quem socium huius fortunæ esse non erat æquum: cui magis etiam Cæsar irascetur: sed impetrare non possum vt maneat. Dabimus hoc Pompeio, quod debemus: nam me quidè alius nemo mouet: non sermo bonorum, qui nulli sunt: nò causa, quæ acta timidè est, agetur improbè. Vni hoc damus, ne id quidem roganti, nec suam causam, vt ait, agenti, sed publicam. Tu quid cogites de transeundo in Epeirum, scire sanè velim.

CICERO ATTICO S.

ETSI Non. Martiis, die tuo (vt opinor) expectabam à te epistolam longiorem: tamè ad eam ipsam breuem, quam i i i. Non. Martii τὸ πρῶτον ἀφελθῆναι dedisti, rescribendum putauit. Gaudere ais te mansisse me: & scribis, in sententia te manere. Mihi autè superio-

ribus literis videbare non dubitare quin cederem, ita si & Cneus benè comitatus conscendisset, & Consules transissent. Vtrum, hoc tu parum meministi, an ego non satis intellexi: an mutasti sententiã? sed aut ex epistola, quam expecto, perspiciam quid sentias: aut alias abs te literas eliciam. Brundusio nihil dum erat allatum. O rem difficilem, planèque perditam! Quàm nihil prætermittis in consilio dādo: quàm nihil tamen, quod tibi ipsi placeat, explicas! non esse me vnà cum Pompeio, gaudes: ac proponis, quàm sit turpe me adesse, cum quid de illo detrahatur, nefas esse approbare. Certè, contra igitur: dii, inquit, auerruncent. Quid ergo fiet, si in altero scelus est, in altero supplicium? Impetrabis, inquit, à Cæsare, vt tibi abesse liceat, & esse otioso. Supplicandum igitur miserum. Quid si non impetraro? Et de triumpho erit, inquit, integrū. Quid si hoc ipso premar? accipiam? quid scidius? negem? repudiari se totum, magis etiam, quàm olim in x x. viratu putabit. Ac solet, cum se purgat, in me conferre omnè illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, vt ne honorem quidem à se accipere vellem. Quanto nunc hoc idem accipiet asperius: tanto scilicet, quanto & honor hic illo est amplior, & ipse robustior. Nam quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompeium hoc tempore: nò video causam, cur ita sit, hoc quidem tempore. qui enim amisso Corfinio denique certior me sui consilii fecit, is queretur Brundusium me non venisse, cum inter me & Brundusium Cæsar esset: deinde etiam scit, ἀπαρρησίασθαι esse in ea causa querelam suam. Me putat de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de pace, de Vrbe, de pecunia, de Piceno occupando plus vidisse, quàm se. Sin, cum potuero, non venero: tum erit inimicus: quod ego nò eò vereor, ne mihi noceat (quid enim faciet? τίς δὲ ἐστὶ δέσποσ τῆς θανάτου ἀφρονίας ὦν;) sed quia ingrati animi crimen horreo. Confido igitur aduentum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, vt scribis, ἀσμένισθαι fore. Nam quòd ais, si hic temperantius egerit, consideratius consilium te daturum: què hic potest se gerere non perditè: vita, mores, antè facta, ratio suscepti negotii, focii, vires bonorum, aut etiam constantia: Vix dum epistolam tuam legeram, cum ad me, currens ad illum, Posthumus Curtius venit, nihil nisi classeis loquens & exercitus. eripiebat Hispanias: tenebat Asiam, Siciliam, Africam, Sardiniam: confestim in Græciam persequeretur. eundem igitur est: nec tam vt belli, quàm vt fugæ focii simus. nec enim ferre poterō sermones istorum, quicumque sunt: non sunt enim certè, vt appellantur, boni. sed tamen id ipsum scire cupio, quid loquantur: idque vt exquiras, meque certior facias, te vehementer rogo. Nos adhuc, quid Brundusii actum esset, planè nesciebamus: cum sciemus, tum ex re & ex tempore consilium capiemus, sed vt emur tuo. Vale.

CICERO ATTICO S.

DOMITII filius transit Formias v i i i. Id. currens ad matrem Neapolim, mihi que nuntiari iussit, patrem ad Urbem esse, cum de eo curiose quæsisset seruus noster Dionysius. nos autem audieramus eum profectum siue ad Pompeium, siue in Hispaniam. id cuiusmodi sit, scire sanè velim: nã ad id, quod delibero, pertinet, si ille certè nusquam discessit, intelligere Cneum, non esse faciles nobis ex Italia exitus, cum ea tota armis, præsidiiisque teneatur, hyeme præsertim. nam si commodius anni tempus esset, vel infero mari liceret vti: nunc nihil potest, nisi supero, transmitti, quo iter interclusum est. Quæres igitur & de Domitio & de Lentulo. A Brundusio nulla adhuc fama venerat: & erat hic dies v i i. Id. quo die suspicabamur, aut pridie Brundusium venisse Cæsarem: nam Calendis Arpis manserat. Sed si Posthumum audire velles, persecuturus erat Cneum: transisse enim iam putabat coniectura tempestatum ac dierum. Ego nautas eum non putabam habiturum: ille confidebat, & eò magis, quòd audita nauiculariis hominis liberalitas esset. Sed tota res Brundusina iam quomodo habeat se, diutius nescire non possum. Ego et si tam diu requiesco, quàm diu aut ad te scribo, aut tuas literas lego: tamen & ipse egeo argumento epistolarum, & tibi idem accidere certò scio. quæ enim soluto animo familiariter scribi solent, ea tēporibus his excluduntur: quæ autem

sunt horum temporum, ea iam contriuiimus. Sed tamen ne me totum ægritudini dedam, sumpsi mihi quasdam tanquam ἡσυχίας, quæ & politicæ sunt, & temporum horum: vt & abducam animum ab querelis: & in eo ipso de quo agitur, exercear. Eæ sunt huiusmodi: Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννικῆς, τυραννικῆς δὲ αὐτῆς, εἰ παντὶ πρόπω τυραννίδος κἀλάουσιν ὑφρατέον, κἀν μέλλῃ Διὶ τῆσθε ὡς ἴπῃ ὄλων ἢ πόλις κινδυνεύσῃ. εἰ βλαβητέον τὸν κἀαλύοντα μὴ αὐτὸς εἰρηται, εἰ πειρατέον εἰρηταίῃ τῇ πατρίδι εἰρήνη μάλλον ἢ πολέμου. εἰ πολιτικὸν ὃ ἡσυχάσῃ ἀναχωρήσαντά ποι, τῆς πατρίδος τυραννικῆς, ἢ εἰ πάντος ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι. εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρα, καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννικῆς. εἰ κἀ μὴ δικιμάζοντα τὴν εἰρήνην κατὰ λυσι τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὁμῶς ποῖς ἀέροις, εἰ ποῖς βεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνύοντες ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἀν μὴ δικάσῃ βεβυλῶσθαι πέρι τῆς ὄλων. εἰ ὁ μέγιστος τὴν πατρίδα βεργετήσας δὲ αὐτὸ δὲ τῆσθε ἀνήκεστα παθῶν, καὶ φθονηταῖς, κινδυνύσῃ ἀν ἐθελοντῆς ὑπὲρ τῆς πατρίδος, εἰ ἀφετέον αὐτῷ ἑαυτῷ ποτε, καὶ τῆς οἰκιοῦτων ποῖσθαι ὑφρατέον ἀφεμένῳ τῶς τῆς ἰχθῶσας Διὶ πολιτείας. in his ego me consultationibus exercēs, & differens in vtranque partem tum Græcè, tum Latinè, & abduco parumper animum à molestiis, & τῆς ὑφρατέον ἢ delibero. Sed vereor, ne tibi ἀκαίως sim: si enim rectè ambulauit is, qui hanc epistolā tulit, in ipsum tuū diem incidit. Vale.

CICERO ATTICO S.

NATALI die tuo scripsisti epistolam ad me plenam consilii, summāque tum benevolentia, tum etiam prudentia. Eam mihi Philotimus postridie, quā à te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quæ disputas, difficillima: iter ad superum, nauigatio infero, discessus Arpinum, ne hunc fugisse. mansio Formiis, ne obtulisse nos gratulationi videamur: sed miserius nihil, quā ea videre, quæ tamen iam, iam inquam videntur. Fuit apud me Posthumus: scripsi ad te, quā grauis. Venit ad me etiam Q. Fufius, quo vultu, quo spiritu: properans Brundusiu, scelus accusans Pompeii, leuitatem & stultitiam Senatus. Hæc qui in mea villa nō feram, cur tum in curia potero ferre: Age finge me quauis ὑπομύχως hæc ferentem. Quid illa, dic M. Tulli, quem habebunt exitum: & omitto causam Reipub. quam ego amissam putō cū vulneribus suis, tum medicamentis his, quæ paratur. De Pompeio quid agam: cui planè (quid enim negem?) succensui: semper enim causæ eūetorum magis mouent, quā ipsa euenta. Hæc igitur mala, quibus maiora esse quæ possunt: considerans, vel potius iudicans eius opera accidisse, & culpa, inimicior eram huic, quā ipsi Cæsari. Vt maiores nostri funestiorē diem esse voluerunt Allienis pugna, quā Urbis captæ, quod hoc malum ex illo: itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus: sic ego decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos, hoc defendente, ne dicam grauius, affligerat, præsentisque temporis cognoscens, temeritatē, ignauiam, negligētiam, succensebā. sed ea iam mihi exciderunt. beneficia eiusdē cogito. cogito etiam dignitatē. intelligo serius equidē, quā vellē, propter epistolas, sermonesque Balbi: sed video planè nihil aliud agi, nihil actum ab initio, quā vt hūc occideret. Ego igitur, si quis apud Homerū, cū ei & mater, & Dea dixisset αὐτίκα γὰρ τοῖ ἐπιπτα μεθ' Ἐκτορα πότμος εἴποιμος, matris ipse respōdit, αὐτίκα τεθναίνῃ ἐπεὶ οὐκ ἀρα εἰμελλον ἐπαίρω Κτθ νομῶν ἐπαμύναι. quid si non ἐπαίρω solum, sed etiam βεργέτη: adde tali viro talem causam agentis. Et ego verò hæc officia mercanda vita puto. Optimatibus verò tuis nihil confido, nihil iam ne inferuio quidem. Video vt se huic dent, vt daturi sint. quicquam tu illa putas fuisse de valetudine decreta municipiorum præ his de victoria gratulationibus? Timent, inquit. At ipsi tum se timuisse dicunt. Sed videamus quid actum sit Brundusii. ex eo fortasse mea consilia nascentur, aliæque literæ. Nos adhuc Brundusio nihil. Roma scripsit Balbus, putare iam Lentulum c o s. transmisisse, nec eum à minore Balbo conuentum, quod is hoc iam Canusii audisset: inde ad se eum scripsisse, cohorteisque sex, quæ Albæ fuissent, ad Curtium Minutia transiisse: id Cæsarem ad se scripsisse, & breui tempore eum ad Urbem futurum. Ergo vtar tuo consilio, neque me in Arpinum hoc tempore abdam. et si,

Ciceroni meo togam puram cū dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. sed fortasse in eo ipso offendetur, cur non Romæ potius. sed tamen, si est cōueniendus, hic potissimum. tum reliqua videbimus, id est & quò, & quā, & quando. Domitius, vt audio, in Cosano, & quidem, vt aiunt, paratus ad nauigandum: si in Hispaniam, non probo: si ad Cneum, laudo: quouis potius certè, quā vt Curtium videat, quem ego patronus aspicere non possum. Quid alios: sed opinor quiescamus, ne nostram culpam coarguamus: qui, dum Urbem, id est patriam, amamus, dūmque rem conuenturam putamus, ita nos gessimus, vt planè interclusi, captique simus. Scripta iam epistola, Capua literæ sunt allatæ hoc exemplo, Pompeius mare transit cum omnibus militibus, quos secum habuit. hic numerus est hominum millia x x x, & Consules duo, & Tribuni pl. & Senatores, qui fuerat cum eo: omnes cum vxoribus & liberis. conscendisse dicitur ad IIII. Non. Mart. ex ea die fuere Septētriones venti. naues quibus vsus non est, omnes aut præcidisse, aut incendisse dicunt. De hac re literæ L. Metello Trib. pl. Capuam allatæ sunt ab Clodia focru, quæ ipsa transit. Antè sollicitus eram, & angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, cū consilio explicare nihil possem: nūc autem postquam Pompeius & Consules ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo dolore. εἰδὲ μοι ἢ τὸρ ἐμπεδον ἀλλ' ἀλαλύκτημοι. non sum inquam (mihi crede) mentis compos: tātum mihi dedecoris admisisse videor. me non primum cum Pompeio qualicumque consilio vsō, deinde cum bonis esse, quāuis causa temere instituta: præsertim cū ipsi, quorum ego causa timidius me fortunæ committebam, vxor, filia, Cicerones pueri me illuc sequi mallent, hoc turpe, & me indignum putarent. nam Quintus quidem frater, quicquid mihi placeret, id rectū se putare aiebat, id animo æquissimo sequebatur. Tuas nunc epistolas à primo lego. hæc me paulum recreant. primæ monent & rogant, ne me proiciam. proximæ gaudere te ostendunt, me remansisse. eas cū lego, minus mihi turpis videor, sed tandiu dum lego. Deinde emergit rursus dolor, & ἀγρὸς φαντασία. Quam ob rem obsecro te mi Tite, eripe mihi hūc dolorem, aut minue saltem aut consolatione, aut consilio, aut quacunque re potes. quid tu autē possis: aut quid homo quicquam: vix iam deus. Equidem illud molior, quod tu mones, sperasque fieri posse, vt mihi Cæsar concedat vt absim, cū aliquid in Senatu contra Cneum agatur: sed timeo ne non impetrem. Venit ab eo Furnius, vt quidem scias quos sequamur: Q. Titinii filium cum Cæsare esse nuntiat: sed illum maiores mihi gratias agere, quā vellē. Quid autem me roget (paucis ille quidem verbis, sed ἐν δυνάμει) cognosce ex ipsius epistola. Me miserum, quod tu non valuisti: vnā fuisset: cōsiliū certè non defuisset σὺν τε δὲ ἐρχομῶ. Sed acta ne agamus: reliqua paremus. Me adhuc hæc duo fefellerunt: initio spes compositionis, qua facta volebam, vt populari, vt ea solitudine senectutem nostram liberari: deinde bellum crudele & exitiosum suscipi à Pompeio intelligebam. Melioris mediūfidius ciuis & viri putabam, quouis supplicio affici, quā illi crudelitati non solum præesse, verum etiam interessē. videtur vel mori satius fuisse, quā esse cum iis. Ad hæc igitur cogita mi Attice, vel potius excogita: quenuis euentum fortius feram, quā hunc dolorem. Vale.

CAESAR IMP. S. D. CICERONI IMP.

CVM Furnium nostrum tantum vidissem, neque loqui, neque audire me commode potuisset properantem, atque essem in itinere præmissis iam legionibus: præterire tamen non potui quin & scriberem ad te, & illum mitterem, gratiasque agerem. et si hoc officium & feci sæpe, & sæpius mihi facturus videor: ita de me mereris. In primis à te peto, quoniam confido me celeriter ad Urbem veturum, vt te ibi videam: vt tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum vti possim. Ad propositum reuertar: festinationi meæ, breuitatque literarum ignosces: reliqua ex Furnio cognosces. Vale.

CICERO ATTICO S.

SCRIPSERAM ad te epistolam, quam darem IIII. Id. sed eo die is, cui dare volue-

ram, non est profectus. venit autem eo ipso die ille Celeripes, quem Saluius dixerat: attulit vberimas tuas literas, quæ mihi quiddam quo stare, instillarūt. recreatum enim me non queo dicere: sed planè *ἔσπευον* effecisti: ego enim non iam id ago (mihi crede) vt prosperos exitus cōsequar: sic enim video. nec duobus his viuis, nec hoc vno nos vnquam Rempub. habituros. Ita neque de otio nostro spero iam, nec vllam acerbiterem recuso. vnum illud extimescebam, ne quid turpiter facerem, vel, dicam, iam effecissem. Sic ergo habeto, salutareis te mihi literas misisse, neque solūm has longiores, quibus nihil potest esse explicatius, nihil perfectius: sed etiam illas breuiiores, in quibus hoc mihi iucundissimum fuit, consilium, factūque nostrum ab Sexto probari: pergratumque mihi tu fecisti, à quo diligi me, & quid rectum sit, intelligi scio. Longior verò tua epistola non me solūm, sed meos omneis ægritudine leuauit. itaque vtar tuo consilio, & ero in Formiano, ne aut ad Urbem *ἀπάντησις* mea animaduertatur, aut, si nec hīc, nec illic eum videro, deuitatum se à me putet. Quòd autem suades, vt ab eo petam, vt mihi concedat, vt idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim: id me iam pridem agere intelliges ex literis Balbi & Oppii, quarum exempla tibi misi: misi etiam Cæsaris ad eos sana mente scriptas: quomodo in tanta insaniam: si mihi Cæsar hoc non concedat, video tibi illud placere, me *πολίτευμα* de pace suscipere: in quo non extimesco periculum. cū enim tot impendeant, cur non honestissimo de pacisci velim? Sed vereor ne Pōpeio quid oneris imponam, *μη μοι γοργεῖν κεφαλὴν δφροῖο πελάγος* intorqueat: mirandum enim in modum Cneus noster Sullani regni similitudinem concupiuit. *εἰδώς σοι λέγω*. nihil in quā ille minus obscure tulit. Cum hoc ne igitur, inquires, esse vis? beneficium sequor (mihi crede) non causam, vt in Milone, vt in. sed hæcenus. Causa igitur non bona est: immò optima: sed agetur (memento) foedissimè. primūm, consilium est, suffocare Urbem & Italiam fame: deinde agros vastare, vrere, pecuniis locupletum nō abstinere. Sed cū eadem metuam ab hac parte: si illinc beneficium non sit, rectius putem quiduis domi perpeti. sed ita meruisse illum de me puto, vt *ἀχαιεῖας* crimen subire non audeam. quanquā ad te eius quoque rei iusta defensio est explicita. De triumpho tibi assentior: quem quidem totum facile & libenter abiecero. egregiè probo fore, vt, dum agamus, *ὁ πᾶς ὠρεῖται* obrepit: si modò, inquis, satis ille erit firmus. Est firmior etiam, quā putabamus. de isto licet bene speres: promitto tibi, si valebit, regulam illum in Italia nullam relicturum. Tene igitur socio: cōtra mehercule meum iudicium, & contra omnium antiquorum autoritatem: nec tam vt illa adiuuem, quā vt hæc ne videam, cupio discedere. noli enim putare tolerabiles horum insanias, nec vniusmodi fore. et si quid te horū fugit, legibus, iudiciis, Senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum nec priuatas posse res, nec Rempub. sustinere? Abeamus igitur inde qualibet nauigatione: et si id quidem, vt tibi videbitur: sed certè abeamus. sciemus enim id, quod expectas, quid Brundusii actum sit. Bonis viris quòd ais probari, quæ adhuc fecerimus, sciri que ab iis non profectis, valde gaudeo, si est nunc vllus gaudendi locus. De Lentulo inuestigabo diligentius: id mandauit Philotimo, homini forti, ac nimium optimati. Extremum est, vt tibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit: nec enim alia de re nūc vlla scribi potest: & de hac quid iam amplius inueniri potest? Sed quoniam & ingenium suppeditat (dico mehercule vt sentio) & amor, quo & meum ingenium incitatur, perge vt facis, & scribe quantum potes.

In Epeirum quòd me non inuitas, comitem non molestum, subira scōr: sed vale. nam, vt tibi ambulandum, vngendum, sic mihi dormiendum, etenim literæ tuæ mihi somnum attulerunt.

CICERO ATTICO S.

C O E N A N T I B V S prid. Id. nobis, ac noctu quidē, Statius à te epistolam breuem attulit. De L. Torquato quid modò quæris? non modò Lucius, sed etiam Aulus profectus est, alii multi. De Reatinorum corona quòd scribis, molestè fero in agro Sabino se-

mentem fieri profcriptionis. Senatores multos esse Romæ, nos quoque audieramus. ecquid potes dicere cur exierint? In his locis opinio est coniectura magis, quā nuntio aut literis, Cæsarem Formiis ad x. i. Calend. April. fore. hīc ego vellem habere Hōmeri illam Mineruam simulatam Mentori, cui dicerem, *Μέντορ πῶς τ' εἶω, πῶς τ' ἀβροσπιθόμενῳ ἄβρι;* nullam rem vnquam difficiliorem cogitavi, sed cogito tamen: nec ero, vt in malis, imparatus. Sed cura vt valeas: puto enim diem tuum heri fuisse.

CAESAR OPPIO, CORNELIO S.

G A V D E O mehercule vos significare literis, quā valde probetis ea quæ apud Corfinium sunt gesta. consilio vestro vtar libenter, & hoc libentius, quòd mea sponte facere cōstituerā, vt quam lenissimum me præberem, & Pompeium, darem operam, vt reconciliarem. tentemus hoc modo, si possimus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria vt: quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt: neque victoriam diutius tenere, præter vnum L. Sullam, quem imitaturus non sum. hæc noua sit ratio vincendi, vt misericordia & liberalitate nos muniamus. id quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem veniunt, & multa reperiri possunt. de his rebus, rogo vos, vt cogitationem suscipiatis. Cn. Magium Pompeii præfectum deprehendi: scilicet meo instituto vsus sum, & eum statim missum feci. iam duo præfecti fabrum Pompeii in meam potestatem venerunt, & à me missi sunt. Si volent grati esse, debent Pompeium hortari, vt malit mihi esse amicus, quā iis, qui & illi & mihi semper fuerunt inimicissimi: quorum artificijs effectum est vt Respub. in hunc statum perueniret. Vale.

BALBUS CICERONI IMP. S.

S V B I T O posteaquam literas communeis cum Oppio ad te dedi, ab Cæsare epistolam accepi, cuius exemplum tibi misi, ex quibus perspiciere poteris, quā cupiat concordiam & Pompeiū reconciliare, & quā remotus sit ab omni crudelitate: quod eum sentire, vt debeo, valde gaudeo. De te, & tua fide, & pietate idem mehercule mihi Cicerō sentio quod tu, non posse tuam famam & officium sustinere, vt contra eum arma feras, à quo tantum beneficium te accepisse prædices. Cæsarem hoc idem probaturum, exploratum pro singulari eius humanitate habeo: eique cumulatissimè satisfacturum te certò scio, cū nullam partem belli contra eum suscipias, neque socius eius aduersariis fueris. atque hoc non solūm in te tali & tanto viro satis habebit, sed etiam mihi ipse sua cōcessit bonitate, ne in iis castris essem quæ contra Lætulum aut Pompeium futura essent, quorum beneficia maxima haberem: sibi que satis esse dixit, si togatus urbana officia sibi præstitissem, quæ etiam illis, si vellem, præstare possem. Itaque nunc Romæ omnia negotia Lentuli procuro, sustineo: meūque officium, fidem, pietatem iis præsto. sed mehercule rursus tam abiectam compositionis spem non desperatissimam esse puto, quoniam Cæsar est ea mente, qua optare debemus. Hac re mihi placet, si tibi videtur, te ad eum scribere, & ab eo præsidium petere, vt petisti à Pompeio, me quidem approbante, temporibus Milonianis. præstabo (si Cæsarem bene noui) eum prius tuæ dignitatis, quā suæ vtilitatis rationem habiturum. Hæc quā prudenter tibi scribam, nescio. sed illud certè scio, me ab singulari amore ac beneuolentia, quæcunque scribo, tibi scribere, quòd te (ita incolumi Cæsare moriar) tanti facio, vt paucos æquè ac te charos habeam. De hac re cū aliquid constitueris, velim mihi scribas: nam non mediocriter laboro, vt vtrique, vt vis, tuam beneuolentiam præstare possis, quam mehercule te præstaturum confido. Fac valeas.

BALBUS ET OPPIVS S. D. M. CICERONI.

N E D V M hominum humilium, vt nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex euentu, non ex voluntate à plerisque probari solent: tamen freti tua humanitate, quod verissimū nobis videbitur, de eo quod ad nos scripsisti, tibi cōsiliū dabimus: quod si non fuerit prudēs, at certè ab optima fide & optimo animo proficietur.

Nos, nisi id, quod nostro iudicio Cæsarem facere oportere existimamus, ut simul Romam venerit, agat de reconciliatione gratiæ suæ & Pompeii: id cum facturum ex ipso cognovissemus: te hortari desineremus ut velles his rebus interesse, quo facilius, & maiore cum dignitate per te, qui utriusque es coniunctus, res tota conficeret: aut si ex contrario putaremus Cæsarem id non facturum, & eum velle cum Pompeio bellum gerere sciremus, nunquam tibi suaderemus, contra hominem optimè de te meritum arma ferres, sicuti te semper orauimus ne contra Cæsarem pugnares. sed cum etiamnum quid facturum Cæsar sit, magis opinari, quam scire possimus: non possumus nisi hoc, non videri eam tuam esse dignitatem, neque fidem omnibus cognitam, ut contra alterutrum, cum utriusque sis maximè necessarius, arma feras. & hoc non dubitamus quin Cæsar pro sua humanitate maximè sit probaturus. Nos tamen (si tibi videbitur) ad Cæsarem scribemus ut nos certiores faciat quid in hac re acturus sit. à quo si erit nobis rescriptum, statim, quæ sentiemus, ad te scribemus: & tibi fidem faciemus, nos ea suadere quæ nobis videntur tuæ dignitati, non Cæsaris rationi esse vtilissima: & hoc Cæsarem pro sua indulgentia in suos probaturum putamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

TREIS epistolas tuas accepi postridie Iduum: erant autem IIII. III. prid. Id. data. igitur antiquissimæ cuique primùm respōdebo. Assentio tibi ut in Formiano potissimùm commorer. & iam de supero mari laboque, ut antea ad te scripsi, & quonam modo possim voluntate eius nullam Reipub. partem attingere? Quod laudas, quia obliuisci me scripsi antefacta & dicta nostri amici: ego verò ita facio: quin ea ipsa, quæ à te commemorantur, secus ab eo in me ipsum facta esse non memini: tantò plus apud me valere beneficii gratiam, quam iniuriæ dolorè volo. Faciamus igitur ut censes, colligamusque nos: festiuo enim similiurus decurro, atque cursu. *Θέσς* meas commentari non desino. Sed sunt quædam earum perdifficiles ad iudicandum. De optimatibus sit sanè ita ut vis: sed nosti illud *δρόνους ἐν Κορινθῶ*. Titinii filius apud Cæsarem est. Quòd autem quasi vereri videris ne mihi tua consilia displiceant: me verò nihil delectat aliud, nisi consilium & literæ tuæ. Quare fac, ut ostendis, ne destiteris ad me, quicquid tibi in mentem venerit scribere. mihi nihil potest esse gratius. Venio ad alteram nunc epistolam. rectè non credis de numero militum: ipso dimidio plus scripsit Claudia. Falsum etiam de corruptis nauibus. Quòd Consules laudas, ego quoque animum laudo, consilium reprehendo. discessu enim illorum, actio de pace sublata est, quam quidem ego meditabar. Itaque postea Demetrii librum de concordia tibi remisi, & Philotimo dedi. Nec verò dubito quin exitiosum bellum impendeat, cuius initium ducetur à fame. Et me tamen doleo non interesse huic bello, in quo tanta vis sceleris futura est, ut, cum parentes non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam & sanctissimam parentem patriam fame necandam putent. Atque hoc non opinione timeo, sed interfui sermonibus. Omnis hæc classis, Alexandria, Colchis, Tyro, Sidone, Andro, Cypro, Pamphylia, Lycia, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbos, Smyrna, Myleto, Co, ad intercludendos commeatus Italiæ, & ad occupandas frumentarias prouincias comparatur. At quàm veniet iratus, & iis quidem maximè, qui eam maximè saluam volebant, quasi relictus ab iis, quos reliquit. Itaque mihi dubitanti quid me facere par sit, permagnum pondus affert beneuolentia erga illum: qua dempta, perire melius esset in patria, quam patriam seruando euertere. De Septentrione planè ita est. Metuo, ne vexetur Epeirus. Sed quem tu locum Græciæ non direptum iri putas: prædicat enim palàm, & militibus ostendit, se largitione ipsa superiorem, quam hunc, fore. Illud me præclare admones, cum illum videro, ne nimis indulgenter, & ut cum grauitate potius loquar: planè sic faciendum. Arpinum, cum eum conuenero, cogito: ne fortè aut absim, cum venier: aut cursem huc illuc via deterrima. Bibulum (ut scribis) audio venisse, & rediisse prid. Id. Philotimum, ut ais epistola tertia, expectabas. At ille Idibus à me profectus

est. Eò serius ad tuam illam epistolam, cui ego statim rescripseram, reddita sunt meæ literæ. De Domitio (ut scribis) ita opinor esse, ut & in Cosano sit, & consiliū eius ignoretur. Iste omnium turpissimus & fordidissimus, qui cōsularia comitia à Prætore ait haberi posse, est idem qui semper in Repub. fuit. Itaque nimirum hoc illud est, quod Cæsar scribit in ea epistola, cuius exemplum ad te misi, se velle uti cōsilio meo: age esto hoc commune. GRATIA: ineptum id quidem, sed puto hoc simulat ad quasdam Senatorum sententias. DIGNITATE: fortasse sententia consularis. Illud extremum est, OPE omnium rerum: id ego suspicari cœpi tum ex tuis literis, aut hoc ipsum esse, aut non multò secus. nam permagni eius interest, rem ad interregnum non venire. Id assequitur, si per Prætores Consules creantur. Nos autem in libris habemus, non modò Consules à Prætoribus, sed ne Prætores quidem creari ius esse, idque factum esse nunquam: Consules, eò non esse ius, quòd maius imperium à minore rogari nō sit ius: Prætores autem, cum ita rogentur, ut collegæ Cōsulum sint, quorum est maius imperium. Aberit non longè, quin hoc à me decerni velit, neque sit contentus Galba, Scæuola, Cæsius, Antonio: *ποτέ μοι χάρις ἔδρα χράν*. Sed quanta tempestas impendeat, vides. Qui tranierint Senatores, scribam ad te, cum certum habebō. De re frumentaria rectè intelligis, quæ nullo modo administrari sine vectigalibus potest: nec sine causa & eos, qui circum illum sunt, omnia postulantes, & bellū nefarium times. Trebatium nostrum, etsi (ut scribis) nihil bene sperat, tamen videre sanè velim. Quem fac hortaris, ut properet: opportunè enim ad me ante aduentum Cæsaris venerit. De Lanuino statim ut audiui Fameam mortuum, optaui, si modò esset futura Respub. ut id aliquis emerit meorum: neque tamen de te, qui maximè meus, cogitaui: sciebam enim de quo toto anno, & quantum in solo solere quærere: neque solum Romæ, sed etiam delictum digamma viderem. Veruntamen ego illud, quāquam est bellum, minoris æstimo, quam æstimabatur Marcellino cōs. cum ego istos hortulos propter domū, Antii quam tum habebam, iucundiores mihi fore putabam, & minore impensa, quam si Tusculanum refecissem. volui hsc q. egi per prædem, illi daret, Antii cum haberet venale: noluit. Sed nunc omnia ista iacere puto propter numerorum caritatem. Mihi quidem erit apertissimum, vel nobis potius, si tu emeris: sed eius demencias caue contempnas: valde est venustum. Quanquam mihi ista omnia iam addicta vastitati videntur. Respondi epistolis tribus. Sed expecto tuas: nam me adhuc tuæ literæ sustentarunt. D. Liberalibus.

CICERO ATTICO S.

NIL habebam, quod scriberem: neque enim noui quicquam audieram, & ad tuas omnes rescripseram pridie. Sed cum me ægritudo non solum somno priuaret, verum ne vigilare quidē sine summo dolore pateretur: tecū ut quasi loquerer, in quo vno acquiesco, hoc nescio quid, nullo argumento proposito, scribere institui. Amens mihi fuisse videor à principio, & me vna hæc res torquet, quòd non omnibus in rebus labentem, vel potius ruentem Pompeium tāquam vnus manipularis secutus sim. Vidi hominem XIIII. Calend. Febr. plenum formidinis. illo ipso die sensi quid ageret. nunquam mihi postea placuit, nec vnquā aliud in alio peccare destitit. Nihil interim ad me scire, nihil nisi fugā cogitare. quid quæris: sicut *ἐν τοῖς ἐπαρτηνοῖς* alienantur immūda, insulsa, indecora: sic me illius fugæ negligentiaque deformitas auertit ab amore. nihil enim dignū faciebat, quare eius fugæ comitem me adiungerem. Nunc emergit amor: nunc desiderium ferre non possum: nūc mihi nihil libri, nihil literæ, nihil doctrina prodest. Itaque dies & noctes, tanquam auis illa, mare prospecto, euolare cupio. Do, do pœnas temeritatis meæ. Etsi quæ fuit illa temeritas: quid feci non consideratissimè? si enim nihil præter fugam quæreretur, fugissem libentissimè: sed genus belli crudelissimi & maximi, quod nōdum videt homines quale futurum sit, perhorruī. Quæ minæ municipiis: quæ nominatim viris bonis: quæ denique omnibus, qui remansissent: quàm crebrò illud, Sulla potuit, ego non potero? Mihi autē hæserunt illa, Malè Tarquinius, qui Porsenam;

qui Octavius Manilius contra patriam: impiè Coriolanus, qui auxilium petiit à Volscis: rectè Themistocles, qui mori maluit: nefarius Hippas, Pisistrati filius, qui in Marathonis pugna cecidit, arma contra patriam ferens. At Sulla, at Marius, at Cinna rectè, immò iure fortasse. Sed quid eorum victoria crudelius? quid funestius? huius belli genus fugi, & eò magis, quòd crudeliora etiam cogitari & parari videbam. Me, quem nonnulli conservatorem istius Urbis, quem parentem esse dixerunt, Getarum & Armeniorum & Colchorum copias ad eam adducere? me meis civibus famem, vastitatem inferre Italiae? hunc primum mortalem esse, deinde etiam multis modis posse extinguere cogitabam: Urbem autem & populum nostrum servandum ad immortalitatem, quantum in nobis esset, putabam. Et tamen spes quaedam me obtentabat, fore ut aliquid conveniret potius, quam aut hic tantum sceleris, aut ille tantum flagitii admitteret. Alia res nunc tora est, alia mea. Sol (ut est in tua quadam epistola) excidisse mihi è mundo videtur. Ut ægroto, dum anima est, spes esse dicitur: sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti. Hæc me fefellerunt, & (ut verum loquar) ætas iam à diuturnis laboribus deversa ad otium, domesticarum me rerum delectatione molliuit. Nunc siue periculo experiendum erit, experiar certè, ut hinc auolem: antè oportuit fortasse: sed ea, quæ scripsisti, me tardarunt, & auctoritas maximè tua. nam cum ad hunc locum venissem, euolui volumè epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo, servoque diligentissimè. Erat igitur in ea, quam x. Calend. Febr. dederas hoc modo, **S E D** videamus, & Cneus quid agat, & illius rationes quorsum fluant. Quòd si iste Italiam relinquet, faciet omnino malè, & (ut ego existimo) ἀλόγως: sed tum demum consilia nostra commutanda erunt. Hoc scribis post diem quartum, quàm ab Urbe discessimus. Deinde **V I I I**. Calend. Febr. **T A N T V M M O D O** Cneus noster ne, ut Urbem ἀλόγως relinquit, sic Italiam relinquat. Eodem die das alteras literas, quibus mihi consulenti planissimè respondes: est enim sic, **S E D** venio ad consultationem tuam. Si Cneus Italia cedit, in Urbem redeundum puto: qui enim finis peregrinationis? Hoc mihi planè hæsit. Et nunc ita video, infinitum bellum iunctum miserima fuga, quam tu peregrinationem ἀποκοιλι. sequitur χηνησις **V I**. Calend. Febr. **E G O**, si Pompeius manet in Italia, nec res ad pacem venit, longius bellum puto fore: sin Italiam relinquit, ad posterum bellum ἀσπονδον strui existimo. Huius igitur belli ego particeps & socius & adiutor esse cogor, quod & ἀσπονδον, & cum civibus. Deinde **V I**. Id. Febr. cum iam plura audires de Pompeii consilio, concludis epistolam quandam hoc modo, **E G O** quidem tibi non sum auctor, si Pompeius Italiam relinquit, te quoque profugere: summo enim periculo facies, nec Reipub. proderis: cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris. Quem φιλόπατρις, ac πολιτικὸν hominis prudentis & amici tali admonitu non moueret auctoritas? Deinceps **I I I**. Id. Febr. iterum mihi respondes consulenti, sic, **Q U O D** quæris à me fugamne fidem, an moram deferendam utiliore putem: ego verò in præsentia subitum discessum, & præcipitè profectioem cum tibi, tum ipsi Cneo inutilem & periculosam puto: & fatius esse existimo, vos dispartitos, & in speculis esse. Sed mediisfidius turpe nobis puto esse de fuga cogitare. Hoc turpe Cneus non biennio antè cogitavit: ita Sullaturit animus eius, & proscripserit iandiu. Inde, ut opinor, cum tu ad me quædam ἡλικώτερον scripsisses, & ego mihi à te quædam significari putassem, ut Italia cederem: detestaris hoc diligenter **X I**. Calèd. Mart. **E G O** verò nulla epistola significavi, si Cneus Italia cederet, ut tu vnà cederes: aut si significavi, non dico fui inconstans, sed demens. In eadem epistola alio loco, **N I H I L** relinquitur, nisi fuga: cui te socium neutiquam puto esse oportere, nec vnquam putavi. Totam autem hanc deliberationem euoluis accuratius in literis **V I I I**. Cal. Mart. datis, **S I** M. Lepidus & L. Volcatius remanent, manendum puto, ita ut, si saluus sit Pompeius, & constitit alicubi, hanc νεκρία relinquant, & te in certamine vinci cum illo facilius patiaris, quàm cum hoc in ea, quæ perspicitur, futura colluie regnare. Multa disputas huic

sententiæ conuenientia. Inde ad extremum, **Q U I D** si, inquis, **L E P I D V S** & Volcatius discedunt: planè ἀπορω. Quod euenerit igitur, & quod egeris, id περιτέον putabo. Si tum dubitares, nunc certè non dubitas istis manentibus. Deinde in ipsa fuga **V**. Cal. Mart. **44** **I N T E R E A** non dubito quin in Formiano mansurus sis: commodissimè enim ὁ μέλλον ibi καθεδουκίης, ad Cal. Mart. cum ille quintum diem Brundisii esset. **T V M** poterimus delibera re, non scilicet integrare, sed certè minus infracta, quàm si vnà proieceriste. Deinde **I I I I**. Non. Mart. **ἄπο πλὴν** cum breuiter scriberes, tamen ponis hoc, **C R A S** scribam plura, & ad omnia. Hoc tamen dicam, non pœnitere me consilii de tua mansione: & quanquam magna sollicitudine, tamè quia minus mali puto esse, quàm in illa profectioe, maneo in sententia, & gaudeo te mansisse. Cum verò iam angerer, & timerem nequid à me dedecoris esset admissum, **I I I**. Non. Mart. **T A M E N** te non esse vnà cum Pompeio, non fero molestè. Postea si opus fuerit, non erit difficile: & illi, quoquo tempore fiet, erit ἀσμενίσον. Sed hoc ita dico, si hic qua ratione initiū fecit, eadem cætera agat, syncerè, temperatè, prudenter, valde videro, & cōsideratius utilitati nostræ consulero. **V I I**. Id. Mart. scribis, Pедуco quoque nostro probari, quòd **45** quierim: cuius auctoritas multum apud me valet. His ego tuis scriptis me consolor, ut nihil à me adhuc delictum putè. Tu modò auctoritatem tuam defendito, aduersus me *** nihil** opus esse, conscius ego aliis. Ego, si nihil peccaui, reliqua tuebor. Ad ea tute hortare, & me omnino tua cogitatione adiuua. Hic nihilum de reditu Cæsaris audiebatur. Ego his literis hoc tamen profeci: perlegi omnes tuas, & in eo acquieui. Lentulum nostrum scis Puteolis esse: quod cum è viatore quodam esset auditum, qui se diceret, eum in Appia, cum is paulum lecticam aperuisset, cognosse, etsi vix verisimile, nisi tamen Puteolos pueros, qui peruestigarent, & ad eum literas. Inuentus est vix, in hortis suis se occultans, literasque mihi remisit, mirificè gratias agens Cæsari: de suo autem consilio C. Cæcio mandata ad me dedisse. Eum ego hodie expectabam, id est **X I I I**. Cal. April. **46** Venit etiam ad me Matus Quinquatribus, homo mehercule, ut mihi visus est, temperatus & prudens: existimatus quidem est semper auctor otii. Quàm ille hæc non probare mihi quidem visus est: quàm illam νεκρία (ut tu appellas) timere: huic ego in multo sermone epistolam ad me Cæsaris ostendi, eam, cuius exemplum ad te antea misi: rogauique, ut interpretaretur quid esset quod ille scriberet, consilio meo se uti velle, gratia, dignitate, ope rerum omnium. Respondit, se non dubitare quin & opem & gratiam meam ille ad pacificationem quæreret. Utinam aliquod in hac miseria Reipub. πολιτικὸν opus efficere & nauare mihi liceat. Matus quidem & illum in ea sententia esse confidebat, & se authorem fore pollicebatur. Pridie autè apud me Crasippus fuerat, qui se prid. Non. Martii Brundisio profectum, atque ibi Pompeium reliquisse dicebat: **47** quod etiam, qui **V I I I**. Id. illinc profecti erant, nuntiabant: illa verò omnes, in quibus etiam Crasippus, qui prudentia potuit attendere sermones, minaceis inimicos optimatum, municipiorum hosteis, meras proscriptiones, meros Sullas: quæ Luceium loqui, quæ totam Græciam, quæ verò Theophanem: & tamen omnis spes salutis in illis est: & ego excubo animo, nec partem vllam capio quietis: & ut has pestes effugiam, cum dissimillimis nostri esse cupio. quid enim tu illuc Scipionem, quid Faustum, quid Libonem prætermisurum sceleris putas? quorum creditores conuenire dicuntur. Quid eos autem, cum vicerint, in ciues effecturos? quam verò putas μακροβουλία Cnei nostri esse: nuntiant Aegyptum & Arabiam βιδαίμονα cogitare, Hispaniam abieciße. Monstra narrant: quæ falsa esse possunt. sed certè & hæc perdita sunt, & illa non salutaria. Tuas literas iam desidero. Post fugam nostram, nunquam iam nostrum earum interuallum **48** fuit. Misi ad te exemplum literarum mearum ad Cæsarem, quibus me aliquid profecturum puto. Vale.

C I C E R O I M P. S. D. C A E S A R I I M P.

ut legi tuas literas, quas ab Furnio nostro acceperā, quibus mecum agebas, ut ad Vr-
Z.i.

bem essem, te velle vti consilio & dignitate mea, minus sum admiratus: de gratia & de ope quid significares, mecum ipse quærebam: spe tamen deducebar ad eam cogitationem, vt te pro tua admirabili ac singulari sapientia de otio, de pace, de concordia ciuium agi velle arbitrarer: & ad eam rationem existimabam satis apta esse & naturam & personam meam. quod si ita est, & si qua de Pompeio nostro tuendo, & tibi ac Reip. reconciliando cura te attingit: magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profectò reperies neminem, qui & illi semper, & fenatui, cum primùm potui, pacis author fui: nec sumptis armis belli vllam partem attingi: iudicauique te eo bello violari, contra cuius honorem populi Rom. beneficio concessum inimici atque inuidi niterentur. sed vt eo tempore non modò ipse author dignitatis tuæ fui, verùm etiam cæteris author ad te adiuuandum: sic me nunc Pompeii dignitas vehementer mouet: aliquot enim sunt anni, cum vos duos delegi, quos præcipue colerem, & quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem à te peto, vel potius precibus omnibus oro & obtestor, vt in tuis maximis curis aliquid impertias tēporis huic quoque cogitationi, vt tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim. quæ si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me à te tamen impetraturum: sed vt arbitror, & ad tuam fidem & ad Rempub. pertinet, me & pacis vtriusque vestrū, & ad ciuium concordiam, per te, quam accommodatissimum conseruari. Ego, cum antea tibi de Lentulo gratias egissem, cum ei salutem, qui mihi fuerat, fuisses: tamen eius literis lectis, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate, beneficioque misit, eandem me salutem à te accepisse putavi, quam ille. in quē si me intelligis esse gratum, cura obsecro vt etiam in Pompeium esse possim. Vale.

CICERO ATTICO S.

LEGE B A M tuas literas XIII. Calend. cum mihi epistola affertur à Lepta, circumualatum esse Pōpeium, ratibus etiam exitus portusteneri. Non mediussidius præ lachrymis possum reliqua nec cogitare, nec scribere. nisi ad te exemplum. Miseros nos, cur non omnes fatum illius vnā executi sumus? Ecce eadē à Matio & Trebatio: quibus Minurnis obuui Cæsaris tabellarii. Torqueor infelix, vt iam illum Mutianum exitum exoptem. At quàm honesta, at quàm expedita tua consilia: quàm euigilata tuis cogitationibus: quàm itineris, quàm nauigationis, quàm congressus, sermonisque cum Cæsare! Omnia tum honesta, tum cauta. In Epeirum verò inuitatio quàm suavis, quàm liberalis, quàm fraterna? De Dionysio sum admiratus: qui apud me honoratior fuit, quàm apud Scipionem Panætius: à quo impurissimè hæc nostra fortuna despecta est. Odi hominem, & odero: vtinam vlcisci possim: sed illum vlciscetur mores sui. Tu quæso nunc vel maximè, quid agendum nobis sit, cogita. Populi Ro. exercitus Cn. Pompeium circumfidet: fossa & vallo septum tenet: fuga prohibet. Nos viuimus, & stat vrbs ista: Prætores ius dicunt: AEdiles ludos parant: viri boni vsuras perscribunt: ego ipse sedeo: coner illic ire, vt infanus: implorare fidem municipiorum: boni non sequuntur: leues irridebunt: rerum nouarum cupidi, victores præsertim, & armati, vim & manus afferēt. Quid censes igitur: & quidnam est tui consilii ad finis huius miserrimæ vitæ? nunc doleo, nunc torqueor, cum quibusdam aut sapiens videor, quod vnā non ierim, aut felix fuisse: mihi contra: nunquam enim illius victoriæ focius esse volui, calamitatis mallet fuisse. Quid ego nunc tuas literas, quid tuam prudentiam aut benevolentiam implorem: actum est. nulla re iam possum iuari, qui nequid optem quidē iam habeo, nisi vt aliqua inimici misericordia liberetur. *ὅτι ἐστὶ ἐπιμυς λόγος* (vt opinor) ille de ratibus. quid enim est, quod Dolabella iis literis, quas 111. Id. Mart. à Brundusio dedit, hanc *βήμιελας* quasi Cæsaris scriberet, Pompeium in fuga esse, eumque primo vento nauigaturum: quod valde discrepat ab iis epistolis, quarum exempla antea ad te misi. Hic quidem mera scelera loquuntur: sed non erat nec recentior author, nec huius rei quidem melior Dolabella. Vale.

hūmilitate, utique ad iudicium CICERO ATTICO s. hūmilitate, utique ad iudicium
 53 T V A S XI. Calend. accepi literas, quibus omnia cōsilia differs in id tempus, cum scierimus quid actum sit. Et certè ita est: nec interim potest quicquam statui, ne cogitari quidem. Quamquam hæc mihi literæ Dolabellæ iubent ad pristinas cogitationes reuerti: fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua ego illum vsū puto.
συνάγωγῃ consiliorum tuorum non est à me collecta ad querelam, sed magis ad consolationem meam. nec enim me tam hæc mala angebant, quàm suspicio culpæ ac temeritatis meæ. Eam nullam puto esse, quoniam cum consiliis tuis mea & facta & consilia consentiunt. Quod mea prædicatione factum esse scribis magis, quàm illius merito, vt tantum ei debere viderer: est ita. Ego illum extuli semper, & eò quidem magis, nequid ille superiorum meminisse me putaret. Quæ si maximè meminissem, tamen illius temporis similitudinem iam sequi deberem. Nihil me adiuuit, cum posset: & postea fuit amicus, & tam valde, & quam ob causam, planè scio. Ergo ego quoque illi. Quin
 * etiam illud par in vtroque nostrū, quod ab eisdem ille cti sumus. Sed vtinam tantum ego ei prodesse potuissem, quantum ille mihi potuit. Mihi tamen, quod fecit, est gratissimum. Nec ego cum nunc iuuare quare possim, scio: nec si possem, cum tam pestiferum bellum pararet, adiuuandum putarem. Tantum offendere animum eius hinc manens nolo. Nec me hercule ista videre, quæ tu potes iam animo prouidere, nec interesse istis malis possem. Sed eò tardior ad discedendum fui, quod difficile est de discessu voluntario sine vlla spe reditus cogitare: nam ego hunc ita paratum video peditatu, equitatu, classibus, auxiliis Gallorum, quos Matius *ἐσάλπειν* (vt puto) sed certè dicebat, peditum, equitum se polliceri sumptu suo annos decem. Sed sit hoc *λεπίσμα*. Magnas habet
 55 certè copias, & habebit non ille vectigal, sed ciuium bona. Adde confidentiam hominis, adde imbecillitatem bonorum virorum, qui quidē, quod illum sibi meritò iratum putant, oderunt. Vt tu scribis ludum. Ac vellem, scribis, quisnam hæc significasset. Sed & iste, quia plus ostenderat, quàm fecit, & vulgò illum, qui amarunt, non amant. Municipia verò, & rustici Romani illum metuunt: hunc adhuc diligunt. quare ita paratus est, vt, etiam si vincere non possit, quomodo tamen ipse vinci possit, non videam. Ego autem non tā *σοφίταις* huius timeo, quàm *πρῶταν ἀγάκη*: αἱ γὰρ τῶν τυραννῶν δεήσις, inquit *Γλάτων, οἷα δ' ὅτι μεμυγμένα ἀγάκης*. illa ἀλίμυρα video tibi non probari: quæ ne mihi quidem placebant: sed habebam in illis & occultationē & *καθηρέσαι* fidelem. quæ si mihi Brundusii suppetant, mallet. Sed ibi occultatio nulla est. Verum (vt scribis) cum scimus. Viris bonis me non nimis excuso. quas eos enim cœnas & facere & obire scripsit ad me
 56 Sextus: quàm lauras, quàm tempestiuas: sed sint quauis boni: non sunt meliores, quàm nos: mouerent me, si essent fortiores. De Lanuino Phameæ erravi: Troianum somniaueram. Id ego volui Q. sed pluris est. Istud tamen cuperem emerere, si vllam spem fruendi viderem. Nos quæ monstra quotidie intelligamus, ex illo libello, qui in epistolam coniectus est. Lentulus noster Puteolis est, *ἀθημονῶν*, vt Cæcius narrat. Quid agat? *Δι' Ἐπιπύ* Corfniensem reformidat: Pompeio nunc putat satisfactum: * beneficio Cæsaris mouetur: sed tamen mouetur magis prospecta re, nec hæc posse ferre. Omnia misera: sed hoc nihil miserius. Pompeius Cn. Magium de pace misit, & tamen oppugnatur, quod ego non credebam. Sed habeo à Balbo literas, quarum ad te exemplum misi. Lege, quæso, & illud infimum caput ipsius Balbi optimi, cui
 57 Cneus noster locum, vbi hortos ædificaret, dedit: quem cui nostrū non sæpe prætulit: itaque miser torquetur. Sed, ne bis eadem legas, ad ipsam te epistolam reiicio. Spem autem pacis habeo nullam. Dolabella suis literis Idib. Martii datis merum bellum loquitur. Maneamus ergo in illa eadem sententia misera & desperata, quando hoc miserius esse nihil potest.

BALBUS CICERONI IMP. S.

CAESAR nobis literas per breues misit, quarum exemplū subscripsi. Breuitate epistolæ. Z.ii.

stola scire poteris eum valde esse dissentū, qui tanta de re tam breuiter scripserit. Siquid præterea noui fuerit, statim tibi scribam. Cæsar Oppio Cornelio s. Ad v. Id. Mart. Brundisium veni: ad murum castra posui. Pompeius est Brundisii: misit ad me Cn. Magium de pace, quæ visa sunt, respondi. Hoc vos statim scire volui. Cum in spem venero de compositione aliquid me conficere, statim vos certiores faciam. Valet. Quomodo me nunc putas mi Cicero torqueri, postquam rursus in spem pacis veni, nequa res compositionem eorum impediatur: namque, quod absens facere possum, opto. quod si vnâ essem, aliquid fortasse proficere possem. Nunc expectatione crucior. Vale.

CICERO ATTICO S.

MISERAM ad te VIII. Cal. exemplum epistolæ Balbi ad me, & Cæsarum ad eum. Ecce tibi eodem die Capua literas accepi ab Q. Pedio, Cæsarum ad se prid. Id. Mart. misisse literas hoc exemplo, Pompeius se oppido tenet. Nos ad portas castra habemus: conamur opus magnum, & multorum dierum propter altitudinem maris: sed tamen nihil est quod potius faciamus. Ab utroque portus cornu moleis iacimus, ut aut illum quamprimùm traicere quod habet Brundisii copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus.

Vbi est illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se: ecquid acerbius? ecquid crudelius: atque eum loqui quidam *ἀδελφικῶς* narrant, Cn. Carbonis, M. Bruti se pœnas persequi, omniumque eorum, in quos Sulla crudelis hoc socio fuisset: nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce fecisset: ad ambitionem, quibus exilii pœna superioribus legibus non fuisset, ab illo patriæ proditores de exilio reductos esse: quæri de Milone per vim expulso: neminem tamen se violaturum, nisi qui arma hæc contra. Bebius quidem à Curione III. Id. profectus, homo non infans, sed quis vlli non dicat? planè nescio quid agam. Illinc quidem Cneum profectum puto. Quicquid est, biduo sciemus. A te nihil ne antè prorsus quidem quid literarum: nec mirum: quid enim est quod scribamus: ego tamen nullum diè prætermitto. Scripta epistola, literæ mihi ante lucem à Lepta Capua redditæ sunt Idib. Mart. Pompeium à Brundisio conscendisse, ac Cæsarum ad V. Id. Calend. April. Capuæ fore. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM dedissem ad te literas, ut scires Cæsarum Capuæ V. Id. Cal. fore, allatæ mihi sunt literæ, eum in Albano apud Curionem V. Calend. fore. Eum cum videro, Arpinum pergam. si mihi veniam, quam peto, dederit, utar conditione: sin minus, impetrabo aliquid à me ipso. Ille, ut ad me scripsit, legiones singulas posuit Brundisii, Tarëti, Siphontis. claudere mihi videtur maritimos exitus, & tamè ipse Græciam spectare potius, quam Hispanias, sed hæc longius absunt. Me nunc & congressus huius stimulat (is verò adest) & primas eius actiones horreo: volet enim (credo) s. c. facere: volet Augurum decretum: rapiemur, aut absentes vexabimur, vel ut Consules roget Prætor, vel Dictatorem dicat, quorum neutrum ius est. at si Sulla potuit efficere, ab interrege ut Dictator diceretur, & magister equitum, cur hic non possit: nihil expedio, nisi ut aut ab hoc tanquam Q. Mutius, aut ab illo tanquam L. Scipio. Cum tu hæc leges, ego illum fortasse conuenero. *τὴν δὲ κώντερον*, ne illud quidem nostrum proprium. erat enim spes propinqui reditus, erat hominum querela: nunc exire cupimus, qua spe reditus, mihi quidem nunquam in mentem venit. non modò autem nulla querela est municipalium hominum ac rusticorum, sed contra metuunt ut crudelem, iratum. nec tamen mihi quicquid est miserius, quam remansisse: nec optatius, quam euolare, non tam ad belli, quam ad fugæ societatem. sed tu omnia consilia differebas in id tempus, cum sciremus quæ Brundisii acta essent, scimus nempe: hæremus nihilominus: vix enim spero mihi huc veniam daturum: etsi multa affero iusta ad impetrandum. Sed tibi omnem illius meumque sermonem omnibus verbis expressum statim mittam. Tu nunc omni amore enitere, ut nos cura tua & prouidentia iuues. Ita subito accurrit, ut ne Trebatium quidem, ut constitueram, possim videre. omnia nobis imparatis agenda, sed tamen *ἀλλὰ μὲν ἀδελφῶν*,

ut ait ille, *ἀλλὰ δὲ καὶ δαίμων ἔσσοι μοι*. quicquid egero, continuo scies. Mandata Cæsarum ad Consules & ad Pompeium quæ rogas, nulla habeo: quæ descripta attulit, illa è via mihi ad te, è quibus mandata puto intelligi posse. Philippus Neapoli est, Lentulus Puteolis. De Domitio, ut facis, sciscitare vbi sit, quid cogitet. Quod scribis asperius me, quam mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse: vide, quam sim antiquorum hominum. te mediussidius hanc rem grauius putauit laturum esse, quam me: nam præterquam quod te moueri arbitror oportere iniuria, quæ mihi à quoquam facta sit: præterea te ipsum quodam modo hic violauit, cum in me tam improbus fuit: sed tu id quanti æstimas, tuum iudicium est: nec tamè in hoc tibi quicquam oneris impono: ego autem illum malè sanum semper putauit, nunc etiam impurum & sceleratum puto, nec tamen mihi inimiciorem, quam sibi. Philargyro bene: causam certè habuisti & veram & bonam: relictum esse me potius, quam reliquisse. Cum dedissem iam literas ad V. Id. Cal. quos cum Matio pueros, & Trebatium miseram, epistolam mihi attulerunt hoc exemplo.

Matius & Trebatius Ciceroni Imperatori S.

CUM Capua existemus, in itinere audiui Pompeium Brundisio ad X. V. Id. Cal. April. cum omnibus copiis, quas habuerat, profectum esse: Cæsarè postero die in oppidum introisse, concionatum esse, inde Romam contendisse, velle ante Cal. esse ad Urbem, & paucos dies ibi commorari, deinde in Hispanias proficisci. nobis non alienum visum est, quoniam de aduentu Cæsarum pro certo habebamus, pueros tuos ad te remittere, ut id tu quamprimùm scires. Mandata tua nobis curæ sunt. eaque, ut tempus postularit, agemus. Trebatius Scæuola facit, ut antecedit. Epistola conscripta nunciatum est nobis, Cæsarum ad V. Id. Cal. Capuæ, ad V. Id. Sinuessæ. hoc pro certo putamus. Vale.

CICERO ATTICO S.

CVM quid scriberem ad te nihil haberem, tamen, ne quem diem intermitterem, has dedi literas. Ad VII. Cal. Cæsarum Sinuessæ mansurum nunciabant. ab eo mihi literæ redditæ sunt ad V. Id. Cal. quibus iam opes meas, non, ut in superioribus literis, opem expectat. cum eius clementiam Corfiniensem illam per literas collaudauissem, rescripsit hoc exemplo. Cæsar imp. Ciceroni Imp. s. Rectè auguraris de me (bene enim tibi cognitus sum) nihil à me abesse longius crudelitate. atque ego cum ex ipsa re magnum capio voluptatè, tum meum factum probari abs te triumpho & gaudeo. neque illud me mouet, quod ii, qui à me dimissi sunt, discessisse dicuntur, ut mihi rursus bellum inferret: nihil enim malo, quam & me mei simile esse, & illos sui. Tu velim mihi ad Urbem præsto sis, ut tuis consiliis atque opibus (ut consueui) in omnibus rebus utar. Dolebellam tuo nihil scito mihi esse iucundius. hanc adeò habebo gratiam illi: neque enim aliter facere poterit: tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est beneuolentia. Vale.

CICERO ATTICO S.

TREBATIUM VI. Calend. quo die has literas dedi, expectabam. ex eius nuntio, Matique literis meditabor, quo modo cum illo loquar. ò tempus miserum. nec dubito quin à me contendat ad Urbem veniam: Senatam enim Calend. velle se frequentem adesse, etiam Formis proscribi iussit. Ergo ei negandum est? sed quid præcipere statim ad te perscribam omnia. ex illius sermone statuam, Arpinumne mihi eundem sit, an quò aliò. Volo Ciceroni meo togam puram dare, istic puto. tu quæso cogita quid deinde: nam me hebetem molestiæ reddiderunt. A Curio, velim scire ecquid ad te scriptum sit de Tirone: ad me enim ipse Tiro ita scripsit, ut verear quid agat. qui autem veniunt inde, id modò nuntiant. sanè in magnis curis etià hæc me sollicitant: in hac enim fortuna perutilis eius & opera & fidelitas esset.

CICERO ATTICO S.

UTRINQUE ex tuo consilio: nam & oratio fuit ea nostra, ut bene potius ille de nobis existimaret, quam gratias ageret: & in eo maximum, ne ad Urbem. illa sefellerunt, facile quod putaramus: nihil vidi minus. danari se nostro iudicio: tardiores fore reliquos, Z.iii.

si in his nō veniremus, dicere, ego, dissimilē illorum esse causam. Cū multa, Veni igitur, & age de pace. Meōne, inquā, arbitratu? An tibi, inquit, ego præscribam? Sic, inquam, agam, senatui non placere in Hispanias iri, nec exercitus in Græciam transportari, multaque inquam de Cneo deplorabo. Tum ille, Ego verò ista dici nolo. Ita putabam, inquam. Sed ego eò nolo adesse, quòd aut sic mihi dicendum est, multaque, quæ nullo modo possem silere, si adessem: aut non veniendum. summa fuit, ut ille quasi exitum quærens, ut deliberarē. non fuit negandum. ita discessimus. Credo igitur hunc me non amare. at ego me amavi, quod mihi iam pridem vsu non venit. Reliqua òdii, qui comitatus, quæ, ut tu soles dicere, *κεκὴν*, in qua erat Eros Celeri. O rem perditam, ò copias desperatas! Quid? Seruii filius. quot in his castris fuerunt, quibus Pompeius circumfideretur? sex legiones. multum vigilat, audet. nullum video finē mali. nunc certè promenda tibi sunt consilia. hoc fuerat extremum. illa tamen *κατὰ χρισίς* illius est odiosa, quam penè præterii: si sibi consiliis nostris uti non liceret, vsurum quorum posset, ad omniaque esse descensurum. Vidisti igitur virum, ut scripseras? ingemisti? certè. cedo reliqua. quid? continuo ipse in Puteolanum, ego Arpinum. inde expecto quidē *ἀλλὰ τέλει* illam tuam. Tu (malum) inquires, actum ne agas. etiam illum ipsum, quem sequimur, multa fefellerunt. Sed ego tuas literas expecto: nihil est enim iam, ut antea, *VIDEAMVS HOC QVORSVM EVADAT*. Extremum fuit de cōgressu nostro. quo quidem non dubito quin istum offenderim. eò maturius agēdum est. amabo te epistolam & *πολιτικῶ*. valde tuas literas nunc expecto. Vale.

CICERO ATTICO S.

E G O meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi: idque municipibus nostris fuit gratum. etsi omnes, & illos, & qua iter feci mœstos, afflictosque vidi: tam tristis, & tam atrox est *δὸς δὲ ὀρησίς* huius ingentis mali. delectus habetur. in hyberna deducuntur. ea quæ, etiam cū a bonis viris, cū iusto in bello, cū modestè fiunt, tamen ipsa per se molesta sunt: quàm censes acerba nūc esse, cū a perditis, in civili nefario bello, petulantissimè fiant: caue autem putes quēquam hominem in Italia turpem esse, qui hinc absit. vidi ipse Formiis vniuersos: neque mehercule unquam homines putavi: & noram omnes, sed nunquam vno loco videram. Pergamus igitur quòd placet, & nostra omnia relinquamus: proficiscamur ad eum, cui gratior noster aduentus erit, quàm si vnā fuisset: tum enim eramus in maxima spe: nunc ego quidem in nulla: nec præter me quisquam Italia cessit, nisi qui hunc inimicum sibi putaret. nec mehercule hoc facio Reipub. causa, quam funditus deletam puto, sed nequis me putet ingratum in eum qui me leuavit iis incommodis, quibus idem affecerat: & simul quòd ea quæ fiunt, aut quæ certè futura sunt, videre non potero. Etiam equidem s. c. facta quædam iam puto: utinam in Volcatii sententiā. sed quid refert? est enim vna sententia omnium. sed erit immitissimus Seruius, qui filium misit ad affligendum Cn. Pompeium, aut certè capiendum, cum Pontio Titiniano. etsi hic quidem timoris causa, ille verò. sed stomachari desinamus, & aliquando sententiam terminemus, ut nihil noui, nisi id quod minimum vellem, spiritum reliquum esse. Nos, quoniam superum mare obsidetur, infero nauigabimus: & si Puteolis erit difficile, Crotonem petemus, aut Thurios, & boni ciues amantes patriæ mare infestum habebimus. aliam rationem huius belligerendi nullā video. in Aegyptum nos abdimus. exercitu pares esse non possumus. pacis fides nulla est. sed hæc satis deplorata sunt. Tu velim literas Cephalonides de omnibus rebus actis, denique etiam de sermonibus hominum, nisi planè obmutuerūt. ego tuis consiliis vsus sum, maximè quòd & grauitatem in congressu nostro tenui, quam debui, & ad Urbem ut non accederem, perseueravi. Quod superest, scribe quæso quàm accuratissimè (iam enim extrema sunt) quid placeat, quid censeas: etsi iam nulla dubitatio est: tamen siquid, vel potius quicquid veniet in mentem, scribas velim. Vale.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD
T. POMPONIVM ATTICVM LIBER X.

CICERO ATTICO S.



ERTIO Non. cū in Laterium fratris venissem, accepi literas, & paulum respiravi, quod post has ruinas mihi non acciderat: per enim magni æstimo, tibi firmitudinem animi nostri, & factum nostrum probari. Sexto enim nostro quòd scribis probari, ita lætor, ut me quasi patris eius, cui semper vni tribui plurimum, iudicio comprobari putem: qui mihi, quod sæpe soleo recordari, dixit olim Nonis illis, illis Decēbribus, cū ego, Sexte, quidnam ergo? *Μὴ μάλ',* inquit ille, *ἀσπυδὸς γὰρ καὶ ἀκλῆδ' ἀπολαίμω,* *Ἀλλὰ μέγα ῥέξας, τὶ καὶ ἑσσομένοισι πύθομαι.* eius igitur mihi viuit autoritas, & similimus eius filius eodem est apud me pondere, quo fuit ille: quem saluere velim iubeas plurimum. tu tuum consilium etsi nō in longum tempus differs (iam enim illum emptum pacificatorem perorasse puto, iam actum aliquid esse in confesso Senatorum) tamen suspensum me detines, sed eò minus, quòd non dubito quid nobis agēdum putes. quid enim Flauio legionem & Siciliam dari scribis? & id iam fieri? quæ tu scelera partim parari, & iam cogitari, partim ex tempore futura censes? Ego verò Solonis popularis tui, & ut puto, etiam mei, legem negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterutrius partis fuisset (nisi tu aliter censes) & hinc abero, & filii: sed alterum mihi est certius: nec præripiam tamen: expectabo tuum consilium, & eas literas, nisi alias iam dedisti, quas scripsi ut Cephaloni dares. Quòd scribis, non quo alicunde audieris, sed te ipsum putare, me attractū iri, si de pace agatur: mihi omnino non venit in mentem, quæ possit actio esse de pace, cū illi certissimum sit, si possit, expoliare exercitu & prouincia Pompeium. nisi fortè iste summarius ei potest persuadere, ut, dum oratores eant & redeant, quiescat. nihil video quod sperem, aut quod iam putem fieri posse. sed tamen hominis hoc ipsum probi est, & magnum sit *τῶν πολιτικῶν ἀπολαίμων*, veniendumne sit in consilium tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit. Quare siquid eiusmodi euenerit ut accersamur: quod equidem non curo: quid enim essem de pace dicturus, dixi: ipse valde repudiavit: sed tamen siquid acciderit, quòd censeas mihi faciendum, utique scribito. nihil enim mihi adhuc accidit quod maioris consilii esset. Trebatii boni viri, & cuius verbis te gaudeo delectatum: tuaque ista crebra *ἐκ φωνῆς ἑσέρφ* me sola adhuc delectauit. Literas tuas vehementer expecto, quas quidem credo iam datas esse. Tu cum Sexto seruasti grauitatem eandem, quam mihi præcipis. Celer tuus disertus magis est, quàm sapiens. De iuuenibus, quæ ex Tullia audisti, vera sunt. M. Antonii istud quod scribis, non mihi videtur tam re esse triste, quàm verbo. hæc est *ἀλη*, in qua nunc sumus, mortis instar: aut enim mihi liberè inter malos *πολιτικῶν* fuit, aut vel periculose cum bonis, aut nos temeritatem bonorum sequamur, aut audaciam improborum insectemur. vtrunque periculosum est. at hoc quod agimus, & turpe, nec tamen tutum. Istum, qui filium Brundisium de pace misit, (de pace idem sentio quod tu, simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrimè) me legatum iri non arbitror, cuius adhuc (ut optavi) mentio facta nulla sit. eò minus habeo necesse scribere, aut etiam cogitare quid sim facturus, si acciderit, ut legarer. Vale.

CICERO ATTICO S.

E G O cū accepissem tuas literas Non. Apr. quas Cephalio attulerat, essemque Minturnis postridie mansurus, & inde protinus: sustinui me in Arcano fratris, ut dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus, agerenturque nihilo minus quæ sine nobis agi possunt. M M T E Y C A iam adest, & animus ardet: nec est quicquam, Z.iiii.

quò & quà : sed hæc nostra erit cura , & peritorum . tu tamen, quoad poteris, vt adhuc fecisti, nos consiliis iuuabis . res sunt inexplicabiles . fortunæ sunt committēda omnia . sine spe conamur vlla . melius siquid acciderit , mirabimur . Dionysium nolim ad me profectum, de quo ad me Tullia mea scripsit: sed & tempus alienum est, & homini non amico nostra incommoda, tanta præsertim, spectaculo esse nollem: cui te meo nomine inimicum esse nolo. Vale.

CICERO ATTICO S.

C V M, quid scriberem, planè nihil haberem, hæc autem reliqua essent, quæ scire cuperem, profectusne esset, quo in statu Urbem reliquisset, in ipsa Italia quem cuique regioni aut negotio præfecisset, & qui essent ad Pompeium & ad Consules ex s. c. de pace legati. Vt igitur hæc scirem, dedita opera has ad te literas misi. feceris igitur commode, mihi que gratum, si me de his rebus, & siquid erit aliud, quod scire opus sit, feceris certiore. ego in Arcano opperor, dum ista cognosco. Ad v 11. Id. alteram tibi eodem die hæc epistolam dictaui, & pridie dederam mea manu longiorem. Visum te aiunt in regia. nec reprehendo, quippe cum ipse istam reprehensionem non fugerim. sed expecto tuas literas: neque iam sanè video quid expectem: sed tamen, etiam si nihil erit, id ipsum ad me velim scribas. Cæsar mihi ignoscit per literas quòd non venerim, seseque in optimam partem id accipere dicit. facile patior, quòd scribis, secum Tullium & Seruium questos esse, quia non idem sibi quod mihi, remisisset. homines ridiculos, qui cum filios misissent ad Cn. Pompeium circumsidendum, ipsi in Senatum venire dubitarent. sed tamen exemplum misi ad te Cæsaris literarum. Vale.

CICERO ATTICO S.

M V L T A S à te accepi epistolas eodē die, omneis diligenter scriptas. ea verò, quæ voluminis instar erat sæpe legenda, sicuti facio: in qua non frustra laborè suscepisti: mihi quidem pergratum fecisti. quare, vt id, quoad licebit, id est quoad scies vbi sumus, quàm sapissimè facias, te vehementer rogo. At deplorandi quidem, quod quotidie facimus, sit iam nobis aut finis omnino, si potest: aut moderatio quædam, quod profectò potest: non enim quam dignitatem, quos honores, quem vitæ statum amiserim, cogito: sed quid consecutus sim, quid præstiterim, qua in laude vixerim: his denique in malis quid intersit inter me & istos, quos propter omnia amisimus: hi sunt, qui, nisi me ciuitate expulissent, obrinere se non posse putarūt licentiam cupiditatum suarum: quorum societas, & scelerata consensionis fides quòd eruperit, vides. alter ardet furore & scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingrauescit: modò Italia expulit: nūc alia ex parte persequi, ex alia prouincia spoliare conatur: nec iam recusat, sed quodammodo postulat, vt, quem admodum est, sic etiam appelletur tyrannus. alter, is qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne subleuabat quidem, qui se nihil contra huius voluntatem aiebat facere posse, elapsus è foci manibus, ac ferro, bellum terra & mari comparat, non iniustum ille quidem, sed tum pium, tum etiam necessarium, suis tamen ciuibus exitiabile, nisi vicerit: calamitosum etiam, si vicerit. Horum ego summorum imperatorum non modò res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur. quis enim potest aut deserta per se patria, aut oppressa beatus esse: & si (vt nos à te admonemur) rectè in illis libris diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum: nihil malum, nisi quod turpe sit: certè vterque istorum est miserimus, quorum vtrique semper patriæ salus & dignitas posterior sua dominatione & domesticis commodis fuit. Præclara igitur conscientia sustentor, cum cogito me de Repub. aut meruisse optimè, cum potuerim: aut certè nunquam, nisi diuinè, cogitasse, eaque ipsa tempestate euersam esse Rempub. quam ego x 1111. annis antè prospexerim. Hac igitur conscientia comite proficiscar, magno equidem cum dolore, nec tam id propter me aut propter fratrem meum, quorum iam acta ætas, quàm propter pueros: quibus interdum videmur præstare etiam Rempub. debuisse: quorum quidem alter

non tam quia maiore pietate est, me mirabiliter excruciat: alter (ò rem miseram, nihil enim mihi accidit in omni vita acerbius) indulgentia videlicet nostra deprauatus, eò progressus est, quò non audeo dicere: & expecto tuas literas: scripsisti enim te scripturum esse plurima, cum ipsum vidisses. omne meum obsequium in illum fuit cum multa feueritate: neque vnum eius, nec paruum, sed multa magna delicta compressi. patris autem lenitas amanda potius ab illo, quàm tam crudeliter negligenda. nam literas eius ad Cæsarem missas ita grauiter tulimus, vt te quidem celaremus: sed ipsius videmus vitam insuauem reddidisse. hoc verò eius iter, simulatioque pietatis qualis fuerit, non audeo dicere. tantum scio, post Hircium conuentum, accersitum ab Cæsare: cum eo de meo animo ab suis rationibus alienissimo, & consilio relinquendi Italiam, & hæc ipsa timidè: sed nulla nostra culpa est: natura metuēda est. Hæc Curionem, hæc Hortensii filium, non patrum culpa, corrupti. iacet in mœrore meus frater, neque tam de sua vita, quàm de mea metuit. Huic tu, huic tu malo affer consolationes, si vllas potes: maximè quidem illam velim, ea quæ ad nos delata sint, aut falsa esse, aut minora: quæ si vera sint, quid futurum sit in hac fuga, nescio. nam si haberemus Rempub. consilium mihi non deesset nec ad feueritatem, nec ad indulgentiam. hæc siue iracundia, siue dolore, siue metu permotus, grauius scripsi, quàm aut tuus in illum amor, aut meus postulabat: si vera sunt, ignoscas: si falsa, me libente eripies mihi hunc errorem. quoquo modo verò se res habeat, nihil assignabis nec patruo, nec patri. Cùm hæc scripsissem, à Curione mihi nuntiatum est, eum ad me venire: venerat enim is in Cumanum vesperi pridie, id est Idibus. siquid eius igitur sermo eiusmodi attulerit, quod ad te scribendum sit, id in literis adiungam. Præterit villam meam Curio, iussitque mihi nuntari mox se venturum: cucurratque Puteolos, vt ibi concionaretur. concionatus est: rediit: fuit ad me sanè diu. O rem foedam. nosti hominem: nihil occultauit: in primis nihil esse certius, quàm vt omnes, qui lege Pompeia condemnati essent, restituerentur: itaque se in Sicilia eorum opera vsurum. De Hispaniis non dubitabat quin Cæsaris essent. inde ipsum cum exercitu, vbicunque Pompeius esset: eius interitu finem belli fore: propius factum esse nihil: eum planè iracundia elatum, voluisse occidi Metellum Trib. pl. quod si esset factum, eadem magnam futuram esse: permultos hortatores esse cædis, ipsum autem non voluntate aut natura non esse crudelem, sed quòd putaret popularem esse clementiam: quòd si populi studium amisisset, crudelem fore: eumque perturbatum, quòd intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de ærario: itaque ei cum certissimum fuisset antè quàm proficisceretur, concionem habere, ausum non esse, vehementerque animo perturbato profectum. Cùm autem ex eo quærerè, quid videret, quod exemplum, quam Rempub. planè fatebatur, nullam spem reliquā: Pompeii classem timebat: quæ si esset, se de Sicilia abiturum. Quid isti, inquit, sex tui fasces: si ab senatu, cur laureati: si ab ipso, cur sex? Cupiui, inquit, ex s. c. surrepto: nā aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit Senatum. A me, inquit, omnia proficiscuntur. sex autem, quia duodecim nolui: nam licebat. Tum ego, Quàm vellem, inquam, petiisse ab eo, quod audio Philippum impetrasse: sed veritus sum, quia ille à me nihil impetrabat. Libèter, inquit, tibi concessisset. verum puta te impetrasse: ego enim ad eum scribam, vt tu ipse voles, de ea re nos inter nos locutos. quid autem illius interest, quoniam in Senatum non venis, vbi sis: quin nunc ipsum minimè offendisses, eius causa si in Italia non fuisses: Atque ego me recessum & solitudinem quærere, maximè quòd lictores haberem. Laudabat consilium. Quid ergo, inquam: nam mihi cursus in Græciam per tuam prouinciam est, quoniā ad mare superum milites sunt. Quid mihi, inquit, optatus: Hoc loco multa perliberaliter. ergo hoc quidem est verum profectò, vt nō modò rutò, verum etiam palam nauigaremus. Reliqua in posterum diem distulit: ex quibus scribam ad te, siquid erit epistola dignum. Sunt autem, quæ præterii, inter regnumne esset expectaturus, an quomodo dixerim. ad se ille quidem deferri Consulatum, sed se nolle in proximum

annum: & alia sunt, quæ exquiram. iurabat ad summam, quòd nullo negotio faceret, amicitissimum mihi Cæsarem: Esse debet: quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella? Dico Quid? Affirmabat, cum scripsisset, quòd me cuperet ad Urbem venire: illum quidem gratias agere maximas, & non modò probare, sed etiam gaudere. quid quæris? atque iubebat: est enim suspicio illa domestici mali & sermonis Hirciani. quàm cupio illum dignum esse nobis, & quàm ipse me inuito, quæ pro illo sit suspicandum: sed opus fuit Hircio conuento. est profectò nescio quid: sed velim quàm minimo. & tamè eum, nondum redisse miramur. sed hæc videbimus. Tu Oppios Terentiæ dabis: iam enim Urbis vnum periculum est. me tamen consilio iuua, pedibusne Rhegyum, an hinc statim in nauem. cæterum, quoniam commoror, ego ad te statim habebò quod scribam, simul vt videro Curionem. De Tirone cura quæso, quod facis, vt sciam quid is agat.

De tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, vt mihi visus sum, diligenter. de die nihil sanè potest scribi certi præter hoc, non ante lunam nouam. Curionis sermò postridie eadem habuit ferè summam, nisi quòd apertius significauit, se earum rerum exitum non videre. Quòd mihi mandas de quodam Regulo *ῥηγοῦ*: tamen nihil prætermittam: atque vtinam tu: sed modestior non ero. Epistolam ad Vestorium statim de Tullia: ac valde requirere solebat. commodius tecum Vectenus est locutus, quàm ad me scripserat. sed mirari satis hominis negligentiam non queo: cum enim mihi Philotimus dixisset, *ἡσ* L. emere de Canuleio diuerforium illud posse, minoris etiam empturum, si Vectenum rogassem, rogavi vt siquid posset, ex ea summa detraheret: promisit: ad me nuper, *ἡσ* x x x. emisse, vt scriberem cui vellem addici: diem pecuniæ Idib. Nou. esse. rescripsi ei stomachosius, cum ioco tamen familiari. nunc, quoniam agit liberaliter, nihil accuso hominem: scripsique ad eum, me à te certiore esse factum.

Tu de tuo itinere quid, & quando cogites, velim me certiore facias. Ad xv. Calendas Maii. Vale.

CICERO ATTICO S.

ME ADHVC nihil præter tempestatem moratur. astutè nihil sum acturus. fiat in Hispania quidlibet: & tamen retice. Meas cogitationes omneis explicavi tibi superiori-¹⁷ bus literis. quocirca hæ sunt breues: & tamen quia festinabam, eràmque occupator de Quinto fratre, ita me quidem sedulo: sed nosti reliqua. Quod dein me mones, & amice & prudenter mones: sed erūt omnia facilia, si ab vno illo cauero. magnum opus est. mirabilia multa. nihil simplex, nihil syncerum. vellem suscepisses iuuenem regèdum: pater enim nimis indulgens, quicquid ego astrinxi, relaxat. si sine illo possem, regerem, quod tu potes: sed ignosco. magnum inquam opus est. Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam: ego nunc, quæ & quò, videbo. Ego verò Apuliam & Sipontum, & tergiuersionem istam probo, nec tuam rationem eandem esse duco, quàm meam. non quin in Repub. rectum idem sit vtrique nostrum: sed ea non agitur. Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior Rex, & probior & integrior,¹⁸ & is, qui nisi vincit, nomen populi R. deleatur necesse est: sin autem vincit, Sullano more, exemplòque vincet. Ergo hac in contentione neutrum tibi palàm sentiendum, & tempori seruièdum est. mea causa autem alia est, quòd beneficio victus, ingratus esse non possum: nec tamen in acie, sed Melitæ, aut alio in loco, siue in oppidulo futurum puto. Nihil, inquires, iuuas eum, in quem ingratus esse non vis: immò minus fortasse voluisset, sed de hoc videbimus. exeamus modò: quod vt meliore tempore possimus, facit Adriatico mari Dolabella, frero Siciliensi Curio. iniecta autem mihi spes quædam est, velle mecum Ser. Sulpitium colloqui. ad eum misi Philotimum cum literis. si vir esse volet, præclara *ῥηγοῦ*: sin autem, erimus nos qui solemus. Curio mecum vixit, iacere Cæsarem putans. offensione populari: Siciliæque diffidens, si Pompeius nauigare cœpisset. Quintum puerum accepi vehemèter. auaritiam video fuisse, & spem magni congiarii. magnum hoc malum est: sed scelus illud, quod timueramus, spero nullum,¹⁹

fuisse. hoc autem vitium puto te existimare non nostra indulgentia, sed à natura profectum: quem tamen nos disciplina regimus. De Oppiis Veliensibus quid placeat, cum Philotimo videbis. Epeirum nostram putabimus: sed alios cursus videbamur habituri. Vale.

CICERO ATTICO S.

ET RES ipsa monebat, & tu ostenderas, & ego videbam, de his rebus quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse. sed cum ad me sæpe mea Tullia scribat, orans vt quid in Hispania geratur, expectem, & semper ascribat idem videri tibi, idque ipse etiam ex tuis literis intellexerim: non puto esse alienum, me ad te,²⁰ quid de ea re sentiam, scribere. Consilium istud tunc esset prudens, vt mihi videtur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum accommodaturi essemus: quod fieri dicitis oportere: necesse est enim aut id quod maximè velim, pelli istum ab Hispania, aut trahi id bellum, aut istum, vt confidere videtur, apprehendere Hispanias. si pelletur, quàm gratus, aut quàm honestus tum erit ad Pompeium noster aduentus, cum ipsum Curionem ad eum transiturum putem: si trahitur bellum, quid expectem? aut quandiu? relinquitur, vt si vincimur in Hispania, quiescamus: id ego còtra puto: istum enim victorem magis relinquendum puto, quàm victum, & dubitantem magis, quàm fidentem suis rebus: nam eadem video, si vicerit, & impetum in priuatorum pecunias, & exulum reditum, & tabulas nouas, & turpissimorum honores, & regnum non modò Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile. tacita esse poterit in id dignitas nostra?²¹ pati poterunt oculi me cum Gabinio sententiam dicere? & quidem illum rogari prius? præsto esse clientem tuum Chlœlium, Catuli Plaguleium, cæteros? Sed cur inimicos colligo, qui meos necessarios à me defensos nec videre in curia sine dolore, nec versari inter eos sine dedecore potero? quòd si ne id quidem est exploratum, fore vt mihi liceat (scribunt enim ad me amici eius, me illi nullo modo satisfecisse, quòd in Senatam non venerim) tamène dubitemus, an ei nos etiam cum periculo vèditemus, quicum coniunctine cum præmio quidem volumus esse? deinde hoc vide, non esse iudicium de tota contentione in Hispaniis: nisi fortè his amissis arma Pompeium abiecturum putas, cuius omne consilium Themistocleum est: existimat enim, qui mare teneat, cum necesse rerum potiri. Itaque qui nunquam egit, vt Hispaniæ per se tenerentur, naualis²² apparatus ei semper antiquissima cura fuit. nauigabit igitur, cum erit tempus, maximis classibus, & ad Italiam accedet: in qua nos sedentes quid erimus? nam medios esse iam non licebit. classibus aduersabimur igitur: quod malum maius scilicet tantum? denique²³ quid turpius? Annibal hic in absentis solus tuli scelus: eiusdè cum Pompeio, & cum reliquis principibus non feram: quòd si iam misso officio periculi ratio habenda est: ab illis est periculum, si peccaro: ab hoc, si rectè fecero: nec vllum in his malis consilium periculo vacuum inueniri potest, vt non sit dubium, quin cum periculo fugiamus, quod fugeremus etiam cum salute. non simul cum Pompeio mare transferimus: omnino non potuimus. extat ratio dierum. Sed tamen (fateamur enim quod est) ne condamus quidem, vt possumus: fefellit ea res, quæ fortasse non debuit, sed fefellit: pacem putavi fore: quæ si esset, iratum mihi Cæsarem esse, cum idem amicus esset Pompeio, nolui: feram enim, quàm iidem essent. hoc veritus in hanc tarditatem incidi: sed assequar omnia, si propero: si cunctor, amitto. Et tamen mi Attice auguria quoque me incitant quædam spe non dubia, non hæc collegii nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrannis: nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se, etiam languentibus nobis, concidat. quippe qui florentis ac nouos, vt vti diebus ipsi illi egenti ac perditæ multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam citò amiserit, mansuetudinis in Metello, diuitiarum in ærario. Iam quibus vtatur vel sociis, vel ministris, si ii prouincias, si Rempub. regèt, quorum nemo duos menses potuit patrimonium suum gubernare: non sunt omnia colligenda, quæ tu acutissimè prospicis.

sed tamen ea pone ante oculos, iam intelliges id regnum vix semestri esse posse. quod si me fefellerit, feram, sicut multi præclarissimi homines in Repub. excellētes tulerunt: nisi fortè me Sardanapali vice in suo lectulo mori malle cēseris, quàm exilio Themistocleo: qui cum fuisset, ut ait Thucydides, *ἢ τε ἀδελφῆμα δι' ἐλαχίστης βελῆς κράτους γλώμων, καὶ ἢ μέρωντων ἐπὶ πλεόντων τῶν δημοσίων ἀριστοῦ ἐκείνης*: tamen incidit in eos casus, quos vitasset, si cum nihil fefellerisset. etsi is erat (ut ait idem) qui *πό, τε ἀμεινον ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφαιρῆσθαι ποσέωρα μέλιτα*: tamen non vidit nec quomodo Lacedæmoniorum, nec quomodo suorum ciuium inuidiam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. non fuisset & illa nox tam acerba Africano sapientissimo viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro C. Mario, si nihil vtrunque eorum fefellerisset. Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet. corruat iste necesse est, aut per aduersarios, aut ipse per se, qui quidē sibi est aduersarius vnus acerrimus. id spero viuus nobis fore. quanquam tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare. sin quid acciderit maturius, haud sanè mea multum interfuerit, vtrum factum videam, an futurum esse multò antè viderim. quæ cum ita sint, non est committendum, ut iis paream, quos contra me Senatus, nequid Respub. detrimenti acciperet, armavit. Tibi sunt omnia commendata: quæ commendationis meæ pro tuo in nos amore non indigent. ne hercule quidem reperio quid scribam: sedeo enim *πλεονεξίαν*: etsi nihil vnquam tam fuit scribendum, quàm nihil mihi vnquam ex plurimis tuis iucunditatibus gratius accidisse, quàm quòd meam Tulliam suauissimè, diligentissimèque coluisti. valde eo ipsa delectata est, ego autem non minus. cuius quidem virtus mirifica. quomodo illa fert publicam cladem? quomodo domesticas tricas? quātus autem animus in discessu nostro? *σοφῆς* fit summa *σωτηρίας*: tamen nos rectè facere, & bene audivit. Sed hac super re nimis, ne meam ipse *συμπάθειαν* euocem. Tu, siquid de Hispaniis certius, & siquid aliud, dum adsumus, scribes: & ego fortasse discedens dabo ad te aliquid, eò etiam magis, quòd Tullia te non putabat ex Italia hoc tempore. cum Antonio item est agendum, ut cum Curione Melitæ me velit esse, huic bello nolle interesse. eo velim tam facili uti possem, & tam bono in me, quàm Curio. is ad Missenū v. l. Non venturus dicebatur, id est hodie. sed præmisit mihi odiosas literas hoc exemplo.

ANTONIVS TRIB. PL. PROPR. CICERONI IMP. S.

NISI te valde amarem, & multò quidem plus, quàm putas, non extimuissem rumorem qui de te prolatus est, cum præsertim falsum esse existimarem: sed quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare, mihi famam quoque, quanuis sit falsa, magni esse. te iturum trans mare, credere non possum, cum tanti facias Dolabellam & Tulliam foeminam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias, quibus mehercule dignitas, amplitudòque tua penè charior est, quàm tibi ipsi. Sed tamen non sum arbitratus esse amici, nò commoueri etiam improborum sermone: atque eò feci studiosius, quòd iudicabam duriores parteis mihi impostas esse ab offensione nostra, quæ magis à *ζηλοτυπία* mea, quàm ab iniuria tua nata est: sic enim volo te tibi persuadere, mihi neminem esse chariorem te, excepto Cæsare, meque illud vnà iudicare, Cæsarem maximè in suis M. Ciceronem reponere. Quare mi Cicero te rogo, ut tibi omnia integra serues, eius fidè improbes, qui tibi ut beneficium daret, prius iniuriam fecit: contra, ne profugias, qui te, etsi non amabit (quod accidere non potest) tamen saluum, amplissimùmque esse cupiet. dedita opera ad te Calpurnium familiarissimum meum misi, ut mihi magnæ curæ tuam vitam ac dignitatem esse scires. Eodem die à Cæsare Philotimus literas attulit hoc exemplo.

CAESAR IMP. M. CICERONI IMP. S.

ETSI te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicarem: tamen permotus hominum fama, scribendum ad te existimaui, & pro nostra beneuolentia petendum, nequò progredieris inclinata iam re, qua integra etiam progrediendum tibi non existi-

masses: nanque & amicitia grauiorem iniuriam feceris, & tibi minus commodè consulueris, si non fortunæ obsecutus videbere: omnia enim secundissima nobis, aduersissima illis accidisse videntur: nec causam fecutus: eadem enim tum fuit, cum ab eorum consiliis abesse iudicasti: sed meum aliquod factum condemnaſſe: quo mihi grauius abs te nil accidere potest. quod ne facias, pro iure nostræ amicitia à te peto. Postremò quid viro bono & quieto & bono ciui magis conuenit, quàm abesse à ciuilibus controuerſiis: quod nonnulli cum probarent, periculi causa sequi non potuerunt. Tu explorato & vitæ meæ testimonio, & amicitia iudicio, neque tutius, neque honestius reperies quicquam, quàm ab omni contentione abesse. x v. Calend. Maii ex itinere. Vale.

CICERO ATTICO S.

ADVENTVS Philotimi (at cuius hominis, quàm infulsi, & quàm sæpe pro Pompeio mentientis) exanimauit omnes, qui mecū erant: nam ipse obdurui. dubitauit nostrum nemo, quin Cæsar itinera repressisset, (volare dicitur) Petreius cum Afranio coniunxisset. nihil affert eiusmodi. quid quæris? etiam illud erat persuasum, Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniā per Illyricum fecisse: id enim *ἀφ' Ἰνδικῶς* nuntiabatur. Melitam igitur opinor capeſſemus, dum quod in Hispania: quod quidem propemodum videor ex Cæsaris literis ipsius voluntate facere posse, qui negat neque honestius, neque tutius mihi quicquam esse, quàm ab omni contentione abesse. Dices, Vbi ille ergo tuus animus, quem proximis literis? Adest, & idem est: sed vtinam meo solum capite decernerè: lachrymæ meorum me interdum molliunt, præcantium vt de Hispaniis expectemus. M. Cælii quidem epistolam scriptam miserabiliter, quæ hoc idem obsecraret, vt expectarem, ne fortunas meas, ne vnica filiam, ne meos omnes tam temerè proderem, non sine magno fletu legerūt pueri nostri. etsi meus quidem est fortior, eoque ipso vehemèrius commouet, nec quicquam nisi de dignatione laborat. Melitam igitur, deinde quod videbitur. Tu tamen etiam nūc mihi aliquid literarum, & maximè siquid ab Afranio. ego, si cum Antonio locutus ero, scribā ad te quid actum sit: ero tamen in credendo, vt mones, cautus: nam occultandi ratio tum difficilis, tum etiam periculosa est. Seruium expecto ad Nonas, & adicit à Posthumia: sed & Seruii filii quartanam leuorem esse gaudeo. Misi ad te Cælii etiam literarum exemplum. Vale.

CAELIVS M. CICERONI IMP. S.

EXANIMATVS tuis literis, quibus te nihil, nisi triste, cogitare ostendisti, neque id quod esset perscripsisti, neque non tamen quale esset quod cogitares, aperuisti: has ad te ilico literas scripsi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro & obsecro, nequid grauius de salute & incolumitate tua consulas: nam deos, hominesque, amicitiamque nostram testificor, me tibi prædixisse, neque temere monuisse: sed postquam Cæsarem cōuenerim, sententiamque eius, qualis futura esset parta victoria, cognorim, te certiore fecisse. si existimas eandem rationem fore Cæsaris in dimittendis aduersariis, & conditionibus ferēdis, erras. nihil nisi atrox & sæuum cogitat, atque etiam loquitur. iratus Senatui exiit. his intercessionibus planè incitatus est. non mehercule erit deprecationi locus. Quare si tibi tu, si filius vnicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi charæ sunt, si aliquid apud te nos, si vir optimus gener tuus valet, eorum fortunam non debes velle conturbare, vt eam causam, in cuius victoria salus nostra est, odisse aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. denique illud cogita, quod offensæ fuerit, in ista cunctatione te subiisse. nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus lædere noluisse, & ad eos fugatos accedere, quos resistenteis sequi nolueris, summæ stultitiæ est. Vide, ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter, quod optimum sit, eligas. Quòd si totum tibi persuadere nò possum, saltem, dum quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta, quas tibi nuncio aduentu Cæsaris fore nostras. Quam isti spem habeant amissis Hispaniis, nescio. quòd porrò tuum cōsiliū sit ad desperatos accedere, non mediūſſidius reperio. Hoc quod tu non dicendo mihi significa-

sti, Cæsar audierat: ac simul atque, Aue, mihi dixit, statim, quid de te audisset, exposuit. Negavi me scire: tamen ab eo petui ut ad te literas mitteret, quibus maximè ad remanendum commoueri posses. me secum in Hispaniam ducit. nam, nisi ita faceret, ego prius, quàm ad Urbem accederem, ubicunque esses, ad te percurrissem, & hoc à te præsens contendissem, atque omni vi te retinuissem. Etiam atque etiam Cicero cogita, ne te, tuosque omneis funditus euertas, ne te sciens prudensque eò dimittas, unde exitum vides nullum esse. quòd si te aut voces optimatum commouent, aut nonnullorum hominum insolentiam & iactationem ferre non potes: eligas censeo aliquod oppidum ³⁴ vacuum à bello, dum hæc decernuntur, quæ ià erunt confecta. Id si feceris, & ego te sapienter fecisse iudicabo, & Cæsarem non offendes. Vale.

CICERO ATTICO S.

ME CAECIVM, qui hæc antè non viderim! nisi ad te epistolam Antonii. Et cum ego sapientissimè scripisssem, nihil me contra Cæsaris rationes cogitare, meminisse me generi mei, meminisse amicitia, potuisse si aliter sentirem, esse cum Pompeio: me autem, quia cum licitoribus inuitus cursarem, abesse velle, nec id ipsum certum etiam nunc habere: vide quàm ad hæc *τυραννικώς*. Tuum consilium quàm verum est! nam qui se medium esse vult, in patria manet: qui proficiscitur, aliquid de alterutra parte iudicare videtur. Sed ego is non sum, qui statuere debeã, iure quis proficiscatur necne. Partem mihi Cæsar has imposuit, ne quem omnino discedere ex Italia paterer. quare parui refert ³⁵ me probare cogitationem tuam, si nihil tamen tibi remittere possum. Ad Cæsarem mitas, censeo, & ab eo hoc petas. non dubito, quin impetraturus sis, cum præsertim te amicitia nostræ rationem habiturum esse pollicearis. habes *σκυτάλην ρακωνικήν*. omnino excipiam hominem. erat autem v. Non venturus vesperi, id est hodie. cras igitur ad me fortasse veniet. tētabo, audeam nihil properare. missurum ad Cæsarem clamabam, cum paucissimis alicubi occultabor. certè hinc istis inuitissimis euolabo, atque vtinam ad Curionem *ὄν θεῶν λέγω*. magnus dolor accessit. efficietur aliquid dignum nobis. *δυσχεῖα* tua mihi valde molesta. medere amabo, dum est *δύσχη*. De Massiliensibus gratæ tuæ mihi literæ. quæso, vt sciam, quicquid audieris. Siciliam cuperem si possem palam, quod à Curione effeceram. Hic ego Seruium expecto. Rogor enim ab eius vxore & filio: & puto opus esse. hic tamē Cyteridem secum lectica aperta portat, altera vxorem. septem præterea coniunctæ lecticæ amicarum: hæ sunt amicorum. Vide, quàm turpi letho percamus. & dubita, si potes, quin ille, seu victus, seu victor redierit, eadē facturus sit. Ego verò vel lintriculo, si nauis nō erit, eripiam me ex istorum parricidio. sed plura scribam, cum illum conuenero. Iuuenem nostrum non possum non amare: sed ab eo nos non amari planè intelligo. nihil ego vidi tam *αἰνητοποίητον*, tam auersum à suis, tam nescio quid cogitās: vim incredibilem molestiarum. sed erit curæ, & est, vt regatur: mirum est enim ingenium: *ἦθος ἑπταμελητέον*.

CICERO ATTICO S.

OB SIGNATA iam epistola superiore, non placuit ei dare, cui constitueram, quòd erat alienus: itaque eo die data non est. interim venit Philotimus, & mihi à te literas reddidit: quibus quæ de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil *ὑπερβολῶν*, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil quod non, quòd velis, vno sermone possis perducere. ne multa, omneis suos, etiam quibus irascitur crebrius, tamen charos habet, me quidem se ipso chariorem. Quòd de puero aliter ad te scripsit, & ad matrem de filio, non reprehendo. De itinere & de sorore, quæ scribis, molesta sunt, eoque magis, quòd ea tempora nostra sunt, vt ego his mederi non possim. nam cerrè mederer: sed quibus in malis, & qua in desperatione rerum simus, vides. Illa de ratione numaria non sunt eiusmodi (sæpe enim audio ex ipso) vt non cupiat tibi præstare, & in eo laboret. sed si mihi Q. Axius in hac mea fuga *HS XII*. non reddit, quæ dedi eius filio *mutua*, & vtitur excusatione temporis, si Lepta, si cæteri: soleo mirari de nescio queis

³⁸ HS. X X. cum audio ex illo se vrgeri: vides enim profectò angustias: curari tamen ea tibi vtique iubet. An existimas illum in isto genere lentulum, aut restrictum: nemo est minus. De fratre fatis. de eius filio: indulgit illi quidem suus pater semper, sed non facit indulgentia mendacem, aut auarum, aut non amantem suorum: ferocem fortasse, & arrogantem & infestum facit. itaque habet hæc quoque, quæ nascuntur ex indulgentia: sed ea sunt tolerabilia: quid enim dicam hac iuuentute: ea verò quæ mihi quidem, qui illum amo, sunt his ipsis malis, in queis sumus, miseriora, non sunt ab obsequio nostro: nam suas radices habent, quas tamen euellerem profectò, si liceret: sed ea omnia mihi sunt patienda. Ego meum facilè teneo: nihil est enim eo tractabilius. cuius quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi: & quò ille me fortiorem vult esse, eò magis ³⁹ timeo ne in eum existam crudelior. Sed Antonius venit heri vesperi. iam fortasse ad me veniet, aut ne id quidem, quoniam scripsit quid fieri vellet. sed scies continuò quid actum sit. nos iam nihil nisi occultè. De pueris quid agam? paruone nauigio committam? quid mihi animi in nauigando censes fore? Recordor enim ætate cum illo Rhodiorum *ἀφροδίτη* nauigans, quàm fuerim sollicitus. quid duro tempore anni actuariolo fore censes: ò rem vndique miseram! Trebatius erat mecum, vir planè & ciuis bonus: quæ ille monstra, dii immortales! etiã ne Balbus in Senatū venire cogitet? sed ei ipsi cras ad te literas dabo. Vectenum mihi amicum, vt scribis, ita puto esse. cum eo (quod *ἀποφύμωσ* ad me scripserat de numis curandis) *θυμικώτερον* erat. id tu, si aliter acceperit ac debuit, lenies. Monetali autem ascripsi, quod ille ad me, Proconsuli, sed quoniam est homo, & nos diligit, ipse quoque à nobis diligatur. Vale.

CICERO ATTICO S.

⁴⁰ QUID NAM mihi futurum est? aut quis me non solum infelicio, sed iam etiam turpior? nominatim de me sibi impetratum dicit Antonius: nec me tamen ipse adhuc viderat, sed hoc Trebatius narravit. Quid agam nūc, cui nihil procedit, caduntque ea quæ diligentissimè sunt cogitata, teterrimè? ego enim Curionem nactus, omnia me consecutum putavi. is de me ad Hortensium scripserat. Reginus erat totus noster, huic nihil suspicabamur cum hoc mare negotii fore. quò me nūc vertam? vndique custodior. sed fatis lachrymis. *ὄδυ πλοῦτον* igitur, & occultè in aliquam onerariã corpendum: non committendum, vt etiam compacto prohibiti videamur. Sicilia petenda: quam si erimus nacti, maiora quædam consequemur. sit modò rectè in Hispaniis. quanquam de ipsa Sicilia vtinam sit verum, sed adhuc nihil secūdi. concursus Sicularum ad Catonem dicitur factus: orasse, vt resisteret: omnia pollicitus: commotum illum, delectum habere cœpisse. non credo, vt est luculentus author. potuisse certè tenere illam prouinciam scio. ab Hispaniis autem iam audietur. Hic nos C. Marcellum habemus eadem de re cogitantem, aut bene simulantem. quanquam ipsum non videram, sed ex familiarissimo eius audiebam. Tu quæso, siquid habebis noui. ego, siquid moliti erimus, ad te statim scribam. Quintum filium seuerius adhibebo. vtinam proficere possem. tu tamē eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito, ne quando quid emanet: ego item tuas. Seruium expecto, nec ab eo quicquā *ὑμέσ*. scies, quid erit. sine dubio errasse nos confitendum est. at semel: at vna in re: immò omnia quò diligentius cogitata, eò facta sunt imprudentius. *ἀλλὰ τὰ μὴ προστίτηται, εἰσὸς μὲν ἀγυμνοίτερ.* in reliquis modò ne ruamus: iubet enim profectiōnem meam prouidere. quid prouideam? ⁴¹ ita patent omnia quæ accidere possunt, vt ea si vitem, sed eum sit cum dedecore & dolore: si negligam, periculum est ne in manus incidam perditorum. Sed vide, quantis in miseris simus. optandum interdum videtur, vt aliquam accipiamus ab istis quamuis acerbam iniuriam, vt tyranno in odio fuisse videamur. Quòd si nobis is cursus, quæ sperarā, pateret: effecissem aliquid profectò, vt tu optas & hortaris, dignum nostra mora, sed mirificæ sunt custodia: & quidem ille ipse Curio suspectus. quare vi, aut clam agendum est: & si vi, fortè ne cum tempestate: clam autē cum istis. in quo si quod *σφάλμα*,

vides quàm turpe est. trahimur, nec fugiendum, siquid violētius. De Celio sæpe mecum agito, nec siquid habuero tale, dimittam. Hispanias spero firmas esse. Massiliensium factum cum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est, rectè esse in Hispaniis: minus enim auderent, si aliter esset, & scirent: nam & iuncti & diligētes sunt. 43

Odiū autem rectè animaduertis significatum theatro. Legiones etiam has, quas in Italia assumpsit, alienissimas esse video: sed tamē nihil inimicius, quàm sibi ipse. illud rectè times, ne ruat: si desperarit, certè ruet. quo magis efficiendum aliquid est, fortuna velim meliori, animo Celiano: sed primum quidque: quod quaecunque erit, continuo scies. Nos iuueni, ut rogas, suppeditabimus, & Peloponnesum ipsam sustinebimus. Est enim indoles, modò aliquid hoc sit ἡθὺς AKIMODON. Quod si adhuc nullum est, esse tamen potest, aut ἀρετὴ non est διδασκῶν, quod mihi persuaderi non potest. Vale.

CICERO ATTICO S.

EPISTOLA tua gratissima fuit meæ Tullia, & mehercule mihi. semper secum aliquid afferunt tuæ literæ. Scribes igitur: ac siquid ad spem poteris, ne dimiseris. Tu Antonii leones pertimescas caue. Nihil est illo homine iucundius. Attende ἀρὰξιν πολιτικῶν. 44 Euocauit literis è municipiis denos: & quatuor viri venerunt ad villam eius mane. Primum dormiit ad horas tres. deinde, cum esset nuntiatum venisse Neapolitanos & Cumanos (his enim est Cæsar iratus) postridie redire iussit, lauare se velle, & περικοιλιολυσίας γίνεσθαι. Hoc heri effecit. hodie autē in AEnariam transire constituit. exulibus reditum pollicetur. Sed hæc omittamus: de nobis aliquid agamus. Ab Axio accepi literas. de Tirone gratum. Vectenū diligo. Vestorio reddidi. Seruius pridie Non. Maii Minturnis mansisse dicitur, hodie in Liternino māsurus apud C. Marcellum. cras igitur nos maturè videbit, mihi que dabit argumentum ad te epistolæ. iam enim nō reperio quid tibi scribā. Illud admiror, quòd Antonius ad me ne nuntium quidē, cum præsertim me valde obseruarit. videlicet (aut aliquid atrocius de me imperatum est) coram negare 45 mihi non vult. quod ego nec rogaturus eram, nec si impetrassem, crediturus. Nos tamen aliquid excogitabimus. Tu quæso, siquid in Hispaniis. iam enim poterit audiri: & omnes ita expectant, ut si rectè fuerit, nihil negotii futurum putent. Ego autem, nec retentis his, confectam rem puto: neque amissis, desperatam. Silium & Ocellam, & cæteros credo retardatos. Te quoque à Curtio impediri video. Etsi, ut opinor, habes Scythia δῖον: vitam miseram, maiusque malum, tandiu timere, quàm est illud ipsum, quod timetur. Seruius, ut antea scripsi, cum venisset Non. Maii, postridie ad me venit. ne diutius te teneam, nullius consilii exitum inuenimus. nunquam vidi hominem perturbatiorem metu. neque hercule quicquam timebat, quod non esset timendum: illum sibi iratum, hunc non amicum: horribilem vtriusque victoriam, cum propter alterius crudelitatem, alterius audaciam, tum propter vtriusque difficultatem pecuniariā, qua frui 46 nusquam, nisi ex priuatorū bonis, posset. atque hæc ita multis cum lachrymis loquebatur, ut ego mirarer eas tam diuturna miseria non exaruisse. Mihi quidem etiam lippitudo hæc, propter quam non ipse ad te scribo, sine vlla lachryma est: sed sæpius odiosa est propter vigilias. quam ob rem quicquid habes ad consolandum, collige, & illa scribe, non ex doctrina, neque ex libris: nam id quidem domi est: sed nescio quomodo imbecillior est medicina, quàm morbus: hæc potius conquire de Hispaniis, de Massilia: quæ quidem satis bella Seruius affert: qui etiam de duabus legionibus luculentos autores esse dicebat. hæc igitur si habebis, & talia, & quidem paucis diebus, aliquid audiri necesse est. Sed redeo ad Seruium. distulimus omnino sermonem in posterum, sed tardus ad exēdum: multò se in suo lectulo malle, quicquid foret. odiosus scrupulus de filii militia Brundusina. vnum illud firmissimè asseuerabat, si damnati restituerentur, in 47 exilium se iturum. nos autem ad hæc, & ipsum certò fore, & quæ iam fiebant, non esse leuiora: multa que colligebamus. verum ea non animum eius augebant, sed timorem, ut iam celandus magis de nostro consilio, quàm ad idem videretur. quare in hoc non

multum est. Nos à te admoniti de Cælio cogitabimus. Vale.

CICERO ATTICO S.

SERVIUS cum esset apud me, Cephalio cum tuis literis v. Id. venit, quæ nobis magnam spem attulerunt meliorum rerum de octo cohortibus: etenim hæc quoque, quæ in his locis sunt, labare dicuntur. Eodem die Funifulanus à te attulit literas, in quibus erat confirmatius idem illud. ei de suo negotio respondi cumulatè, cum omni 48 tua gratia. adhuc non satiffaciebat: debet autem mihi multos numos, nec habetur locuples. nunc ait se daturum: cui expensum tulerit, morari: tabellariis, si apud te esset, quæ satiffecisset, dares: quantum sit, Eros Philotimi tibi dicit. Sed ad maiora redeamus.

Quod optas, Cælianum illud maturefcit. itaque torqueor, vtrum ventum expectem. vexillo opus est: conuolabunt. Quod suades, ut palam, profus assentior. itaque me profecturum puto. tuas tamen interim literas expecto. Seruii consilio nihil expeditur. omnes captiones in omni sententia occurrunt. vnum C. Marcello cognoui timidiorem, quem Consulem fuisse pœnitet. ὁ πολλῆς ἀρχυείας, qui etiam Antonium confirmasse dicitur, ut me impediret, quo ipse credo honestius. Antonius autem v. Id. Capuam profectus est. ad me misit, se pudore deterritum ad me non venisse, quòd me sibi succensere putaret. Ibitur igitur, & ita quidem ut censes, nisi cuius grauioris personæ suscipienda spes erit antè oblata. sed vix erit tam citò. Halienus autem Præt. putabat aliquem, si ego non, ex collegis suis. quiuis licet, dummodo aliquis. De sorore laudo. De Quinto puero datur opera: spero esse meliora. De Quinto fratre, scito eum non mediocriter laborare de vsura: sed adhuc nihil à L. Egnatio expressit. Axius de x. millibus pudens. sæpe enim ascripsit, ut Gallio, quantum is vellet, darem. quod si non scripsisset, possēme aliter? & quidem sæpe sum pollicitus. sed tantum voluit citò. Me verò adiuaerent iis in angustiis. sed tu istos. verum aliās. Te à quartana liberatum gaudeo, itēque Piliam. Ego, dum panes & cætera in nauem parantur, excurro in Pompeianum.

Vectenō velim gratias, quòd studiosus. si quenquam nactus fueris qui perferat literas, des antè quàm discedimus. Vale.

CICERO ATTICO S.

COMMODYM ad te dederā literas de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionysius fuit. cui quidem ego non modò placabilem me præbuissem, sed totum remisissēm, si venisset qua mente tu ad me scripseras: erat enim sic in tuis literis, quas Arpini acceperam, cum venturum, facturūque quod ego vellem. Ego volebam autem, vel cupiebam potius, esse eum nobiscum. quod quia planè, cum in Formianum venisset, præciderat, asperius ad te de eo scribere solebam. at ille perpauca locutus, hanc summam habuit orationis, ut sibi ignoscerem, se rebus suis impeditum nobiscum ire non posse. pauca respondi: magnum accepi dolorem: intellexi fortunam ab eo nostrā despectam esse. Quid quæris? fortasse miraberis: in maximis horum temporum doloribus hunc mihi scito esse. velim, ut tibi amicus sit. hoc cum tibi opto, opto ut beatus sis: erit enim tandiu. Consilium nostrū spero vacuum periculo fore: nam & dissimulauimus, 50 & ut opinor, acerrimè obseruabimus, nauigatio modò sit, qualem opto. Cætera quæ quidem consilio prouideri poterunt, cauebuntur. Tu, dum adsumus, non modò quæ scieris, audierisue, sed etiam quæ futura prouidebis, scribas velim. Cato qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, & si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Syracusis profectus est ante diem v. Id. Calend. Maii, ut ad me Curio scripsit. Vtinam, quod aiunt, Cotta Sardiniam teneat: est enim rumor. O, si id fuerit, turpem Catonem! Ego, ut minuerem suspicionem profectionis aut cogitationis meæ, profectus sum in Pompeianum ad i. Id. Id. ut ibi essem, dum, quæ ad nauigandum opus essent, pararentur. cum ad villam venissem, ventum est ad me: centuriones trium cohortium, quæ Pompeii sunt, me velle postridie (hæc mecū Ninnius noster) velle eos mihi se & oppidum tradere. At ego tibi postridie à villa ante lucem, ut me omnino illi ne viderent. Quid

enim erat in tribus cohortibus: Quid si plures, quo apparatu: cogitavi eadem illa Cæ-
liana, quæ legi in epistola tua, quam accepi simul in Cumanum veni eodē die: & simul
feri poterat, vt tentaremur. Omnem igitur suspicionem sustuli. sed cūm redeo, Hor-
tensius venerat, ad Terentiam salutatum diuenterat, sermone erat vsus honorifico erga
me. tamē eum (vt puto) videbo: misit enim puerum se ad me venire. Hoc quidem me-
lius, quā collegā noster Antonius, cuius inter lictores lectica mimā portatur. Tu, quo-
niam quartana cares, & non modò morbum remouisti, sed etiam grauedinem, te vege-
tum nobis in Græcia siste, & literarum aliquid interea. Vale.

CICERO ATTICO S.

PRID. Id. Hortensius ad me venit scripta epistola. vellem cætera eius. quā in me
incredibilem *ἐκτέθειται*: qua quidem cogito vt: deinde Serapion cum epistola tua:
quam priusquam aperuissem, dixi ei, te ad me de eo scripsisse antea, vt feceras. deinde
epistola lecta, cumulatissimè cætera. & hercule hominem probo: nam & doctum &
probū existimo. quinetiam nauis eius me, & ipso conuectore vsurum puto. Crebrò
refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quæ impediāt scriptionem
meam. Valetudinem tuam iam confirmatam esse & à vetere morbo, & à nouis ten-
tationibus, gaudeo. Ocellam vellem haberemus. videntur enim esse hæc paulò faci-
liora. nunc quidem æquinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat. id scilicet
cras erit. vtinam idem maneat Hortensius, siquidem adhuc erat. liberalius esse nihil po-
test. De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitii insimularem: negas enim
te reperire quī mihi id in mentem venerit. Ego autem, quia scripseras te proficisci cogi-
tare (etenim audieram nemini aliter licere) eò te habere censebam, & quia pueris di-
ploma sumpseras. Habes causam opinionis meæ. & tamen velim scire quid cogites, in
primis que siquid etiam nunc noui est. xvii. Calend. Iun.

CICERO ATTICO S.

TULLIA mea peperit xiiii. Calend. Iun. puerum *ἐπιταμηνιαῖον*. quod *βύρρα*
gaudebam. quod quidem est natum, perimbecillum est. Me mirificæ tranquill-
tates adhuc tenuerunt, atque maiore impedimento fuerunt, quā custodiæ quibus as-
feruor: nam illa Hortensiana omnia fuere infantia. ita fiet homo nequissimus: à Saluio
liberto deprauatus est. itaque posthac non scribam ad te, quid facturum sim, sed quid fe-
cerim. Omnes enim *καρυχαῖοι* videntur subauscultare quæ loquor. tu tamen, siquid de
Hispaniis, siue quid aliud, perge quæso scribere: nec meas literas expectaris, nisi cūm,
quò opto, peruenerimus, aut siquis ex cursu. sed hoc quoque timidè scribo: ita omnia
adhuc tarda & spissa, vt malè posuimus initia, sic cætera sequentur. furias nunc sequi-
mur. eadem nos fortasse furia persequetur. Ex Balbi autem sermone, quem tecum ha-
buit, non probamus de Melita. Dubitas igitur quin nos in hostium numero habeat:
scripsi equidem Balbo, te ad me de beneuolentia scripsisse, & de suspitione. de altero
egi gratias, de altero ei me purgavi. Ecquem tu hominem infeliciorem: nō loquor plu-
ra, ne te quoque excruciem. ipse conficior venisse tēpus, cūm iam nec fortiter, nec pru-
denter quicquam facere possim. Vale.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER XI.

CICERO ATTICO S.



ACCEPI à te signatum libellum, quem Anteros attulerat: ex quo scire
nihil potui de nostris domesticis rebus, de quibus acerbissimè afflictor:
quòd qui eas dispenfauit, neque adest istic, neque, vbi terrarum sit, scio.
omnem autem spem habeo existimationis, priuatarūque rerum in
tua erga me mihi perspectissima beneuolentia: quam si his temporibus
miseris & extremis præstiteris, hæc pericula, quæ mihi communia sunt
cum cæteris, fortius feram. idque vt facias, te obtestor atque obsecro. Ego in cistopho-
ro in Asia habeo ad h. s. bis, & vicies. huius pecuniæ permutatione fidem nostram facile
tuebere. Quam quidem ego nisi expeditam relinquere putassem, credens ei, cui tu scis
iam pridem minimè credere: commoratus essem paulisper, nec domesticas res impe-
ditas reliquisssem: ob eamque causam serius ad te scribo, quòd serò intellexi, quid timen-
dum esset. Te etiam atque etiam oro, vt me totum tuendum suscipias, vt, si ii salui erūt,
quibuscum sum, vnà cum iis possim incolumis esse, salutēque meam beneuolentiæ
tuæ acceptam referre. Vale.

CICERO ATTICO S.

LITERAS tuas accepi prid. Non. Feb. eoque ipso die ex testamento creui hæredita-
* tem. ex multis meis & miserrimis curis est vna enata, si, vt scribis, ista hæreditas fidē &
famam meā tueri potest: quam quidem te intelligo etiā sine hæreditate tuis opibus de-
fensurum fuisse. De dote quod scribis, per omnes deos te obtestor, vt totā rem susci-
pias, & illam miserā mea culpa & negligentia tueare meis opibus, siquæ sunt: tuis, qui-
bus tibi molestum non erit, facultatibus. cui quidem deesse omnia, quod scribis, obse-
cro te noli pati. in quos enim sumptus abeunt fructus prædiorum? Iam illa h. s. l. x. quæ
3 scribis, nemo mihi vnquam dixit ex dote esse detracta: nunquā enim essem passus. Sed
hæc minima est ex iis iniuriis, quas accepi, de quibus ad te dolore & lachrymis scribere
prohibeor. ex ea pecunia quæ fuit in Asia, partem dimidiam ferè exegi. tutius videbatur
fore ibi, vbi est, quā apud publicanos. Quòd me hortaris, vt firmo sim animo: vel-
lem posses aliquid afferre, quam ob rē id facere possem. sed si ad cæteras miseras acces-
sit etiā id, quod mihi Chrysippus dixit parari (tu nihil significasti) de domo, quis me mi-
serior vno iam fuit? Oro, obsecro, ignosce. non possum plura scribere. quanto mœrore
vrgear profectò vides. Quod si mihi cōmune cum cæteris esset, qui videntur in eadem
causā esse, minor mea culpa videretur, & eo tolerabilior esset: nunc nihil est, quod con-
soletur, nisi quod tu efficis, si modò etiam nunc effici potest, vt nequa singulari afficiar
calamitate & iniuria. Tardius ad te remisi tabellarium, quòd potestas mittendi non
fuit. A tuis & numorum accepi h. s. l. x. & vestimētorum quod opus fuit. Quibus
4 tibi videbitur, velim des literas nomine meo. nosti meos familiares. signum requirēt,
aut manum: dices iis, me propter custodias ea vitasse. Vale.

CICERO ATTICO S.

QVID hīc agatur, scire poteris ex eo, qui literas attulit: quem diutius tenui, quia quo-
tidie aliquid noui expectabamus. neque nunc mittendi tamen vlla causa fuit, præter eā
de qua tibi rescribi voluisti. Quòd ad Calend. Quint. pertinet, quid vellem, vt un-
que graue est, & tam graui tempore periculum tantæ pecuniæ, & dubio rerum exitu, ista
quam scribis, abruptio. quare vt alia, sic hoc vel maximè tuæ fidei, beneuolentiæque per-
mitto, & illius consilio & voluntati, cui miseræ consuluissem melius, si tecum olim co-
rām potius, quā per literas de salute nostra, fortunisque deliberauissem. Quòd ne-
gas præcipuum mihi vllum incommodum impendere, etsi ista res nihil habet conso-

lationis, tamen etiã præcipua multa sunt, quæ tu profectò vides & grauissima esse, & me facillimè vitare potuisse: ea tamen erunt minora, si (vt adhuc factum est) administratione, diligentiaque tua leuabuntur. Pecunia apud Egnatium est. sit à me, vt est: neque enim hoc, quod agitur, videtur diuturnum esse posse, vt scire iam possim quid maximè opus sit. etsi egeo rebus omnibus, quòd is quoque in angustiis est quicum sumus, cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes nobis constitutis rebus eam rem etiam honori fore. Tu, vt antea fecisti, velim, si qui erunt ad quos aliquid scribendum à me existimes, ipse cõficias. Tuis salutem dic. Cura vt valeas. in primis id quod scribis, omnibus rebus cura & prouide, nequid ei desit, de qua scis me miserrimum esse. Idib. Iun. ex castris.

CICERO ATTICO S.

ACC EPI ab Isidoro literas, & postea datas binas. ex proximis cognoui, prædia non vñisse. videbis ergo vt sustentetur per te. De Frusinati, si modò futuri sumus, erit mihi res opportuna. Meas literas quòd requiris, impediior inopia rerum, quas nullas habeo literis dignas: quippe cui nec quæ accidit, nec quæ aguntur, vllò modo probentur. vtinã coram tecum olim potius, quàm per epistolas. Hic tua, vt possum, tueor apud hos: cætera Celer. ipse fugi adhuc omne munus, eò magis, quòd ita nihil poterat agi, vt mihi & meis rebus aptum esset. Quid sit gestum noui, quæris: ex Isidoro scire poteris: reliqua non videntur esse difficiliora. Tu id velim quod scis me maximè velle cures, vt scribis, vt facis. Me cõficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis: qua leuata, ero vnà cum eo qui negotiũ gerit, estque in spe magna. Brutus amicus in causa verfatatur acriter. Hactenus fuit, quod cautè à me scribit posse. De pensione altera, oro te, omni cura considera quid sit faciendum, vt scripsi iis literis, quas Pollex tulit. Vale.

CICERO ATTICO S.

QV AB me causã mouerint, quàm acerbã, quàm graues, quàm nouã, coegerintque impetu magis quodam animi vti, quàm cogitatione, nõ possum ad te sine maximo dolore scribere: fuerunt quidẽ tantã, vt id quod vides, effecerint. Itaque nec quid ad te scribam de meis rebus, nec quid à te petam, reperio: rem & summam negotii vides. Equidem ex tuis literis intellexi, & iis, quas communiter cum aliis scripsisti, & iis, quas tuo nomine, quod etiam mea sponte videbam, te subdebilitatum nouas rationes tuendi mei quærere. Quòd scribis placere vt propius accedam, iterque per oppida noctu faciam: non sanè video quemadmodum id fieri possit. Neque enim ita apta habeo diuersoria, vt tota tempora diurna in his possim consumere: neque ad id quod quæris, multum interest, vtrum me homines in oppido videãt, an in via. Sed tamen hoc ipsum, sicut alia, considerabo quemadmodum commodissimè fieri posse videatur. Ego propter incredibilem & animi & corporis molestiam conficere plureis literas non potui: iis tantum rescripsi, à quibus acceperam. Tu velim & Basilio, & quibus præterea videbitur, etiam Seruilio, conscribas vt tibi videbitur, meo nomine. Quòd tanto interuallo nihil omnino ad vos: profectò intelligis rem mihi deesse de qua scribam, non voluntatem. Quòd de Vatinio quæris: neque illius, neque cuiusquam mihi præterea officium deest, si reperire possent qua in re me iuuarent. Quintus auerissimò à me animo Patris fuit: eodem Corcyra filius venit: inde profectos eos vnà cum cæteris arbitror. Vale.

CICERO ATTICO S.

SOLICITVM esse te cum de tuis, communibusque fortunis, tum maximè de me, ac de dolore meo sentio. qui quidẽ dolor meus non modò non minuitur, cum socium sibi adiungit dolorem tuum, sed etiã augetur. Omnino pro tua prudentia sentis qua consolatione leuari maximè possim: probas enim meum cõsiliũ, negãque mihi quicquã tali tempore potius faciendum fuisse. Addis etiam (quod etsi mihi leuius est, quàm tuum iudicium, tamẽ non est leue) cæteris quoque, id est qui pondus habeant, factũ nostrum probari. id si ita putarẽ, leuius dolerẽ. Crede, inquis, mihi. Credo equidẽ: sed scio quàm

cupias minui dolorem meum. Me discessisse ab armis nunquam pœnituit: tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, vt non nominatim, sed generatim proscripio esset informata: vt iam omnium iudicio constitutum esset, omnium vestrũ bona prædam esse illius victoriã; vestrũ planè dico: nunquam enim de te ipso, nisi crudelissimè cogitatum est. Quare voluntatis me meã nunquam pœnitebit: consilii pœnitet. In oppido aliquo mallem resedisse, quoad accerferer: minus sermone subiissem, minus accepissem doloris, ipsum hoc me non angeret. Brundusii iacere, in omneis partibus est molestũ. propius accedere (vt suades) quomodo sine licitoribus, quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi nõ possunt: quos ego modò paulisper cum bacillis in turbã conieci ad oppidum accedens, nequis impetus militum fieret. recipio tempore me domo. te nunc ad Oppium, quoniam iis placeret modò propius accedere, vt hac de re considerarent, credo fore authores: sic enim recipiunt, Cæsari non modò de conseruanda, sed etiam de augenda mea dignitate curã fore: meque hortantur vt magno animo sim, vt omnia summa sperem, ea spondent, confirmant. quæ quidẽ mihi exploratiora essent, si remansissem. Sed ingero præterita. Vide quãso igitur ea quæ restant, & explora cum istis: & si putabis opus esse, & si istis placebit, quo magis factũ nostrum Cæsar probet, quasi de suorũ sententia factum, adhibeãtur Trebonius, Panfa, si qui alii: scribantque, ad Cæsarẽ, me, quicquid fecerim, de sua sententia fecisse. Tullia meã morbus & imbecillitas corporis me exanimat: quam tibi intelligo magnã curã esse, quod est mihi gratissimum. De Põppei exitu mihi dubium nunquã fuit: tanta enim desperatio rerum eius omniũ Regum & populorum animos occuparat, vt quocunque venisset, hoc putarem futurum. non possum eius casum nõ dolere: hominẽ enim intergrum & castum & grauem cognoui. De Fannio cõsoler te? perniciosã loquebatur de mãsione tua. Lucius verò Lentulus Hortensii domum sibi, & Cæsaris hortos & Baias despoðerat. Omnino hæc eodẽ modo ex hac parte fiunt, nisi quòd illud erat infinitũ. omnes enim, qui in Italia remanserant, hostiũ numero habebãtur. Sed velim hæc aliquãdo solutiore animo. Quintum fratrẽ audio profectum in Asiã, vt deprecaretur. De filio nihil audiui. sed quære ex Diocare Cæsaris liberto, quẽ ego non vidi, qui istas Alexandrinã literas attulit. Is dicitur vidisse an euntẽ, an iã in Asia. Tuas literas, prout res postulat, expecto: quas velim cures quãprimũ ad me perferẽdas. Vale. IIII. Cal. Decemb.

CICERO ATTICO S.

GRATIAE mihi tuã literã sunt, quibus accuratè perscripsisti omnia, quã ad me pertinere arbitratus es. factum igitur, vt scribis istis placere, iisdẽ istis licitoribus me vti, quod concessum Sestio sit: cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos: audio enim eũ ea s. c. improbare, quã post discessum Tribunorum facta sunt. quare poterit, si volet sibi constare, nostros licitores comprobare. quanquam quid ego de licitoribus, qui penẽ ex Italia decedere sim iussus? nam ad me misit Antonius exemplum Cæsaris ad se literarum, in quibus erat, se audiuisse Catonem & L. Metellum in Italiam venisse, Romã vt essent palãm: id sibi non placere, nequi motus ex eo fieret: prohiberique omneis Italia, nisi quorum ipse causam cognouisset: deque eo vehementius erat scriptum. itaque Antonius petebat à me per literas, vt sibi ignoscerẽ: facere se non posse, quin his literis pareret. tum ad eum misi L. Lamiam, qui demonstraret illum Dolabellã dixisse, vt ad me scriberet vt in Italiam quamprimũ venirem, eius me literis venisse. tum ille edixit ita, vt me exciperet, & Lælium nominatim: quod sanè nollem: poterat enim sine nomine re ipsa excipi. O multas & graueis offensiones: quas quidem tu das operã vt lenias: nec tamen nihil proficis: quin hoc ipso minuis dolorem meum, quòd vt minuas, tam valde laboras: idque velim ne grauere quam sapissimè facere. Maximè autem assequere quod vis, si me adduxeris vt existimem me bonorum iudicium non funditus perdidisse. quanquam quid tu in eo potes? nihil scilicet. Sed siquid res dabit tibi facultatis, id me maximè consolari poterit. quod nunc quidẽ video non esse. sed siquid ex euentis, vt

hoc nūc accidit. Dicebar debuisse cum Pópeio proficisci. exitus illius minuit eius officii prætermisſi reprehensionē. Sed ex omnibus nihil magis tamen desideratur, quàm quòd in Africā non ierim. iudicio hoc sum vsus, non esse barbaris auxiliis fallacissimæ gentis Rempub. defendendā, præsertim contra exercitum sæpe victorem. non probāt fortasse: multos enim viros bonos in Africam venisse audio, & scio fuisse antea. valde hoc loco vrgeor. hīc quoque opus est, casu aliqui sint ex eis, aut, si potest, omnes, qui salutē anteponant: nam si perseuerant & obtinēt, quid nobis futurum sit vides. Dices, Quid illis, si victi erunt? Honestior est plaga. hæc me excruciant. Sulpitii autē consilium non scripsisti, cur meo non anteponeres. quod & si non tam gloriosum est, quàm Catonis, tamē & periculo vacuum est, & dolore. Extremū est eorum, qui in Achaia sunt. ii tamen ipsi se hoc melius habēt, quàm nos, quòd & multi sunt vno in loco, & cū in Italiam venerint, domum statim venerint. hæc tu perge, vt facis, mitigare, & probare quam plurimis.

Quòd te excusas: ego verò & tuas causas nosco, & mea interesse puto, te istic esse, vel vt cum iis, quibus oportebit, agas, quæ erunt agenda de nobis, vt ea quæ egisti: in primis-¹⁶ que hoc velim animaduertas. multos esse arbitror qui ad Cæsarem detulerint, delaturūue sint, me aut pœnitere consilii mei, aut non probare quæ fiant. quorum etsi vtrunque verum est, tamen ab illis dicitur animo à me alienato, non quo ita perspexerint, sed totum vt hoc Balbus sustineat, & Oppius, & eorum crebris literis illius voluntas erga me confirmetur, & hoc planè vt fiat, diligentiam adhibebis. Alterum est, cur te nolim discedere, quòd scribis Terentiā flagitare. O rem miseram. quid scribam? aut quid velim? breue faciam: lachrymæ enim se subito profuderunt, tibi permitto: tu consule. tantum vide, ne hoc temporis Terentiæ obesse aliquid possit. Ignosce, obsecro te: non possum præ fletu & dolore diutius in hoc loco commorari. tātum dicam, nihil mihi gratius esse, quàm quòd eam diligis. Quòd literas, quibus putas opus esse curas dandas, facis cōmodè. Quintum filium vidi, qui Sami vidisset, patrē Sicyone: quorum deprecatio est¹⁷ facilis. Vtinā illi, qui prius illum viderunt, me apud eum velint adiutum tantum, quantum ego illos vellē, siquid possem. Quòd rogas, vt in bonam partē accipiā, siqua sint in tuis literis, quæ me mordeant: ego verò in optimam: tēque rogo, vt apertè, quemadmodū facis, scribas ad me omnia, idque facias quam sapissimè. Vale. xiiii. Cal. Ian.

CICERO ATTICO S.

QUANTIS curis afficiar, etsi profectò vides, tamen cognosces ex Lepta & Trebatio. maximas pœnas pendo temeritatis meæ, quam tu prudentiam mihi videri vis: neque te deterreo quo minus id disputes, scribasque ad me quàm sapissimè: nō nihil enim me leuant tuæ literæ hoc tempore. Per eos, qui nostra causa volunt, valētque apud illum, diligentissimè contēdas opus est, per Balbum & Oppium maximè, vt de me scri-¹⁸ bant quam diligentissimè: Oppugnamur enim, vt audio, & à præsentibus quibusdam, & per literas. iis ita occurrendum, vt rei magnitudo postulat. Furnius est illic mihi inimicissimus. Quintus misit filium nō solum sui deprecatorē, sed etiam accusatorem mei. Dicitur, se à me apud Cæsarem oppugnari. quod refellit Cæsar ipse, omnesque eius amici. neque verò desistit, vbicunque est, omnia in me maledicta conferre. Nihil mihi vnquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum. qui ex ipso audissent, cū Sicyone palam multis audientibus loqueretur nefaria quædam, ad me pertulerūt. Nosti genus, etiam expertus es fortasse: in me, id est omne conuersum. Sed augeo cōmemorando dolorem, & facio etiam tibi. Quare ad illud redeo. cura, vt huius rei causa dedita opera mittat aliquem Balbus. Ad quos videbitur, velim curēs literas meo no-¹⁹ mine. Vale. xv. Calend. Ian.

CICERO ATTICO S.

EGO verò & incautè, vt scribis, & celerius quàm oportuit, feci, nec in vlla sum spe: quippe qui exceptionibus edictorum retinear, quæ si non essent sedulitate effectæ, & benevolentia tua, liceret mihi abire in solitudines aliquas. nunc ne id quidem licet. Quid

autem me iuuat, quòd ante initum Tribunatum veni, si ipsum, quòd veni, nihil iuuat: iam quid sperem ab eo, qui mihi amicus nunquam fuit, cū iam lege etiam sim confectus & oppressus: quotidie Balbi ad me literæ languidiore, multæque multorum ad illum fortasse cōtra me. meo vitio pereō. nihil mihi mali causa attulit. omnia culpa contracta sunt: ego enim, cū genus belli viderem, imparata & infirma omnia, contra paratissimos iueram (quid facerem?) ceperamque consilium non tam forte, quàm mihi præter cæteros concedendum. cessimus, vel potius parui. ex quibus vnus qua mente fuerit is, quem tu mihi commēdas, cognosces ex ipsius literis, quas ad te & ad alios misit. quas ego nūquam aperuissem, nisi res acta sic esset. delatus est ad me fasciculus: solui, siquid esset ad me literarum: nihil erat. Epistola Vatinius & Ligurio altera: iussi ad eos deferri. illi ad me statim ardentis dolore venerunt, scelus hominis clamantes. Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. hic Ligurius furere: se enim scire summo illum in odio fuisse Cæsari, illum tamen non modò fouisse, sed & tantam pecuniam illi dedisse honoris mei causa. Hoc ego dolore accepto, volui scire quid scripsisset ad cæteros: ipsi enim illi putavi perniciosum fore, si eius hoc tantum scelus percrebisset: cognoui. Eiusdem generis literas ad te misi: quas si putabis illi ipsi vtile esse reddi, reddes. nil me lædet: nam quòd resignatæ sunt, habet opinor eius signum Pomponia. hac ille acerbitate initio nauigationis cū vsus esset, tātō me dolore affecit, vt postea iacuerim. neque nunc tam pro se, quàm contra me laborare dicitur. ita omnibus rebus vrgeor, quas sustinere vix possum, vel planè nullo modo possum. quibus in miseris vna est pro omnibus, quòd istam miseram, patrimonio, fortuna omni spoliata relinquam. Quare te, vt polliceris, videre planè velim: alium enim, cui illam commendem, habeo neminem, quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quæ mihi. sed si me non offendes, satis tamen habeto commendatam, patruūque in ea, quātum poteris, mitigato. Hæc ad te die natali meo scripsi: quo vtinam susceptus non essem, aut nequid ex eadem matre postea natum esset. Plura scribere fletu prohibeor. Vale.

CICERO ATTICO S.

AD MEAS incredibileis ægritudines aliquid noui accedit ex iis quæ de Q. Q. ad me afferuntur. P. Terentius meus necessarius operas in portu & scriptura Asiæ pro magistro dedit. Is Quintum filium Ephesi vidit v. Id. Decemb. eūque studiose propter amicitiam nostram inuitauit. cūque ex eo de me contaretur, eum sibi ita dixisse narrabat, se mihi esse inimicissimum, volumēque sibi ostendisse orationis, quam apud Cæsarem contra me esset habiturus: multa à se dicta contra eius amentiam: multa postea Patris consimili scelere secum Quintum patrem locutum: cuius furorem ex iis epistolis, quas ad te misi, perspicere potuisti. hæc tibi dolori esse certò scio: me quidem excruciant, & eō magis, quòd mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto. De Africanis rebus longè alia nobis, ac tu scripseras, nuntiantur: nihil enim firmius esse dicunt, nihil paratius. accedit Hispania, & alienata Gallia: legionum nec vis eadem, nec²³ voluntas, vrbana res perditæ. Quid est vbi acquiescam? nisi quādiu tuas literas lego. quæ essent profectò crebriores, siquid haberes, quo putares meam molestiam minui posse. Sed tamen te rogo, ne intermittas scribere ad me, quicquid erit: eosque, qui mihi tam crudeliter inimici sunt, si odisse non potes, accuses tamen: non vt aliquid proficias, sed vt tibi me charum esse sentiant. Plura ad te scribam, si mihi ad eas literas, quas proximè ad te dedi, rescriperis. Vale. xii. Cal. Febr.

CICERO ATTICO S.

CONFECTVS iam cruciatu maximorum dolorum, ne si sit quidem, quod ad te debeam scribere, facilè id exequi possem, hoc minus, quòd res nulla est quæ scribenda sit: cū præsertim ne spes quidem vlla ostendatur fore melius. Ita iam ne tuas quidem²⁴ literas expecto. quanquam semper aliquid afferunt, quod velim. Quare tu quidem scribito, cū erit cui des. Ego tuis proximis, quas tamen iam pridem accepi, nihil habeo

quod rescribam: longo enim interuallo video immutata esse omnia, illa esse firma quæ debeant, nos stultitiæ nostræ grauissimas pœnas pendere. P. Sallustio curanda sunt *hs. xxx.* quæ accipià Cn. Sallustio. velim videas, vt sine mora curentur. De ea re scripsi ad Terentiam, atque hoc ipsum iam propè cōsumptum est. Quare id quoque velim, cum illa videas, vt sit, quæ vtamur. hîc fortasse potero sumere, si sciam istic paratum fore: sed prius, quàm id scirem, nihil sum ausus sumere. Qui sit omnium rerum status noster, vides. nihil est mali quod non & sustineam & expectem. quarum rerum eò grauior est dolor, quò culpa maior. Ille in Achaia nō cessat de nobis detrahere. nihil videlicet tuæ literæ profecerunt. Vale. *viii.* Id. Martii.

CICERO ATTICO S.

CEPHALIO mihi à te literas reddidit ad *viii.* Id. Martii vespere. eo autem die mane tabellarios miseram, quibus ad te dederam literas. tuis tamen lectis literis, putavi aliquid rescribendum esse, maximè, quòd ostendis te pendere animi, quamnam rationem sim Cæsari allaturus profectiois meæ tum, cum ex Italia discesserim. nihil opus est mihi noua ratione: sæpe enim ad eum scripsi, multisque mandauî non potuisse, cum cupiissem sermones hominum sustinere: multaque in eam sententiã. nihil enim erat, quod minus eum vellem existimare, quàm me tanta de re nō meo consilio vsus esse. Posteaque quàm mihi literæ à Balbo Cornelio minore missæ essent, illum existimare Quintum fratrem lituum meæ profectiois fuisse (ita enim scripsit) qui nondum cognossem quæ de me Quintus scripsisset ad multos: etsi multa præsens in præsentè acerbè dixerat & fecerat, tamen L. in eo his verbis ad Cæsare scripsi. de Quinto fratre meo non minus laboro, quàm de me ipso: sed eum tibi commédare hoc meo tempore non audeo. illud duntaxat tamen audebo petere abs te, quod te oro, nequid existimes ab illo factum esse, quo minus mea in te officia constarent, minúsvē te diligerem, potiúsque illum semper auctorem nostræ coniunctionis fuisse, meique itineris comitem, non ducem. Quare cæteris in rebus tantum ei tribues, quantum humanitas tua, amicitiaque vestra postulat. ego ei nequid apud te obsum, id te vehemèter etiam atque etiam rogo. Quare, si quis congressus fuerit mihi cum Cæsare (etsi non dubito quin is lenis in illum futurus sit, idque iam declarauerit) ego tamen is ero, qui semper fui. sed, vt video, multò magis est nobis laborandum de Africa. quam quidem tu scribis confirmari quotidie magis ad conditionis spem, quàm victoriæ. quod vtinam ita esset: sed lōgè aliter esse intelligo, tēque ipsum ita existimare arbitror: aliter autem scribere non fallendi, sed confirmandi mei causa, præsertim cum adiungatur ad Africam etiam Hispania. Quòd me admones, vt scribam ad Antonium & ad cæteros: siquid videbitur tibi opus esse, velim facias id, quod sæpe fecisti: nihil enim venit mihi in mētem quod scribendum putem. Quòd me audis fractiorem esse animo: quid putas, cum videas accessisse ad superiores ægritudines præclaras generi actiones? Tu tamen velim, ne intermittas, quoad eius facere poteris, scribere ad me, etiam si rem, de qua scribas, nō habebis: semper enim afferunt aliquid mihi literæ tuæ. Galeonis hæreditatem creui: puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est. Vale. *viii.* Id. Mart.

CICERO ATTICO S.

AMVRENÆ liberto nihil adhuc acceperam literarum. P. Sifer reddiderat eas, quibus rescribo. De Seruii patris literis quòd scribis, item Quintum in Syriam venisse, quòd ais esse qui nuntient: ne id quidem verum est. Quòd certiore te vis fieri, quo quisque in me animo sit, aut fuerit eorum, qui huc venerūt: neminem alieno intellexi. Sed quantum id mea interfit, existimare te posse certò scio. Mihi cum omnia sunt intolerabilia ad dolorem, tum maximè, quòd in eam causam venisse me video, vt sola utilia mihi esse videantur, quæ semper nolui. P. Lentulum patrem Rhodi esse aiunt, Alexandriæ filium, Rhodoque Alexandriam C. Cassium profectum esse constat. Quintus mihi per literas fatiffacit, multò asperioribus verbis, quàm cum grauissimè accusabat:

ait enim se ex literis tuis intelligere, tibi non placere, quod ad multos de me asperius scripsit. Itaque se pœnitere, quòd animum tuum offenderit: sed se iure fecisse. Deinde perscribit spurcissimè, quas ob causas fecerit. Sed neque hoc tempore, nec antea patefecisset odium suum in me, nisi omnibus rebus me esse oppressum videret. Atque vti nam vel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, itineribus propius te accessissem. Nunc nec vbi, nec quando te sim visurus, possum suspicari. De cohæredibus Fufidianis nihil fuit quod ad me scriberes: nam & æquum postulant, & quicquid egisses, rectè esse actum putarem. De fundo Frusinati redimendo iam pridem intellexisti voluntatem meam. etsi tum meliore loco res erāt nostræ, neque tam mihi desperaturi videbamur: tamen in eadem sum voluntate. Id quemadmodum fiat, videbis. & velim, quoad poteris, consideres, vt sit vnde nobis suppedientur sumptus necessarii. si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, cum id videbamur sapienter facere, detulimus. Itaque tum & à tuo villico sumpsimus, & aliunde mutuati sumus, cum Quintus quereretur per literas, sibi nos nihil dedisse, qui neque ab illo rogati sumus, neque ipsi eam pecuniam aspeximus. Sed velim videas quid sit quod confici possit, quidque mihi de omnibus des consilii. & causam nostri. Plura ne scribam, dolore impediatur. siquid erit quod ad quos scribendum meo nomine putes, velim, vt soles, facias: quotiesque habebis, cui des ad me literas, nolim prætermittas. Vale.

CICERO ATTICO S.

NON me offendit veritas literarum tuarum, quòd me tum communibus, tum præcipuis malis oppressum ne incipis quidem, vt solebas, consolari: faterisque id fieri iam non posse. nec enim ea sunt, quæ erant antea, cum, vt nihil aliud, comites me, & socios habere putabam: omnes enim Achaici deprecatores, item qui in Asia, quibus non erat ignotum, etiam quibus erat, in Africam dicuntur nauigaturi. Ita, præter Lælium, neminem habeo culpæ sociū: qui tamen hoc meliore in causa est, quòd iam est receptus. de me autem nō dubito quin ad Balbum & ad Oppium scripserit: à quibus, siquid esset lætius, certior factus essem, tecum etiam essent locuti: quibuscum tu de hoc ipso colloquare velim, & ad me, quid tibi responderint, scribas: non quòd ab isto salus data quicquā habitura sit firmitudinis: sed tamen aliquid consuli & prospici poterit. etsi omnium conspectum horreo, præsertim hoc genero: tamen, in tātis malis quid aliud velim, non reperio. Quintus pergīt, vt ad me & Pansa scripsit, & Hircius: isque item Africam petere cum cæteris dicitur. Ad Minutium parentem scribam, & tuas literas mittam. ad te scribam, num quid egerit. *hs. xxx.* potuisse mirarer, nisi multa de Fufidianis prædiis: & id video tamen. Te expecto, quem videre, si vllō modo potes venire, peruellem. Iam extremum concluditur. ibi facile est, quid, quale sit, grauius existimare. Vale.

CICERO ATTICO S.

QUONIAM iustas causas affers, quòd te hoc tempore videre non possim: quæso, quid sit mihi faciendum: ille enim ita videtur Alexandriam tenere, vt cum scribere etiam pudeat de illis rebus. ii autem ex Africa iam affuturi videntur. Achæi item ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco commoraturi. quid mihi igitur putas agendum: video difficile esse consilium: sum enim solus, aut cum altero, cui neque ad illos reditus sit, neque ab iis ipsis quicquam ad spem ostendatur. sed tamen scire velim, quid censeas: idque erat cum aliis, cur te, si fieri posset, cuperem videre. Minutium *xix.* sola curasse scripsi ad te antea. quod superest, velim videas vt curetur. Quintus non modò non cum magna prece ad me, sed acerbissimè scripsit: filius verò mirifico odio. nihil fingi potest mali, quo non vrgear. omnia tamen sunt faciliora, quàm peccati dolor, qui & maximus est, & æternus. cuius peccati si socios essem habiturus ego, quos putavi, tamen esset ea consolatio tenuis: sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum. alii capti, alii interclusi non veniunt in dubium de voluntate: eo minus scilicet, cum se expedierint, & vnà esse cœperint. ii autem ipsi, qui sua voluntate ad Fufium venerunt,

nihil possunt, nisi timidi existimari. multi autem sunt, qui, quicūque sunt, modò ad illas se recipere volent, recipientur. quo minus debes mirari, non posse me tanto dolori resistere: solius enim meum peccatum corrigi non potest, & fortasse Lælii: sed quid me id leuat: nam C. quidem Cassium aiunt consilium Alexandriam eundi mutauisse. Hæc ad te scribo, vt non queas tu demere sollicitudinem, sed vt cognoscam, ecquid tu ad ea afferas, quæ me conficiunt, ad quæ gener accedit, & cætera, quæ fletu reprimor, ne scribam. Quinetiam AEsopi F. me excruciat. prorsus nihil abest quin sim miserrimus. Sed ad primum reuertor: quid putes faciendum, occultene aliquò propius veniendum, an mare transeundum: nam hic maneri diutius non potest. De Fufidianis quare nihil potuit confici: genus enim conditionis eiusmodi fuit, in quo non solet esse controuersia: cum ea pars, quæ videtur esse minor, licitatione expleri posset. Hæc ego non sine causa quæro: suspicor enim cohæredes dubiam nostram causam putare, & eò rem in integro esse. Vale. prid. Id. Maii.

CICERO ATTICO S.

NON meo vitio fit hoc quidem tempore (antè enim est peccatum) vt me ista epistola nihil confoletur: nam & exigue scripta est, & suspiciones magnas habet, non esse ab illo, quas animaduertisse te existimo. De obuiatione ita faciam vt suades: neque enim valde aduentus eius opinio est: neque, si qui ex Asia veniunt, quicquam auditum esse dicunt de pace: cuius ego spe in hanc fraudem incidi. Nihil video quod sperandum putem, nunc præferim, cum ea plaga in Asia sit accepta, in Illyrico, in Cassiano negotio, in ipsa Alexandria, in Vrbe, in Italia. ego verò, etiam si rediturus ille est, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum, eius negotium confectum iri puto. Quòd autem scribis quandam lætitiā bonorum esse comotam, vt sit auditum de literis: tu quidem nihil prætermittis in quo putes aliquid solatii esse: sed ego non adducor quenquam bonum vllam salutem putare mihi tanti fuisse, vt eam peterem ab vllò: & eò minus, quòd huius consilii iam ne socium quidem habeo quenquam, qui in Asia sunt, rerum exitum expectant. Achaici etiam Fufio spem deprecationis afferunt. horum & timor idem fuit primò, qui meus, & constitutum. mora Alexandrina causam illorum correxit, meam euertit. Quam ob rem idem à te nunc peto, quod superioribus literis, vt siquid in perditis rebus dispiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres. si recipior ab iis, quod vides non fieri, tamè quoad bellum erit, quid agam, aut vbi sim, non reperio. sin iactor, eo minus. Itaque tuas literas expecto: easque vt ad me sine dubitatione scribas, rogo.

Quòd suades, vt ad Quintum scribam de his literis: facerem si me quicquam istæ literæ delectaret. Et si quidam scripsit ad me his verbis, Ego, vt in his malis, Patris sum non inuitus: essem libentius, si frater tuus ea de te loqueretur, quæ ego audire vellem.

Quòd ais illum ad te scribere, me sibi nullas literas remittere: semel ab ipso accepi: ad eas Cephalioni dedi, qui multos menses tempestatibus retentus est. Quintum filium ad me acerbissime scripsisse, iam antè ad te scripsi. Extremum est, quod te orem, si putas rectum esse, & à te suscipi posse, cum Camillo communices, vt Terentiam moneatis de testamento. tēpora monent, vt videat, vt satisfaciat, quibus debeat. Auditum ex Philotimo est, eam sceleratè quædam facere. credibile vix est. sed certè, siquid est, quod fieri possit, prouidendum est. De omnibus rebus velim ad me scribas, & maximè quid scribas de ea: in quo tuo consilio egeo, etiam si nihil excogitas: id enim mihi erit pro desperato. Vale. III. Non. Iun.

CICERO ATTICO S.

PROPERANTIBVS tabellariis alienis hanc epistolam dedi, eò breuiorem, quòd eram missurus meos. Tullia mea venit ad me prid. Id. Iun. deque tua erga se obseruantia, beneuolentiæque mihi plurima exposuit, literasque reddidit trinas. Ego autem ex ipsius virtute, humanitate, pietate non modò eam voluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui: sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in

tā misera fortuna versari: idque accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea. Itaque à te neque cōsolationem iam, qua cupere te vt video, neque consiliū, quod capi nullum potest, expecto: tēque omnia cum superioribus sæpe literis, tum proximis tēasse intelligo. Ego cum Sallustio Ciceronē ad Cæsarem mittere cogitabā. Tulliam autem non videbā esse causam, cur diutius mecū tātò in cōmuni mœrore retinerem. Itaque erā tibi eā, cum primū per ipsam liceret, remissurus. pro ea, quæ admodum cōsolandis scripsisti, P. tātò eo me scripsisse, quæ tu ipse intelligis respōderi potuisse. Quòd Oppium tecum scribis locutum, non abhorret à mea suspitione eius oratio: sed nō dubito quin istis persuaderi nullo modo posset, ea quæ faciant, mihi probari posse, quoquo modo loquar. ego tamen vtar moderatione, qua potero. quanquam quid mea intersit, vt eorum odium subeam, non intelligo. Te iusta causa impediri quo minus ad nos venias video, idque mihi valde molestum est. Illum ab Alexandria discessisse nemo nūtiat, constatque ne profectum quidem illo quenquam post Id. Mart. nec post Id. Decemb. ab illo datas vllas literas. ex quo intelligis illud de literis ad v. Id. Febr. datis (quod inane esset, etiam si verum esset) non verum esse. L. Terentium discessisse ex Africa scimus, Præstūque venisse: quid is afferat, aut quomodo exierit, aut quid in Africa fiat, scire velim: dicitur enim per Nasidium emissus esse. id quale sit, velim si inueneris, ad me scribas. De HS. x. vt scribis, faciam. Vale. xviii. Calend. Quint.

CICERO ATTICO S.

DE illius ab Alexandria discessu nihil adhuc rumoris, contrāque opinio, valde esse impeditum. Itaque nec mitto, vt constitueram, Ciceronem: & te rogo, vt me hinc expedias. quoduis enim supplicium leuius est hac permāsiōne. Hac de re & ad Antonium scripsi, & ad Balbum & ad Oppium: siue enim bellum in Italia futurum est, siue classibus vtetur, hinc esse me minimè conuenit: quorum fortasse vtrunque erit: alterum certè intellexi omnino ex Oppii fermone, quem tu mihi scripsisti, quæ istorum via esset. sed vt eam flectas te rogo. Nihil omnino iam expecto, nisi miserum. sed hoc perditius, in quo nunc sum, fieri nihil potest. Quare cum Antonio loquere velim, & cum istis, & rem vt poteris, expedias, & mihi quamprimū de omnibus rebus rescribas. Vale. xii. Calend. Quint.

CICERO ATTICO S.

CUM tuis dare possem literas, non prætermisi: etsi quid scriberem, non habebam. Tu ad nos & rarius scribis, quàm solebas, & breuius: credo quia nihil habes quod me putes libenter legere aut audire posse. Veruntamen velim, quid erit, qualecūque erit, scribas. Est autem vnum, quod mihi sit optandū, siquid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe: sed quia tu leuiter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum vix est. Philotimus dicitur Idib. Sext. nihil habeo de illo amplius. tu velim ad ea mihi rescribas, quæ ad te antea scripsi. mihi tantum temporis satis est, dum, vt in pessimis rebus, aliquid caueam, qui nihil vnquam caui. Vale. xi. Cal. Sext.

CICERO ATTICO S.

xvii. Calend. Septemb. venerat die xxviii. Seleucea Peria C. Trebonii, is qui se Antiochiæ diceret apud Cæsarem vidisse Quintum filium cum Hircio: eos de Quinto, quæ voluissent impetrasse nullo quidem negotio. quod ego magis gauderem, si ista nobis impetrata quicquam ad spē explorati haberent. Sed & alia timenda sunt ab aliisque: & ab hoc ipso quæ datur, vt à domino, rursus in eiusdem sunt potestate. etiam Sallustio ignouit. Omnino dicitur nemini negare. quod ipsum est suspectum, notiorè eius differri. M. Gallius Q. F. mancipia Sallustio reddidit. Is venit, vt legiones in Sicilia traduceret, & protinus iturum Cæsarem Patris. quod si faciet, ego quod antè mallet, aliquò propius accedam. Tuas literas ad eas, quibus à te proximè consilium petiui, vehementer expecto. Vale. xv. Calend. Septemb.

CICERO ATTICO S.

ACCEPI VI. Caléd. Septemb. literas à te datas xii. Calend. dolorémque, quem ex Quinti scelere iam pridè acceptum iam abieceram, lecta eius epistola, grauissimum ce-
pi. Tu etsi non potuisti vllò modo facere, vt mihi illam epistolam non mitteres, tamen
malletm nò esse missam. Ad ea autem, quæ scribis de testamento, videbis quid, & quo
modo. De numis & illa sic scripsit, vt ego ad te antea, & nos siquid opus erit, vtemur ex
eo, de quo scribis. Ille ad Calend. Septemb. Athenis non videtur fore: multa cum in
Asia dicuntur morari, maximè Pharnaces. Legio xii. ad quam primùm Sulla venit, la-
pidibus egisse hominem dicitur. nullam putant se commoturam. illum arbitrantur
protinus Patris in Siciliam. sed si hoc ita est, huc veniat necesse est: ac malletm illum: a-
liquo enim modo hinc euasissem. nunc metuo, ne sit expectandum: & cum reliquis
etiam loci grauitas hîc miserimè perferenda. Quòd me mones vt ea videam, quæ
ad tempus accommodem, facerem, si res pateretur, & si vllò modo fieri posset: sed in
tantis nostris peccatis, tantisque nostrorum iniuriis nihil est, quod aut facere dignum
nobis, aut simulare possim. Sullana còfers: in quibus omnia genere ipso præclarissima
fuerunt, moderatione paulò minus temperata: hæc autem eiusmodi sunt, vt obliuiscar:
multoque malim, quod omnibus sit melius, quorum vtilitati meam iunxi. Tu ad me ta-
men velim quam sepius scribas: eoque magis, quòd præterea nemo scribit: ac si om-
nes, tuas tamen maximè expectarem. Quod scribis, illum per me Quinto fore placa-
torem: scripsi ad te antea, eum statim Q. F. omnia tribuisse, nostri nullam mentionem. Vale.

CICERO ATTICO S.

DILIGENTER mihi fasciculum reddidit Balbi tabellarius: accepi enim à te lite-
ras, quibus videris vereri, vt epistolas illas acceperim: quas quidem vellem mihi nun-
quam redditas: auxerunt enim mihi dolorem: nec si in aliquem incidissent, quicquam
noui attulissent. Quid enim tam peruulgatum, quam illius in me odium: & genus hoc
literarum, quod ne Cæsar quidem ad istos videtur misisse, quasi quo illius improbitate
offenderetur: sed credo vti notiora nostra mala essent. Nam quòd te vereri scribis, ne il-
li obsint, eique rei mederi: ne rogari quidem se passus est de illo. quod quidem mihi
molestum non est: illud molestius, istas impetrationes nostras nihil valere. Sulla, vt
opinor, cras erit hîc cum Messala. currunt ad illu pulsi à militibus, qui se negant vsquam,
nisi acceperint. ergo ille huc veniet: quod non putabant: tardè quidem: itinera enim
ita facit, vt multos dies in oppidum ponat. Pharnaces autem quomodo agit, afferet mo-
ram. quid mihi igitur censes: iam enim corpore vix sustineo grauitatem huius cæli, qui
mihi laborem affert in dolore. An his illuc euntibus mandem, vt me excusent: ipse ac-
cedam propius: quæso attende: & me, quod adhuc sæpe rogatus non fecisti, consilio iu-
ua. scio rem difficilem esse, sed vt in malis. Etiam illud mea magni interest, vt videam:
profectò aliquid profecero, si id acciderit. De testamento, vt scribis, animaduertes. Vale.

CICERO ATTICO S.

QUOD ad te scripseram, vt cum Camillo communicares, de eo Camillus mihi scri-
psit, te cum eo locutum. Tuas literas expectabam: nisi illud quidem mutari, si aliter
est ac oportet, non video posse: sed cum à nullo accepissem literas, desideravi tuas (etsi
putabam te fortiorem factum non esse) modò valeres: scripseras enim te quodam va-
letudinis generetentari. Augustus quidem Rhodo venerat viii. Id. Quint. is nuntia-
bat, Quintum F. ad Cæsarem profectum iiii. Calend. Iun. Philotimum Rhodum pri-
die eius diei venisse, habere ad me literas. ipsum Augustum audies. sed tardius iter facie-
bat. còfeci, vt celeriter eunti darem. quid sit in his literis, nescio. sed mihi valde Quin-
tus frater gratulatur. Equidem in meo tanto peccato nihil ne cogitatione quidem asse-
qui possum, quod mihi tolerabile possit esse. Te oro, vt de hac misera cogites, & illud,
de quo ad te proximè scripsi, vt aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam, & etiam
de ipso testamento, illud quoque vellem antea. sed omnia timuimus. melius quidem

in pessimis nihil fuit. Diffidio aliquid fecissemus, vt viui vel tabularum nouarum no-
mine, vel nocturnarum expugnationum, vel Metellæ, vel omnium maiorum. nec res
periisset, & videremur aliquid doloris virilis habuisse. Memini omnino tuas literas. sed
& tempus illud, & siquid vis præstitit. nunc quidem ipsa videtur denuntiare: audimus
enim de statu Reipub. O' dii, generumne nostrum potissimum, vt hoc vel tabulas no-
uas: Placet mihi igitur, & idem tibi, nuntium remitti. petet fortasse tertiam pensionem.
Confidera igitur tum, ne vim abuso nascetur, an prius ego si vllò modo potuero, vel
nocturnis itineribus experiar vt te videam. Tu & hæc, & siquid erit quod interfit me sci-
re, scribas velim. Vale.

CICERO ATTICO S.

QUAE dudum ad me, & quæ etiam ad me bis, ad Tulliam de me scripsisti, ea sentio
esse vera. eò sum miserior. etsi nihil videbatur addi posse, quòd mihi nò modò irasci gra-
uissima iniuria accepta, sed ne dolere quidè impunè liceat. Quare istud feramus. quod
cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quæ tu, ne accidant, vt caueamus mo-
nes. Ea enim est à nobis contracta culpa, vt omni statu, omnique populo eundem exi-
tum habitura videatur. sed ad meam manum reddiderint. enim hæc occultius agenda.
Vide quæso etiam nunc de testamento, quod tum factum, cum illa quærere cœperat.
non credo, & commoti: neque enim rogari, ne me quidem, sed quasi ita sit, quoniam in
sermone iam venisti, poteris eam monere, vt alicui committat, cuius extra periculum
huius belli fortuna sit. Equidem tibi potissimum velim, si idem illa vellet: quam quidem
cælo. miseram, in hoc timere de illo altero. Scio equidem venire nunc nil posse: sed se-
poni & occultari possunt, vt extra ruinam sint eam, quæ impendet. Nam quòd scribis
nobis, nostra, & tua Terentiæ fore parata, tua credo: nostra quæ poterunt esse: De Terē-
tia autem (mitto cætera, quæ sunt innumerabilia) quid ad hoc addi potest: scripseras, vt
HS. xii. permutaret, tantum esse reliquum de argento. misit illa c c l o o. mihi, & ascri-
psit tantum esse reliquum. Cum hoc tam paruum de paruo detraxerit, perspicis quid in
maxima re fecerit: Philotimus non modò nullus venit, sed ne per literas quidem, aut
per nuntium certiozem facit me quid egerit. Epheso qui veniunt, ibi se eum de suis cò-
trouersis in ius adeuntem vidisse nuntiant: quæ quidem (ita enim verisimile est) in ad-
uentum Cæsaris fortasse reiciuntur. Ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me
celerius perferendum, & eo me magis esse despectum: aut etiam siquid habet, id nisi o-
mnibus suis negotiis confectis ad me referre non curet. Ex quo magnum equidem ca-
pio dolorem, sed non tantum, quantum videor debere: nihil enim mea minus interesse
puto, quàm quid illinc afferatur. Id quamobrè, te intelligere certò scio. Quòd me mo-
nes de vultu & oratione ad tempus accommodada, etsi difficile est, tamen imperarem
mihi, si mea quicquam interesse putarem. Quòd scribis literis putare Africanum ne-
gotium confici posse: velim scriberes, cur ita putares. Mihi quidem nihil in mētem ve-
nit, quare id putem fieri posse. Tu tamen velim, siquid erit, quod consolationis aliquid
habeat, scribas ad me: sin, vt perspicio, nihil erit, scribas id ipsum. Ego ad te, siquid audie-
ro, citius scribam. Vale. viii. Id. Sext.

CICERO ATTICO S.

FACILE assentior tuis literis, quibus exponis pluribus verbis, nullum te habere con-
siliu, quo à te possim iuuari. Còsolatio certè nulla est, quæ leuare possit dolorem meū:
nihil est enim contractum casu: nam id esset ferendum: sed omnia fecimus his errori-
bus & miseriis & animi & corporis: quibus proximi vtinam mederi maluissent, quàm
obesse. Quoniam neque consilii tui, neque consolationis cuiusquam spes vlla mihi o-
stenditur, non quæram hæc à te posthac. Tantum velim ne pristinum hoc officium in-
termittas: scribas ad me quicquid veniet tibi in mentem, cum habebis cui des, & dum
erit ad quem des: quod longum non erit. Illum discessisse Alexandria rumor est non
firmus, ortus ex Sulpitii literis, quas cuncti postea nuntii confirmarunt. Quod verum

an falsum sit, quoniam mea nihil interest, vtrum malim nescio. Quòd ad te iam pridem de testaméto scripsi apud epistolas, velim vt possim aduersus ego huius miseriam * ea facultate confectus conflictari. Nihil vnquam simile natum puto. Cui si qua re consulere aliquid possum, cupio à te admoneri. Video eandem esse difficultatem, quam in consilio dato antè: tamen hoc me magis sollicitat, quàm omnia. In pensione secunda cæci fuimus. Alium mallet. sed præteriit. Te oro, vt in perditis rebus, siquid cogi cōficique potest, quod sit in tuto, ex argento, neque satis multa ex supellectile, des operam. Iam enim mihi videtur adesse extremum, nec vlla fore conditio pacis, eaque quæ sunt, etiã sine aduersario peritura. Hæc etiam, si videbitur, cum Terétia loquere oportumè. Non quæro omnia scribere. Vale. III. Non. Quint.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER XII.

CICERO ATTICO S.



VND ECIMO die, postquam à te discefferam, hoc literularum exaravi, egrediens è villa ante lucem: atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano. Ibi vnum diem, v. Caléd. igitur ad constitutum: atque vtinam continuo ad complexum meæ Tullia, ad osculum Atticæ possim currere. Quod quidem ipsum scribe quæso ad me, vt dum consisto in Tusculano, sciam quid garriat. sin rusticatur, quid scribat ad te: eique interea aut scribes salutem, aut nuntiabis, itémque Pilia: & tamen etsi continuo congressuri sumus, scribes ad me siquid habebis. Cum complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius. qua lecta, de Atticæ febricula scilicet valde dolui. Reliqua quæ expectabam, ex tuis literis cognoui omnia. Sed quòd scribis igniculum matutinum, *γερονικώτερον* est memoriola vacillare. Ego enim IIII. Calend. Axio dederam, tibi III. Quinto, quo die venissem, id est v. Calend. Hoc igitur habebis, noui nihil. Quid ergo opus erat epistola: quid cum coram sumus, & garrimus quicquid in buccam: est profectò quædam λέξις, quæ habet, etiam si nihil subest, collocutione ipsa suauitatem. Hic rumor est, T. Murcum periisse naufragio, Asinium delatum viuum in manus militum, L. naues delatas Vticam reflatu hoc, Pompeium non comparere, nec in Balearibus omnino fuisse, vt Patietus affirmat. Sed author nullus rei quisquam. Habes, quæ dum tu abes, locuti sunt. Ludi interea Prænestæ. Ibi Hircius, & isti omnes, & quidem ludi dies octo. Quæ cœnæ: quæ deliciae: res interea fortasse transacta est. O miros homines. At Balbus ædificat. *τί γὰρ αὐτὰς μέλει;* Verùm, si quæris hominem, homini non recta, sed voluptaria quærenti nōne *βεβίωται*: tu interea dormis. Iam explicandum est *πρὸς βλημια*, siquid acturus es. Si quæris, quid putem, ego fructum puto. Sed quid multa: iam te videbo, & quidem, vt spero, de via rectà ad me: simul enim & diem Tyrannioni cōstituemus, & siquid aliud. Vnum te puto minus blandum esse, quàm me. Aut, si vterque nostrum est aliquando aduersus aliquem, inter nos certè nunquam sumus. Audi igitur me hoc *ἀροητύτως* dicentem, Ne viuam mi Attice, si mihi non modò Tusculanum, vbi cæteroqui sum libenter, sed *μακίρων νησι* tanti sunt, vt sine te sim totos dies. Quare obduretur hoc triduum: vt te quoque ponam in eodem *παρά*: quod ita est profectò. Sed velim scire, hodiène statim de auctione, & quo die venias. Ego me interea cum libellis. At molestè fero Vennonii me historiam non habere. Sed tamen, ne nihil de re, nomen illud, quod à Cæsare, treis habet conditiones, aut emptionem ab hasta (perdere malo: etsi præter ipsam turpitudinem, hoc ipsum puto esse perdere) aut delegationem à mancipe annua die (quis erit, cui credam: aut quando ipsi Metoni annus veniet:) aut Vecteni conditionem, semisse.

* *σκέλει* igitur. Ac vereor, ne iste iam auctiōnem nullā faciat, sed ludis factis Clypo subsidio currat, ne talis vir *ἀροητύτως*. Sed *μελήσει*.

CICERO ATTICO S.

O GRATAS tuas mihi, iucundâsque literas. Quid quæris? restitutus est mihi dies festus: angebar enim, quòd Tiro *ἐνερθιδέσει* te sibi esse visum dixerat. Addam igitur, vt censes, vnum diem. Sed de Catone *πρὸς βλημια* *δεξιμήδειον* est. Nō assequor, vt scribam, quod tui conuiuæ non modò libenter, sed etiam æquo animo legere possint. Quin etiam, si à sententiis eius dictis, si ab omni voluntate, consiliis que, quæ de Repub. habuit, recedam, *ψυδῶς* que velim grauitatem, constantiamque eius laudare: hoc ipsum tamen iis odiosum *ἀκουσμα* sit. Sed verè laudari ille vir non potest, nisi hæc ornata sint, quòd ille ea, quæ nunc sunt, & futura viderit, & ne fierent, contenderit, & facta ne videret, vitam reliquerit. Horum quid est, quod Aledio probare possimus? sed cura obsecro, vt valeas, eamque, quam ad omneis res adhibes, in primis ad conualescendū adhibe prudentiam.

CICERO ATTICO S.

QVINTVS pater quartum, vel potius millesimum, nihil sapit, qui latetur Luperco filio & Statio, vt cernat duplici dedecore cumulatam domum. addo etiã Philotimum * tertium. O stultitiam, nisi mea maior esset, singularem. quòd autem osim hanc rem, *ἐρανον* à te fac, non ad *διψασθην κρήνην*, sed ad *πειρήνην* eum venisse. *ἀμπνημια* *σεμνόν* *Αλφειῶ* *πειρήνην* (vt scribis) haurire, in tantis suis præsertim angustiis, *πρὸς τῶντ' ἀρ' ἀποσκήψαι*; sed ipse viderit. Cato me quidem deletat, sed etiam Bassum Lucilium suade Cælio: tu quæres, vt scribis. Ego nihil noui. noscenda est natura, non facultas. Modò de Hortensio & Verginio, tu siquid dubitabis: & si, quod magis placeat: ego quātum aspicio, non facile inueneris. Cum Mustella, quæ admodum scribis, cum venerit Crispus. Ad Aulum scripsi, vt ea, quæ bene nossem de auro, Pisoni demonstrarem. Tibi enim sanè assentior, & istud nimium diu duci, & omnia nunc vndique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud nisi quod ad me pertineat, facile perspicio, meisque negotiis impediri cupiditatem tuam ad me veniendi. Sed mecum esse te puto, non solūm quòd meā rem agis, verum etiã quòd videre videor quo modo agas: neque enim vlla hora tui mihi est operis ignota. Tubulum Præt. video L. Metello, Q. Maximo *c o s s*. Nunc velim P. Scæuola Pontifex maximus, quibus *c o s s*. Trib. pleb. equidem puto Cepione & Pompeio: Præt. enim P. Furio Sext. Atilio. Dabis igitur Tribunatum, & si poteris, Tubulus quo crimine. Et vide quæso, L. Libo, ille qui de Ser. Galba, Censorino, & Mælio, an Quintio, Manlio *c o s s*. Trib. pleb. fuerit: conturbor enim. In Bruti epitoma Fannianorum scripsi, quod erat in extremo: idque ego secutus, hunc Fannium qui scripsit historiam, generum esse scripseram Lælii. Sed tu me *γαυροπετικῶς* refelleras: te autem nunc Brutus & Fannius. Ego tamen de bono authore Hortensio sic acceperam, vt apud Brutum est. Hunc igitur locum expedies. Ego nisi Tironem Dolabellæ obuiam. Is ad me Idibus reuertetur. Te expectabo postridie. De Tullia mea tibi antiquissimum esse video: idque ita vt sit, te vehemèter rogo. Ergo & in integro omnia: sic enim scribis. Mihi etsi Calendæ vitæ fuerunt, incessionumque *δεξιτύπα* fugienda, cōficiendæque tabulæ: nihil tamen tanti, vt à te abessent, fuit. Cum Romæ essem, & te iam iamque visurum me putarem quotidie: tamē horæ quibus expectabam, longæ videbantur. Scis me minimè esse blandum. Itaque minus aliquanto dico, quàm sentio.

CICERO ATTICO S.

DE Cælio vide quæso ne quæ lacuna sit in auro. Ego ista non noui. Sed certè in colybo est detrimèti satis, huc aurum si accedit. Sed quid loquor: tu videbis. Habes Hægesia genus, quod Varro laudat. Venio ad Tyrannionem. Ain' tu: verum hoc fuit: si ne me? At ego quoties, cum essem otiosus, sine te tamē nolui: quomodo hoc ergo lues? Vno scilicet, si mihi librum miseris: quod vt facias, etiam atque etiam rogo. Etsi me non

magis liber ipse delectabit, quam tua admiratio delectauit: amo enim *πῶτα φιλόδημον:* tēque istam tam tenuem *ἡωχία* tam valde admiratum esse gaudeo. etsi tua quidem sunt eiusmodi omnia: scire enim vis, quo vno animus alitur. Sed quæso quid ex ista acuta & graui refertur ad *τέλος:* sed longa oratio est, & tu occupatus in meo fortasse aliquo negotio: & pro isto asfo sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, à te nitidum solem vntumque repetemus. Sed ad prima redeo. Librum, si me amas, mitte: tuus est enim profectò: quoniam quidem est missus ad te. Tantumne ab re tua est otii tibi, vt etiam oratorem legas: maecte virtute, mihi quidem gratum: & erit gratius, si non modò in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli. Cæsar autem mihi irridere visus est *QVAESO* illud tuum, quod erat *δύπνεις*, & vrbānum. Ita porrò te sine cura esse iussit, vt mihi quidem dubitationem omnem tolleret. Atticā doleo tandiu: sed quoniā iam sine horrore est, spero esse, vt volumus. Quæ desideras, omnia scripsi in codicillis, eosque Eroti dedi: breuiter, sed etiam plura quam quæris: in iis de Cicerone, cuius quidem cogitationis initiū tu mihi attulisti. Locutus sum cum eo liberalissimè: quod ex ipso velim, si modò tibi erit commodum, sciscitare. Sed quid differo: Exposui, te ex me detulisse, ecquid vellet, ecquid requireret, velle Hispaniā, requirere liberalitatem. De liberalitate dixi, quantum Publius, quantum Flamen Lentulus filio. De Hispania duo attuli, primum idem, quod tibi, me vereri vituperationē: non satis esse, si hæc arma reliquissimus etiam contraria: deinde fore, vt angeretur, cum à fratre familiaritate & omni gratia vinceretur. velim magis liberalitate vtī mea, quam sua libertate: sed tamen permisi: tibi enim intellexerā non nimis displicere. Ego etiam atque etiam cogitabo: tēque, vt idem facias rogo. Magna res: simplex est manere: illud anceps. Verum videbimus. De Balbo, & in codicillis scripseram, & ita cogito simul ac redierit. Sin ille tardius, ego tamē triduum. &, quod præterii, Dolabella etiam mecum.

De Cicerone, multis res placet. Comes est idoneus. sed de prima pensione antè videamus. Adest enim dies, & ille currit. Scribe quæso, quid referat Celer egisse Cæsarem cum candidatis, vtrum ipse in fœnicularium, an in campum Martium cogitet. Et sanè scire velim nunquid necesse sit comitiis esse Romæ: nam & Piliæ satisfaciendum est, & vtique Atticæ. Næ ego essem hîc libeter, atque id quotidie magis, ni esset ea causa, quam tibi superioribus literis scripsi. Nihil hac solitudine iucundius, nisi paulum interpellasset Amyntæ filius, *ὃ ἀσπαστολογία δὲς*. Cætera noli putare amabilia fieri posse vlla litore, prospectu maris, tum his rebus omnibus. Sed neque hæc digna longioribus literis, nec erat quid scriberem, & somnus vrgebat. Malè mehercule de Athamante. Tuus autem dolor humanus is quidem, sed magnopere moderandus. consolationum autem multæ viæ: sed illa rectissima. Impetret ratio, quod dies impetratura est. Alexim verò curemus, imaginem Tironis, quem ægrum Romam remisit: & siquid habet, collis, *ἑπιδήμιον* ad me cum testamento transferamus. tota domus superior vacat, vt scis. hoc puto valde ad rem pertinere. Malè de Seio: sed omnia humana tolerabilia ducenda: ipsi enim quid sumus? aut quādiu hæc curaturi sumus? Ea videamus quæ ad nos magis pertinent, nec tamē multò, quid agamus de Senatu. &, vt nequid prætermittam, Cesonius ad me literas misit, Posthumiam Sulpitii domum ad se venisse. De Pompeii Magni filia, tibi rescripsi, nihil me hoc tempore cogitare. alteram verò illam, quam tu scribis, puto nosti: nihil enim vidi fœdus. sed adsum. coram igitur. Ob signata epistola accepi tuas. Atticæ hilaritatem libenter audio. commotiunculis *συμπάγω*. De dote tantò magis perpurga. Balbi regia conditio est delegandi. quoquo modo conficetur pe est rem impeditam iacere. insula Arpinas habere potest germanam *ἀπιδίωσι*: habere videatur: *ἐκγόμιμος* est: igitur animus in hortis: quos tamen inspiciam, cum venero.

De Epicuro, vt voles: etsi *μεταρμύζομαι* in posterum. genus hoc personarum, incredibile est, quam ea quidem requirant. Ad antiquos igitur: *ἀνεμύσθητι γάρ*. Nihil habeo ad te quod perscribam: sed tamen institui quotidie mittere, vt eliciam tuas literas: non quò

aliquid ex his expectē, sed nescio quomodo tamen expecto. Quare siue habes quid, siue nihil habes, scribe tamen aliquid: tēque cura. Comouet me Attica, etsi assentior Cratero. Bruti literæ scriptæ & prudenter & amicè, multas mihi tamen lachrymas attulerūt: me hæc solitudo minus stimulat, quam ista celebritas. Te vnum desidero. sed literis nō difficilius vtor, quam si domi essem. ardor tamē ille vrget, & manet, non mehercule indulgente me, sed tamen repugnante. Quòd scribis de Apuleio, nihil puto opus esse tua contentione, nec Balbo & Oppio, quibus quidem ille receperat, mihi que etiam iusserat nuntiari, se molestum omnino non futurum. sed cura vt excuser morbi causa in dies singulos. Lænas hoc receperat. præde C. Septimium, L. Statilium. denique nemo negabit se iuraturum, quem rogaris. quod si erit durius, veniam, & ipse perpetuum morbum iurabo. cum enim mihi carendum sit conuiuiis, malo id lege videri facere, quam dolore. Cocceium velim appelles: quod enim dixerat, non facit. Ego autem volo aliquod emere latibulum per fugium doloris mei. De me excusando apud Apuleium dederam ad te pridie literas. nihil esse negotii arbitror. quæcunque appellaris, nemo negabit. sed Septimium vide, & Lænatem, & Statilium: tribus enim opus est. sed mihi Lænas totum receperat. Quòd scribis à Iunio te appellatū, omnino Cornificius locuples est: sed tamen scire velim quādo dicar spondisse, & pro patre, an pro filio: neque eò minus, vt scribis, procuratores Cornificii, & Apuleium prædiatorē videbis. Quòd me ab hoc mœrore recreari vis, facis vt omnia. sed me mihi non defuisse tu testis es: nihil enim de mœrore minuēdo scriptum ab vllò est, quod ego non domi tuæ legerim: sed omnem consolationem vincit dolor. Quinetiam feci quod profectò ante me nemo, vt ipse me per literas consolaret. quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. affirmo tibi nullam consolationem esse talem. Totos dies scribo: non quò proficiam quid, sed tantisper impediatur, non equidem satis (vis enim vrget) sed relaxor tamen, ad omniāque nitior, non ad animum, sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum: idque faciens, interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse, nisi faciam. Solitudo aliquid adiuuat: sed multò plus proficeret, si tu tamen interesses. quæ mihi vna causa est hinc descendendi: nam pro malis rectè habebat. quanquam ipsum doleo: non enim iam in me idē esse poteris, perierunt illa quæ amabas. De Bruti ad me literis scripsi ad te antea: prudenter scriptæ. sed nihil, quod me adiuuarent. Quod ad te scripsit, id vellem, vt ipse ad esset: certè aliquid, quoniam me tam valde amat, adiuuaret. quòd siquid scies, scribas ad me velim, maximè autem, Pansa quando. De Attica doleo: credo tamen Cratero. Piliam angi vetabat. Pro omnibus apud Apuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies vt excuser, videbis. In hac solitudine careo omnium colloquio: cumque mane me in syluam abstrusi densam & asperā, non exeo inde ante vesperum. secundum te, nihil est mihi amicus solitudine. In hac mihi omnis sermo est cum literis. cum tamen interpellat fletus: cui repugno, quoad possum: sed adhuc pares non sumus. Bruto, vt suades, rescribam. eas literas cras habebis. cum erit cui des, dabis. Te tuis negotiis relicto, nolo ad me venire: ego enim potius accedam, si diutius impedire: etsi ne decessissem quidē è conspectu tuo, nisi me planè nihil vlla res adiuuaret. quòd si esset aliquod leuamen, id esset in te vno: & cum primū ab aliquo poterit esse, à te erit. Nunc tamen ipsum sine te esse non possum: sed nec tuæ domui probatur, nec meæ poteram: nec, si propius essem vsquam, tecum tamen essem: idem enim te impediret, quò minus mecum esses, quod nunc etiam impedit. mihi adhuc nihil aptius fuit hac solitudine: quam vereor, ne Philippus tollat: heri enim vesperi venerat. me scriptio & literæ non leniunt, sed obruant. Martianus ad me scripsit, me excusatum esse apud Apuleium à Laterensi, Nasone, Lænate, Torquato, Strabone. His velim meo nomine reddendas literas cures, gratum mihi eos fecisse. Quod pro Cornificio me ab hinc amplius annis xv. spondisse dicit Flavius, etsi reus locuples est, & Apuleius prædiator liberalis, tamen velim des operam vt inuestiges ex consponsorum tabulis, sitne

ita. mihi enim ante AEdilitatem meam nihil erat cum Cornificio: potest tamen videri. sed scire certum velim, & appelles procuratores, si tibi videtur: quanquam quid ad me? Veruntamen. Panfa profectioem scribes, cum scies. Atticam saluere iube, & eam cura obsecro diligenter. Pilia salutem. Dum recordationes fugio, quæ quasi morfu quodam dolorem efficiunt, refugio à te admonendo. quod velim mihi ignoscas, eiusmodi est: etenim habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, authores, qui dicant fieri id oportere, quod saepe tecum egi, & quod à te approbari volo. de fano illo dico, de quo tantum, quantum me amas, velim cogites. Equidem neque de genere dubito: placet enim mihi Cluatii: neque de re, statutum est enim. de loco nonnunquam. Velim igitur cogites. Ego, quantum his temporibus tam eruditus fieri poterit, profectò illam consecrabo omni genere monumentorū ab omnium ingeniis scriptorum & Græcorum & Latinorum: quæ res forsitan sit refricatura vulnus meum. sed iam quasi voto quodam & promisso me teneri puto: longumque illud tempus, cum non ero, magis me mouet, quàm hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur. habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam: nam dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fouebam dolores meos. nūc omnia respuo, ne quicquam habeo tolerabilius, quàm solitudinem. quam (quod eram veritus) non obturbauit Philippus: nam, vt heri me salutauit, statim Romam profectus est. Epistolam quam ad Brutum, vt tibi placuerat, scripsi, misi ad te. curabis cum tua perferendā. eius tamen mihi ad te exemplum, vt si minus placeret, ne mitteres. Domestica quòd ais ordine administrari, scribes quæ sint ea: quædā enim expecto. Cocceius vide ne frustretur: nam Libo quod pollicetur, vt Eros scribit, non incertum puto de forte mea. Sulpitio cōfido, & Egnatio scilicet. de Apuleio quid est, quod labores, cum sit excusatio facilis? Tibi ad me venire, vt ostendis, vide, ne non sit facile: est enim longum iter: discedentēque te (quod celeriter tibi erit fortasse faciendum) non sine magno dolore dimittā. Sed omnia, vt voles, ego enim, quicquid feceris, id cum rectè, tum etiam mea causa factum putabo. Heri, cum ex aliorum literis cognouissem de Antonii aduentu, admiratus sum nihil esse in tuis: sed erant pridie fortasse scriptæ, quàm datæ. neque ista quidem curo. sed tamen opinor propter prædes suos accurrisse. Quòd scribis Teretiam de obsignatoribus mei testamenti loqui: primūm tibi persuade, me isthæc non curare: neque esse quicquam aut parua curæ aut noua loci: sed tamen quid simile? Illa eos non adhibuit quos existimauit quæsituros, nisi scissent quid esset. num id etiam mihi periculi fuit? Sed tamen faciat illa quod ego. dabo meum testamentum legendum cui voluerit. intelliget non potuisse honorificentius à me fieri de Nepœce, quàm fecerim. nam quòd non aduocaui ad obsignandum, primūm mihi non venit in mentem: deinde ea re non venit, quia nihil attinuit. tute scis (si modò meministi) me tibi tum dixisse, vt de tuis aliquos adduceres. quid enim opus erat multis? equidem domesticos iusseram. Tum tibi placuit vt mitterem ad Silium. inde est natum, vt ad Publium. sed necesse neutrum fuit. Hoc tu tractabis, vt tibi videbitur. Est hic quidem locus amœnus, & in mari ipso, qui & Antio & Circæis aspici possit: sed ineunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate (si modò hæc stabunt) illud quasi consecratum remanere possit. Equidem iam nihil egeo vectigalibus, & paruo contentus esse possum. cogito interdum trans Tyberim hortos aliquos parare, & quidem ob hanc causam maximè. nihil enim video quod tam celebre esse possit: sed quos, coram videbimus: ita tamen, vt hac æstate fanum absolutum sit. tu tamen cum Apella Chio confice de columnis. De Cocceio & Libone quæ scribis, approbo: maximè quòd de iudicatu meo responsum sit. Siquid perspexeris, & tamen quid procuratores Cornificii dicant, velim scire, ita, vt in ea re te, cum tam occupatus sis, non multum operæ velim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conscripsit, idque tibi placuisse, ne perturbaret. illis egi gratias.

Te tamen, vt iam antè ad te scripsi, scire volo, me neque isto nuntio esse perturbatum, nec iam villo perturbatum iri. Panfa si hodie, vt putabas, profectus est, posthac iam incipito scribere ad me, de Bruti aduentu quid expectes, id est quos ad dies. id, si scies vbi iam sit, facillè coniectura assequere. Quòd ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te mi Attice suscipe totum negotium. vides & officium agi meum quoddā, cui tu es conscius, & vt nonnulli putant, Ciceronis rem. Me quidem id multò magis mouet, quod mihi est & sanctius & antiquius, præsertim cum hoc alterum neque sincerum, neque firmum putem fore. Nondum videris perspicere, quàm me nec Antonius commouerit, nec quicquam iam eiusmodi possit commouere. De Terentia autem scripsi ad te iis literis, quas dederam pridie. Quòd me hortaris, idque à cæteris desiderari scribis, vt dissimulem me tam grauiter dolere: possūmne magis, quòd totos dies consumo in literis? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi & sanandi animi causa facio: tamen, si mihi minus proficio, simulationi certè facio satis. Minus multa ad te scripsi, quòd expectabam tuas literas ad eas, quas ad te pridie dederam. Expectabam autem maximè de Fano, non nihil etiam de Terentia. Velim me facias certiore proximis literis, Cn. Cepio, Seruiliae Claudii pater, viuone patre suo naufragio perierit, an mortuo. Item Rutilia viuone C. Cotta filio suo mortua sit, an mortuo. Pertinet ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus. Legi Bruti epistolam, eamque tibi remissi, sanè non prudèter rescriptam ad ea quæ requisieras. sed ipse viderit. quanquam illud turpiter ignorat. Catonem primūm sententiam putat de animaduersione dixisse, quam omnes antè dixerant, præter Cæsarem. & cum ipsius Cæsaris tam seuera fuerit, qui tum prætorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Seruili, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottæ, L. Cæsaris, C. Pisonis, etiam M. Atilii Glabrionis, Syllani, Murenæ, designatorum Consulium. Cur ego in sententiam Catonis? quia verbis luculentioribus, & pluribus rem eandem comprehenderat. me autè hic laudat, quòd retulerim, non quòd patefecerim, quòd cohortatus sim, quòd denique antè, quàm consulerem, ipsi iudicauerim. Quæ omnia quia Cato laudibus extulerat in cælum, perscribendaque censuerat, iccirco in eius sententiam est facta discessio. hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quòd scripserit, optimum Consulium: quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cætera verò, tibi quemadmodum rescriptis? tantum rogat de s. c. vt corrigas. hoc quidem fecisset, etiam si Ranio admonitus esset. sed hæc iterum ipse viderit. De hortis, quoniam probas, effice aliquid. Rationes meas nosti. Si verò etiam à Faberio recedit, nihil negotii est. sed etiam sine eo posse videor contendere. vanales certè sunt Drusi, fortasse & Lamiani & Cassiani. sed coram. De Terentia non possum comodius scribere, quàm tu scribis. officium sit nobis antiquissimum. siquid nos fefellerit, illius malo me, quàm mei pœnitere. Quia C. Lolii curanda sunt h. s. c. negat Eros posse sine me: credo. quòd accipienda aliqua sit & danda æstimatio. vellem tibi dixisset: si enim res est, vt mihi scribit, parata, nec in eo ipso mentitur, per te confici potuit: cognoscas & conficias velim. Quòd me in forum vocas, eò vocas vnde etiam bonis meis rebus fugiebā. quid enim mihi cum foro sine curia? in oculos incurrentibus iis, quos æquo animo videre non possum? Quòd autem homines à me postulare scribis vt Romæ sim, neque mihi vt absim cōcedere, aut quatenus eos mihi concedere: iam pridem scito esse, cum vnum te pluris quàm omnes illos putem: ne me quidem cōtemno, meoque iudicio multo stare malo, quàm omnium reliquorum. neque tamen progredior longius, quàm mihi doctissimi homines concedunt. quorum scripta omnia quæcunque sunt in eam sententiam, non legi solum (quod ipsum erat fortis ægroti accipere medicinam) sed in mea etiā scripta transtuli, quod certè afflictū & fractū animi non fuit. Ab his me remediis noli in istam turbam vocare, ne recidam. De Teretia, quòd mihi omne onus imponis, non cognosco tuā in me indulgentiā: ista enim sunt ipsa vulnera, quæ non possum tractare sine maximo gemitu. Mo-

derare igitur quæso, vt potes: neque enim à te plus, quàm potes, postulo. Potes autè quid veri sit perspicere tu vnus. De Rutilia, quorū videris dubitare, scribes ad me, cum scies: sed quæ primū, num Clodia D. Bruto consulari filio suo mortuo, vixerit. id de Marcello, aut certè de Posthumia sciri potest: illud autè de M. Cotta, aut de Syro, aut de Sartyro. De hortis etiā atque etiam rogo, omnibus meis, eorūque, quos scio mihi non defuturos, facultatibus, sed potero meis, enitendū mihi est. Sunt etiam quæ vendere facile possim. sed, vt non vendam, eique vsurā pendam, à quo emero, non plus annū possum assequi, quod volo. si tu me adiuuas, paratissimi sunt Drusi. cupit enim vèdere. Proximos puto Lamia: sed abest. Tu tamè siquid potes, odorare. ne Silius quidem quicquā vtitur, & iis vsuris facillimè sustentabitur. Habe tuum negotium, nec quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo, sed quid velim, existima. Putaram te aliquid noui, quòd eiusmodi fuerat initium literarum, quanuis non curarem, quid in Hispania fieret, tamen te scripturum. sed videlicet meis literis respondiisti, vt de foro & de curia. Sed domus est, vt ais, forum. Quid ipsa domo mihi opus est carenti foro: occidimus, occidimus Attice, iam pridem nos quidem: sed nunc fatemur, posteaquam vnum, quo tenebamur, amisimus. Itaque solitudinem sequor. & tamen si qua me res istò abduxerit, enitar, si quo modo potero (potero autem) vt præter me nemo dolorem meum sentiat: si villo modo poterit, ne tu quidem: atque etiā illa causa est non veniendi. meministi quid ex te Atedius quæsierit. quinetiam nūc molesti sunt. quid existimas si venero? De Terentia ita cura vt scribis, mēque hac ad maximas ægritudines accessione non maxima libera. & vt scias me ita dolere, vt non iaceam, quibus Consulibus Carneades, & ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. Hæc nunc quæro, quæ causa fuerit: de Oropo opinor: sed certum nescio: & si ita est, quæ controuersia præterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis, qui etiam Athenis πολιτισί fuerint illustres, quæ etiam ex Apollodori puto posse inueniri. De Attica molestum: sed quoniam leuiter, rectè esse cōfido. De Magala dubium mihi non erat: vnde enim tam felix Ligus pater: Nam quid de me dicam, cui vt omnia cōtingant quæ volo, leuari non possum? De Drusi hortis quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audierā, & vt opinor, heri ad te scripseram. sed quanti quāti, bene emitur quod necesse est. Mihi quoquo modo tu existimas (scio enim ego ipse quid de me existimem) leuatio quædam est, si minus doloris, at officii debiti. Ad Siccam scripsi, quòd vtitur L. Cotta. si nihil conficeretur de Transyberinis, habet in Ostiensis Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci. Ad hanc rem tamen plus etiam satis. Id velim cogites. nec tamen ista pretia hortorum pertimueris. nec mihi argēto iam, nec veste opus est, nec quibusdam amœnis locis: hoc opus est. Video etiā à quibus adiuuari possim. sed loquere cum Silio: nihil enim est melius. Mandauit etiam Sicca. rescriptit, cōstitutum se cum eo habere. Scribat igitur ad me quid egerit, & tu videbis. Bene fecit A. Silius, qui transegerit: neque enim ei deesse volebam: & quid possem, timebam. De Ouia confice vt scribis. De Cicerone tempus esse iam videtur: sed quæro, quod illi opus erit Athenis, permutarīne possit, an ipsi ferendum sit: de totaque re, quemadmodum, & quando placeat, velim consideres. Publius iturūne sit in Africam, & quādo, ex Atedio scire poteris. quæras, & ad me scribas velim. & vt ad meas ineptias redeam, velim me certiore facias, P. Crassus Vinulix filius, vioune P. Crasso consulari patri suo, mortuus sit, vt ego meminisse videor, an post. Item quæro de Regillo Lepidi filio, rectène meminere patre viuo mortuum. Cuspiana explicabis, itemque Pretiana. De Attica optimè: & ei salutem dices & Pilia.

SCRIPSI ad me diligenter Sicca de Silio, seque ad te rem detulisse, quod tu idem scribis. mihi & res, & conditio placet, sed ita vt numerato malim, quàm æstimatione. Voluptuarias enim possessiones nolet Silius. Vætigalibus autem vt his possum esse cōtentus quæ habeo, sic vix minoribus. Vnde ergo numerato: Hs. d. c. exprimes ab Hermogene, cum præsertim necesse erit. Et domi video esse Hs. d. c. reliquæ pecuniæ vel

33 vsuram Silio pēdemus, dum vel à Faberio, vel ab aliquo qui Faberio debet, repræsentabimus. erit etiam aliquid alicūde. sed totam rem tu gubernabis. Drusianis verò hortis multò antepono: neque sunt vnquam comparati, mihi crede. Vna me causa mouet, in qua scio me πετυφώσαι. sed, vt facis, obsequere huic errori meo. Nam quod scribis ἐγγή-
34 Quod quia facile ferebat Sicca, eò magis illum desidero. Præterea nostri Nicia nostri imbecillitatem, mollitiem, consuetudinē victus. Cur ego illi molestus velim, cum mihi ille iucundus esse non possit? volūtas tamen eius mihi grata est. vnam rem ad me scripsit, de qua decreui nihil tibi rescribere. spero enim me à te impetrasse, vt priuares me ista molestia. Pilia & Atticæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Siliano negotio etsi mihi non est ignota conditio, tamen hodie me ex Sicca arbitror omnia cogniturum. Cottæ quidem negas te nosse: sed vltra Silianam villam est (quam puto tibi notam esse) villula sordida & valde pusilla: nihil agri: ad aliam rem loci satis, nihil ad eam quam quæro, sequor celebritatē. sed si perficitur de hortis Silii, hoc est, si perficis (est enim totum positum in te) nihil est scilicet, quod de Cotta cogitemus.

De Cicerone, vt scribis, ita faciam, ipsi permittam de tempore. numerorum quantum opus erit, vt permutetur, tu videbis. Ex Aledio quod scribis, siquid inueneris, scribes: & ego ex tuis animaduerto literis, & profectò tu ex meis nihil habere nos, quod scribamus. eadē quotidie, quæ iam iamque ipsa contrita sunt. tamen facere non possum, quin quotidie ad te mittam, vt tuas accipiam. De Bruto tamè siquid habebis: scire enim iam puto vbi Pansam expectet: si, vt consuetudo est, in prima prouincia, circiter Calendas affuturus videtur: vellem tardius. valde enim Urbem fugio multas ob causas. Itaque id ipsum dubito, an excusationem aliquam ad illum parem: quod quidem video facile esse. Sed habemus satis temporis ad cogitandum. Pilia, Atticæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

DE Silio nihilo plura cognoui ex præsentē Sicca, quàm ex literis tuis. scripseras enim diligenter. Si igitur tu illum conueneris, scribes ad me, siquid videbitur de quo putas ad me missum esse. Sit missum, necne, scio dictum quidem mihi. certè nihil est. Tu igitur vt cœpisti: & siquid ita conficies, (quod equidem non arbitror fieri posse) vt illi probetur, Ciceronem, si tibi placebit, adhibebis. Eius aliquid interest videri illius causa voluisse, mea quidem nihil, nisi id quod tu scis, quod ego æstimo. Quòd me ad consuetudinem reuocas, fuit meum quidem iam pridem Rempub. regere, quod faciebam: sed interea erat vbi acquiescerem. Nunc planè nec ego victum, nec vitā illam colere possum: nec in ea re quid aliis videatur, mihi puto curandum. Mea mihi conscientia pluris est, quàm omnium sermo. Quòd me ipse per literas consolatus sum, non pœnitet me quantum profecerim. mœrorem minui: dolorem nec potui, nec si possem, vellem.

De Triario, bene interpretaris voluntatem meam. Tu verò nihil, nisi vt illi volent. Amo illum mortuum: tutor sum liberis: totā domum diligo. De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipiis pecuniam accipere volet, eamque ei solui, vt nunc soluitur, certè nihil est commodius. si autem ita actum est, vt ipsa mancipia abduceret, non mihi videtur esse æquum. rogas enim me vt tibi scribā quid mihi videatur. nolo enim negotii Quintum fratrem quicquam habere: quod videor mihi intellexisse, tibi videri idem. Publius, si æquinoctium expectat, vt scribis Atedium dicere, nauigaturus videtur. mihi autem dixerat per Siciliam. vtrum, & quando, velim scire. & velim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas: eique de mancipiis, quæ tibi

videbitur, attribuas. Piliæ, Atticæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

SILIVS, vt scribis, hodie. cras igitur, vel potius cum poteris scribes, siquid erit, cum vi-
deris. Nec ego Brutum vito, nec tamen ab eo leuationem vllam expecto: sed erat cau-
sa, cur hoc tempore istuc esse nollem: quæ si manebunt, quærenda erit excusatio ad Bru-
tum: & vt nunc est, mansuræ videntur. De hortis, quæso explica. Caput illud est quod scis.
sequitur, vt etiam mihi ipsi quoddam opus sit. nec enim esse in turba possum, nec à vo-
bis abesse. Huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius. & de hac re quid tui consilii
sit, mihi persuasum est: & eò magis, quod idem intellexi tibi videri, me ab Oppio & Bal-
bo valde diligi. Cum iis communices quantopere, & quare velim hortos, sed id ita pos-
se, si expediatur illud Faberianum. Sint igitur authores futuri: siqua etiam iactura faci-
enda sit in repræsentando (quod possum) adducito. tum enim illud desperatum deni-
que intelliges, & quid inclinent ad hoc meum consilium adiuuandum. Siquid erit, ma-
gnum est adiumentum: sin minus, quacunque ratione contendamus. Vetus illud *ἐπι-
γραμμά* quemadmodum scripsisti, vel *ἐπιτάφιος* putato. De illo Ostiensi nihil est cogitan-
dum, si hoc non assequimur. à Lamia non puto posse. Damasippi experiendum est. quæro
quid ad te scribam: sed nihil est: eadem quotidie. Quod Lentulum inuisis, valde grâ-
tum. pueros attribue ei quot, & quos videbitur. De Silii voluntate vendendi, & de eo
quanti tu vereri videris, primumne nolit, deinde tanti: Sicca aliter, sed tibi assen-
tior. Quare, vt ei placuit, scripsi ad Egnatium. Quod Silius te cum Clodio loqui vult,
potes id mea voluntate facere, commodiusque id est, quam quod ille à me petit, me ipsum
scribere ad Clodium. De mancipiis Castricianis, commodissimum esse credo transige-
re Egnatium. Quod scribis te ita futurum putare cum Ouia, quæso quidem vt con-
ficiatur. Quoniam, vt scribis, nox erat, in hodierna epistola plura expecto. Silium
mutasse sententiam Sicca mirabatur. Equidem magis miror, quod cum in filium cau-
sam conferret, quæ mihi non iniusta videtur (habet enim qualem vult) ais te putare, si
addiderimus aliud à quo refugiat, cum ab ipso fuerit æstimatum, venditurum. Quæ-
ris à me, quod summum pretium constituam, & quantum anteire istos hortos Dru-
si. accessi: nunquam Coponianam villam & veterem & non magnam noui: syluam
nobilem, fructum autem neutrius. Quod tamen puto nos scire oportere. Sed mihi
vtrius istorum tempore magis meo, quam ratione æstimandi sunt. Possim autem asse-
qui necne, tu velim cogites. Si enim Faberianum venderem, explicare vel repræsen-
tatione non dubitarem. De Silianis, si modo adduceretur vt venderet: si vanales non ha-
beret, transirem ad Drusum vel tanti, quanti Egnatius illum velle tibi dixit. Magno
etiam adiumento nobis Hermogenes potest esse in repræsentando. At concede mihi
quæso, vt eo animo sim, quo is debeat esse qui emere cupiat. & tamē seruius ita cupidita-
ti & dolori meo, vt à te regi velim. Egnatius mihi scripsit: is siquid tecum locutus erit
(commodissimè enim per eum agi potest) ad me scribes, & id agendum puto: nam cum
Silio non video cõfici posse. Piliæ & Atticæ salutem. hæc ad te mea manu. vide quæso
quid agendum sit. Publilia ad me scripsit, matrem suam cum Publilio loqui, eam ad me
cum illo venturam, & se vnà, si ego paterer, moraturâ. Orat multis & supplicibus verbis
vt liceat, & vt sibi rescribam. Res quam molesta sit, vides. Rescripsi me etiam grauius ef-
se affectum, quam tum, cum illi dixissem me solum esse velle: quare nolle me hoc tem-
pore eam ad me venire. Putabam, si nihil rescripsissem, illam cum matre venturam.
nunc non puto: apparebat enim illas literas non illius esse. Illud autem quod fore vi-
deo, ipsum volo vitare, ne illæ ad me veniant. Et vna est vitatio: & ego nollem: sed ne-
cesse est (te hoc nunc rogo) vt explores, ad quam diem hinc ita possim esse, vt ne oppri-
mar. Ages, vt scribis, temperatè. Ciceroni velim hoc proponas (ita tamen, si tibi non
iniquum videbitur) vt sumptus huius peregrinationis (quibus, si Romæ esset, domumque
cõduceret, quod facere cogitabat, facilè contētus futurus erat) accõmodet ad mercedes

Argileti & Auentini: & cum ei proposueris, ipse velim reliqua moderere, quemadmo-
dum ex his mercedibus suppeditemus ei quod opus sit. Præstabo, nec Bibulū, nec Acci-
dinum, nec Messalā, quos Athenis futuros audio, maioris sumptus facturos, quam quod
ex eis mercedibus recipietur. Itaque velim videas, primū conductores qui sint, & quan-
ti: deinde vt sit qui ad diem soluat, & quid viatici, quid instrumenti satis sit. Iumeto cer-
tè Athenis nihil opus sit. Quibus autem in via vtatur, domi sunt plura, quam opus erat:
quod etiā tu animaduertis. Ego vt heri ad te scripsi, si & Silius is fuerit, quem tu putas,
nec Drusus facilem se præbuerit, Damasippum velim aggrediare. Is, opinor, ita par-
teis fecit in ripa, nescio quotenorum iugerum, vt certa pretia constitueret, quæ mihi
nota non sunt. Scribes ad me igitur quicquid egeris. Vehementer me sollicitat Atti-
cæ nostræ valetudo, vt verear etiam nequa culpa sit. sed & pædagogum probitas, & medi-
ci assiduitas, & tota domus in omni genere diligens me rursus id suspicari vetat. Cura
igitur: plura enim non possum. Ego hinc vel sine Sicca (Tironi enim melius est) facil-
limè possem esse, vt in malis. sed, cum scribas videndum mihi esse, ne opprimar, ex quo
intelligam te certum illius profectiois diem non habere: putavi esse commodius me
istuc venire, quod idem video tibi placere. Cras igitur in Siccæ suburbano: inde, quem-
admodum suades, puto me in Ficulēsi fore. Quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam
ipse venio, coram videbimus. Tuam quidem & in agendis nostris rebus, & in cõsiliis in-
eundis, mihi que dandis, in ipsis literis, quas mittis, beneuolentiam, diligentiam, pruden-
tiam mirificè diligo. Tu tamen, siquid cum Silio, vel illo ipso die, quo ad Siccam ventu-
rus ero, certiore me velim facias, & maximè cuius loci detractionem fieri velit: quod
enim scribis extremi, vide ne is ipse locus sit, cuius causa de tota re (vt scis) est à nobis co-
gitatum. Hircii epistolam tibi misi, & recentem, & beneuolè scriptā. Antè quam pro-
ximè discessi, nunquam mihi venit in mentem, quo plus insumptum in monumentum
esset, quam nescio quid lege conceditur, tantundem populo dandum esse: quod
non magnopere moueret, nisi nescio quo modo (*ἀλόγως* fortasse) nollem illud vllò no-
mine nisi fanī appellari. Quod si volumus, vereor ne assequi non possimus, nisi mutato
loco. Hoc quale sit, quæso cõsidera: nam etsi minus vrgeor, meque ipse propemodum
collegi, tamen indigeo tui cõsilii. Itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis
quam à me vis, aut pateris te rogari, vt hanc cogitationē toto pectore amplectare. Fanū
fieri volo, neque hoc mihi erui potest. Sepulchri similitudinē effugere non tam propter
pœnam legis studeo, quam vt maximè assequar *ἀποθέωσιν*: quod poteram, si in ipsa villa
facerem. sed vt sæpe locuti sumus, cõmutationes dominorum reformido. In agro vbi-
cunque fecero, mihi videor assequi posse, vt posteritas habeat religionem. Hæc meæ tibi
ineptiæ (fatebor enim) ferendæ sunt: nam habeo, ne me quidem ipsum, quicum tam au-
dacter communicem, quam te. Si tibi res, si locus, si institutum placet, lege quæso legē,
mihi que eam mitte. Siquid in mentē veniet, quomodo eam effugere possimus, vt emur.
Ad Brutum siquid scribes, nisi alienum putabis, obiurgato eum, quod in Cumano ef-
se noluerit propter eam causam, quam tibi dixi: cogitanti enim mihi nihil tam videtur
potuisse facere rusticè. Et si tibi placebit sic agere de fano, vt cœpimus, velim cohortere,
& exacuas Cluatiū: nam, etiam si alio loco placebit, illius nobis opera, consilioque vtend-
dum puto. Tu ad villam fortasse cras. A te heri duas epistolas recepi, alteram pridie
datam Hilaro, alteram eodem die à tabellario. Accepique ab Aegypto literas eodem
die, Piliam & Atticam planè bellè se habere. Tuæ literæ mihi redditæ sunt tertio decimo
die. Quod mihi Bruti literas, gratum. ad me quoque misit. Eam ipsam ad te epistolam
misi, & ad eam exemplum mearum literarum. De fano, si nihil mihi hortorum in-
uenis (qui quidem tibi inueniendi sunt, si me tanti facis, quanti certè facis) valde pro-
bo rationē tuam. De Tusculano, quanuis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen
nisi magnæ curæ tibi esset, vt ego consequerem id, quod magnopere vellem, nūquam ea
rest tibi tam bellè in mentem venire potuisset. Sed nescio quo pacto celebritatem re-
Bb.iiii.

quiro. Itaque hortos mihi conficias, necesse est. Maxima est in Scapulæ celebritas, propinquitas præterea ubi sis, ne totum diē in villa. Quare antè quàm discedis, Othonem, si Romæ est, conuenias peruelim. Si nihil erit, & si tu meam stultitiam consuesti ferre, eò tamen progrediar, vt mihi stomachere. Drusus enim certè vendere vult. Si ergo aliud erit, non mea erit culpa nisi emero: qua in re ne labar, quæso prouide. Prouidēdi autem vna ratio est, siquid de Scapulanis possumus. Et velim me certiolem facias, quandiu in suburbano sis futurus. Apud Terentiam gratia opus est nobis, tuæque autoritate. sed facies vt videbitur: scio enim, siquid mea interfit, tibi maiori curæ solere esse, quàm mihi. Hircius ad me scripsit, Sext. Pompeium Corduba exisse, & fugisse in Hispaniã citeriorem: Cneum fugisse nescio quò, neque enim curo: nihil præterea noui. Literas Narbone dedit x i i i. Calēd. Maii. Tu mihi de Caninii naufragio quasi dubia re misisti. scribas igitur, siquid erit certius. Quòd me à mœstitia auocas, multum proficies, si locum sano dederis. Multa mihi *εις σκοπέωσιν* in mentem veniunt: sed loco valde opus est. Quare etiam Othonem vide. Non dubito quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil literarum: sed homo nequam, qui tuum commodum nõ expectarit, cum ob eam vnam causam missus esset. Nunc quidem, nisi quid te tenuit, suspicor esse in suburbano. At ego hinc scribendo dies totos, nihil equidem leuor, sed tamen aberro. Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato. Quod Balbus minor nuper satis planè, Do labella obscure, hic apertissimè. Ferrem grauitè, si nouæ ægrimonix locus esset. Sed tamen quid impurius? O hominem cauendum. quanquã mihi quidem. sed tenendus dolor est. Tu, quoniã nihil necesse est, sic scribes aliquid, si vacabis. Quòd putas oportere prouideri iam animi mei firmitatem, grauiusque quosdam scribis de me loqui, quàm aut te scribere, aut Brutum: si, qui me fractum animo & debilitatum putant, sciant quid literarum, & cuius generis conficiam: credo (si modò homines sint) existiment me, siue ita leuatus sim, vt animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse: siue hanc aberrationem à dolore delegerim, quæ maximè liberalissima, doctoque homine dignissima, laudari etiam oportere. Sed cum ego faciam omnia quæ facere possim ad me adiuuandum: tu effice id, quod video te non minus, quàm me, laborare. Hoc mihi debere videor, neque leuari posse nisi soluero, aut videro me posse soluere: id est locum, qualem volo, inuenero. Hæredes Scapulæ, si istos hortos, vt scribis tibi Othonem dixisse, partibus quatuor factis, liceri cogitant: nihil est scilicet emptori loci. Sin venibunt, quid fieri possit, videbimus. Nam ille locus publicatus, qui est Trebonii & Cusinii, erat ad me allatus. sed scis aream esse. nullo pacto probo. Clodiæ sanè placent, sed non puto esse venales. De Drusi hortis, quanuis ab his abhorreas, vt scribis, tamen eò confugiam, nisi quid inueneris. AEdificatio me non mouet: nihil enim aliud ædificabo, nisi id, quod etiam si illos nõ habuero. *Κύριος* mihi sic placuit, vt cætera Antisthenis, hominis acuti magis quàm eruditi.

TABELLARIUS cum ad me sine literis tuis venisset, existimaui tibi eã causam non scribendi fuisse, quòd pridie scripsisses, ea ipsa, ad quæ rescripsi, epistola. Expectarem tamen aliquid de literis Asinii Pollionis. sed nimium ex meo otio tuum spectro. Quanquam tibi remitto, nisi quid necesse erit, necesse ne habeas scribere, nisi eris valde otiosus. De tabellariis facerem quod suades, si essent vllæ necessariæ literæ, vt erant olim, cum breuioribus diebus tamen quotidie respondebāt tempori tabellarii: & erat aliquid, Silius, Drusus, alia quædam. Nunc nisi Ortho extitisset, quid scriberemus non erat. Id ipsum dilatum est: tamen alleuor, cum loquor tecum absens, multò etiam magis, cum tuas literas lego. sed quoniam & abes (sic enim arbitror) & scribendi necessitas nulla est, conquiescent literæ, nisi quid noui extiterit.

QUALIS futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro quem Hircius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. itaque misi librum ad Muscam vt tuis librariis daret: volo enim eum diuul-

gari. quod quò facilius fiat, imperabis tuis. *συμβιβαστικὴν* sæpe conor: nihil reperio: & quidem mecum habeo & *Αειστέλης* & *Θεοπόμπου* *πρὸς* *Αλέξανδρον*. sed quid simile? Illi quæ & ipsi honesta essent, scribebam, & grata Alexandro. Ecquid tu eiusmodi reperis? mihi quidem nihil in mentem venit. Quòd scribis te vereri, ne & gratia & autoritas nostra hoc meo mœrore minuatur: ego quid homines aut reprehendant, aut postulet, nescio. Ne doleam? quæ potest? Ne iaceam? quis vnquam minus? dum tua me domus leuabat, quis à me exclusus? quis venit, qui offenderetur? Asturam sum à te profectus. Legere isti lati, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quàm ego scripsi: quàm bene, nihil ad rem. Sed genus scribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere posset. x x x. dies in hortis fui. Quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desiderauit? nunc ipsum, ea lego, ea scribo, vt ii, qui mecum sunt, difficilius otium ferat, quàm ego laborem. Siquis requirit cur Romæ non sim: quia discessus est. cur non sim in his meis prædiolis, quæ sunt huius temporis: quia frequentiam illam non facillè ferrem. Ibi sum igitur, ubi is, qui optimas Baias habebat, quotannis hoc tempus consumere solebat. Cum Romam venero, nec vultu, nec oratione reprehendar. Hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi. Constantia & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. De hortis Scapulanis hoc videtur effici posse, aliud tua gratia, aliud nostra, vt præconi subiiciantur. id nisi fit, excludemur. Sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis nostra cupiditate. Nam quòd ad me de Lentulo scribis, non est in eo. Faberiana modò res certa sit, tuncque enitare, quod facis: quod volumus consequemur. Quòd quæris, quandiu hic paucos dies: sed certum non habeo: simulac constituerò, ad te scribam: & tu ad me, quandiu in suburbano sis futurus. Quo die ego ad te hæc misi, de Pilia & Attica mihi quoque eadè quæ scribis, & scribuntur, & nuntiantur.

Nihil erat, quod scriberem: scire tamen volebam ubi esses, si abes, aut abfuturus es, quando rediturus esses. Facias igitur me certiolem. Et quod tu scire volebas, ego quando ex hoc loco: postridie Iduum Lanuuii constitui manere, inde postridie in Tusculano, aut Romæ. Vtrum sim facturus, eo ipso die scies. Scis quàm sit *φιλάπιοι* *συμφορῆς*. minime in te quidem: sed tamè auidè sum affectus de sano. Quod nisi non dico effectum erit, sed fieri videro, audebo hoc dicere, & tu, vt soles, accipies, incurfabit in te dolor meus, non iure ille quidem, sed tamen feres hoc ipsum, quod scribo, vt omnia mea feres, ac tulisti. Omneis tuas consolationes vnam hanc in rem velim conferas. Si quæris quid optem: primum Scapulæ, deinde Clodiæ, postea, si Silius nolet, Drusus aget iniustè, Cusinii & Trebonii. Puto Terentium esse dominum, Rebilum fuisse certò scio. Sin autem tibi Tusculanum placet, vt significasti quibusdam literis, tibi assentiar. Hoc quidem utique perficies, si me leuari vis, quem iam etiam grauius accusas, quàm patitur tua cõsuetudo: sed facis summo amore, & victus fortasse vitio meo. sed tamen si me leuari vis, hæc est summa leuatio, vel, si verum scire vis, vna. Hircii epistolam si legeris, quæ mihi quasi *πρόπλασμα* videtur eius vituperationis, quæ Cæsar scripsit de Catone, facies me, quid tibi visum sit (si tibi erit cõmodum) certiolem. Redeo ad sanum. Nisi hac ætate absolutum erit, quam vides integram restare, scelere me liberatum nõ putabo. Nulum à te desideravi diem literarum: videbam enim quæ scribis: & tamè suspicabar, vel potius intelligebam, nihil fuisse quod scriberes. Ad v. Id. verò & abesse te putabam, & planè videbam nihil te habere. Ego tamen ad te ferè quotidie mittam: malo enim frustra, quàm te nõ habere, cui des, siquid fortè sit quod putes me scire oportere. Itaque accepi v. Id. literas tuas inanes. quid enim habebas quod scriberes? Mihi tamè illud, quicquid erat, non molestum fuit, nihil aliud scire me, noui te nihil habere. scripsi tamè nescio quid de Clodia. Vbi ergo ea est, aut quando ventura? placet mihi res sic, vt secundum Othonem nihil magis. Sed neque hanc vendituram puto. delectatur enim & copiosa est: & illud alterum quàm sit difficile, te non fugit. Sed obsecro enitamur vt ali-

quid ad id quod cupio, excogitemus. Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in Tusculanum, aut domum, inde fortasse Arpinum. cum certum sciero, scribam ad te. Venerat mihi in mentem monere te, ut id ipsum, quod facis, faceres. putabam enim commodius te idem istud domi agere posse interpellatione sublata. ego postridie Iduum, ut scripsi ad te ante, Lanuuii manere constitui, inde aut Romam, aut in Tusculano. scies autem utrunque.

Quod scribis reri te illam rem fore leuamento, bene facis, cum id esset (mihi crede) perinde, ut existimare tu non posses. res indicat quomodo id cupiam, cum tibi audeam confiteri, quem id non ita valde probare arbitrer. sed ferendus tibi in hoc meus error. Ferendus immo verò etiam adiuuandus. De Othone diffido, fortasse quia cupio: sed tamen maior etiam res est, quam facultates nostrae, praesertim aduersario & cupido, & locuplete & haerede. Proximum est, ut velim Clodia: si ista minus confici possunt, effice quiduis. Ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius voti, obstrictum puto. videbis etiam Trebonianos, etsi absunt domini. Sed, ut ad te heri scripsi, considerabis etiam de Tusculano, ne aetas effluat, quod certè non est committendum. Et Hircium aliquid ad te *συμπαισις* de me scripsisse facile patior: (fecit enim humane) & te eius epistolam ad me non misisse, multo facilius: tu enim etiam humanius. illius librum, quem ad me misit de Catone, propterea volo diuulgari ab tuis, ut ex istorum vituperatione fit illius maior laudatio. Quod per Mustellam agis, habes hominem valde idoneum, meique sane studiosum iam inde à Pontiano. perfice igitur aliquid: quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori, quod per quemvis haeridem potest effici: sed Mustellam id perfecturum, si rogaris puto. Mihi verò & locum, quem opto ad id quod volumus, dederis: & praeterea *εγχεμα*: nam illa Silii & Drusi non satis *ὀμοειπολικα* mihi videntur. quid enim sedere totos dies in villa ista: Igitur malim primum Othonis, deinde Clodiae. si nihil fiet, aut Druso ludus est suggerendus, aut utendum Tusculano. Quod domi te inclusisti, ratione fecisti: sed quaeso confice, & te vacuum redde nobis. Ego hinc, ut scripsi antea, postridie Idus Lanuuium, deinde postridie in Tusculano: còtudi enim animum, & fortasse vici, si modo permansero. Scies igitur fortasse cras, summum perendie. Sed quid est quaeso? Philotimus nec Cartini Pompeium teneri, qua de re literarum ad Clodium Patauinum missarum exemplum mihi Oppius & Balbus miserant, sed id factum arbitrari: bellumque narrat reliquum satis magnum. solet omnino esse Fuluiaster. Sed tamè si quid habes. Volo etiam scire de naufragio Caniniano quid sit. Ego hinc duo magna *συνπαισις* absolui: nullo enim alio modo à miseria quasi aberrare possum. Tu mihi, etiam si nihil erit quod scribas (quod fore ita video) tamen id ipsum scribas velim, te nihil habuisse quod scriberes, dummodo ne his verbis. De Attica optimè. *ἀκμή* tua me mouet: etsi scribis nihil esse. in Tusculano eò commodius ero, quod & crebrius tuas literas accipiam, & te ipsum nonnunquam videbo: nam caetero qui *ἀνεκτότερον* erant Asturæ: nec hæc, quæ refricant, hinc me magis angunt. etsi tamen vbicunque sum, illa sunt mecum.

De Cæsare vicino scripseram ad te, quia cognoram ex tuis literis. eum *σύνναον* Quirini malo, quam Salutis. Tu verò peruulga Hircium: id enim ipsum putaram quod scribis: ut, cum ingenium amici nostri probaretur, *συνπαισις* vituperandi Catonis irrideretur. vincam (opinor) animum: Lanuuius pergam in Tusculanum. aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est (nam dolor idem manebit: tantum mediocrius) aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an ad decem annos: neque enim ista maior admonitio, quam quibus assidue conficior & dies & noctes. Quid ergo, inquires: nihil literarum? In hac quidem re, vereor ne etiam contra: nam essem fortasse durior: exulto enim animo nihil agreste, nihil inhumanum est. Tu igitur, ut scripsisti, nec id incommodo tuo: vel binæ enim poterunt literæ. occurram etiam, si necesse erit. ergo id quidem ut poteris. De Mustella, ut scribis, etsi magnum opus est: eò magis de labor ad Clodiam. quanquam in utroque Faberianum nomen explorandum est. de quo, nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo cris locutus, & quidè, ut res est, emere nos velle, nec posse

62 sine isto nomine, nec audere incerto. Sed quando Clodia Romæ futura est, & quia tantum rem æstimas, eò prorsus specto: non quin illud malim: sed & magna res est, & difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum haerede. Et si de cupiditate nemini concedam: caeteris rebus infirmiores sumus. sed hæc coram. Hircii librū (ut facis) diuulga.

De Philotimo idè & ego arbitrabar. Domum tuam pluris video futuram vicino Cæsare. Tabellarium meum hodie expectamus. nos de Pilia & Attica certiores faciet. Domi te libenter esse, facile credo. sed velim scire quid tibi restet, aut iamne confeceris. Ego te in Tusculano expecto, eoque magis, quod Tironi statim te venturum scripsisti, & addidisti, te putare opus esse. sentiebam omnino quantum mihi praesens prodesse. sed multo magis post discessum tuum sentio. quam ob rem, ut antè ad te scripsi, aut ego ad te totus, aut tu ad me, quod licebit. Heri non multo postquam tu à me discessisti, puto quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata & literas attulerunt à C. Mario C. F. eum multis verbis agere mecum per cognitionem, quæ mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi aui sui, ut se defenderem, causamque suam mihi perscripsit. rescripsi, patrono illi nihil opus esse, quoniam Cæsaris propinqui eius omnis potestas esset, viri optimi & hominis liberalissimi: me tamen ei fauturum. O tempora, fore cum dubitet Curtius Consulatum petere. sed hæc hæctenus.

De Tirone mihi curæ est: sed iam sciam quid agat: heri enim mihi qui videret: cui etiam ad te literas dedi. Epistolam ad Cæsarem tibi misi. Horti quam in diem proscripti sint, velim ad me scribas. Ut me leuarat tuus aduentus, sic discessus affixit. quare, cum poteris, id est cum Sestii auctioni operam dederis, reuises nos: vel vnus dies mihi erit utilis. quid dicam gratus: ipse Romam venirem, ut vnà essemus, si satis consilium quadam de re haberem.

TIRONEM habeo citius quam verebar. venit etiam Nicias: & Valerium hodie audiebam esse venturum: quauis multi sint, magis tamen ero solus, quam si vnus esses. sed expecto te à Peduceo utique. Tu autem significas aliquid etiam antè. verum id quidem, ut poteris. De Virgilio, ut scribis. hoc tamen velim scire, quando auctio. Epistolam ad Cæsarem mitti, video tibi placere. Quid quaeris? mihi quoque idem maximè placuit, & eò magis, quod nihil est in ea nisi optimi ciuis, sed ita optimi, ut tempora, quibus parere omnes *πολιτικοί* praecipiant: sed sic nobis esse visum, ut isti antè legerent. Tu igitur id curabis. sed nisi planè iis intelliges placere, mittenda non est. Id autè vtrum illi sentiant, an verò simulent, tu intelliges. Sed mihi simulatio pro repudiatione fuerit. *τὸ δὲ μιλώση.*

65 De Cerelia quid tibi placeret, Tiro mihi narrauit, debere, non esse dignitatis meae: perscriptionem tibi placere: hoc metuere, alterum in metu non ponere. Sed & hæc, & multa alia coram. sustinenda tamen (si tibi videbitur) solutio est nominis Cereleani, dum & de Metone & de Faberio sciamus. L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. ab eius sororis viro literas accepi, Montanum Planco debere, quod praes pro Flaminio sit, HS. XX. De ea re nescio quid te à Montano rogatum. sanè velim, siue Planco est rogandus, siue qua re potes illum iuuare, iuues. pertinet ad nostrum officium. si res tibi fortè notior est, quam mihi aut si Plancum rogandum putas, scribas ad me velim, ut quid rei sit, & quid rogandum, sciam. De epistola ad Cæsarem quid egeris, expecto.

66 De Silio non ita sanè laboro. tu mihi aut Scapulanos aut Clodianos efficias necesse est. sed nescio quid videris dubitare de Clodia, vtrum quado vaneant, an sint vanales. Sed quid est quod audio Spintherem fecisse diuortium? De lingua Latina securi es animi, dices, qui talia conscribis: *σπινθηρα* sunt: minore labore fiunt. verba tantum afferro, quibus abundo. Ego, etsi nihil habeo quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui videor. hinc nobiscum sunt Nicias & Valerius. hodie tuas literas expectabamus matutinas. Erunt fortasse altera pomeridiana, nisi te Epiroticae literæ impediunt, quas ego non interpello. misi ad te epistolas ad Martianum & ad Motanum. eas in eundem fasciculum velim addas, nisi fortè iam dedisti. Vale.



AD Ciceronem ita scripsisti, vt neque feuerius, neque temperantius scribi potuerit: nec magis, quam quemadmodum ego maximè vellem. Prudentissimè etiam ad Tullios, quare aut ista proficiet, aut aliud agamus. De pecunia verò, video à te omnem diligentiam adhiberi, vel potius iam adhibitam: & si efficis, à te hortos habebo. nec verò vllū genus possessionis est quod malim, maximè scilicet ob eam causam quæ suscepta est, cuius festinationem mihi tollis, quoniam de æstate polliceris, vel potius recipis. deinde etiam ad *καταβίωσιν*, mœstitiamque minuendam nihil mihi reperiri potest aprius. Cuius rei cupiditas impellit me interdum vt te hortari velim: sed me ipse reuoco. non enim dubito quin, quod me valde velle putes, in eo tu me ipsum cupiditate vincas. itaque istuc iam pro facto habeo. Expecto quid istis placeat de epistola ad Cæsare. Nicias te (vt debet) amat, vehementerque tua sui memoria delectatur. Ego verò Peduceum nostrum vehementer diligo: nam & quanti patrem feci, totū in hunc ipsum per se æquè amo, atque illum amaui: te verò plurimum, qui hoc ab vtroque nostrum fieri velis. Si hortos inspexeris, & si de epistola certiosem me feceris, dederis mihi quod ad te scribam: sin minus, scribam tamen aliquid: nunquam enim deerit.

Gratior mihi celeritas tua quam ipsa res: quid enim indignius? sed iam ad ista obdurimus, & humanitatem omnem exuimus. Tuas literas hodie expectabā, nihil equidem vt ex iis noui: quid enim? veruntamen. Oppio & Balbo epistolas deferri iubebis, & tamen Pisonem sicubi de auro. Faberius si venerit, videbis vt tantum attribuat, si modò attribuetur, quantum debetur. accipies ab Erote. Ariarathes Ariobarzanis filius Romam venit, vult, opinor, regnum aliquod emere à Cæsare: nam, quomodo nūc est, pedem vbi ponat in suo, non habet. omnino eum Sestius noster parochiis publicis occupauit: quod quidem facile patior. Veruntamen, quod mihi summo beneficio meo magna cum fratribus illius necessitudo est, inuito eum per literas vt apud me diuerteretur. ad eam rem cum mitterem Alexandrum, has ei dedi literas. Cras igitur auctio Peducei. cum poteris ergo: etsi impedit fortasse Faberius: sed tamen, cum licebit. Dionysius noster grauer queritur, & tamen iure, à discipulis abesse tandiu. Multis verbis scripsit ad me, credo item ad te. mihi quidem videtur etiam diutius abfuturus, ac nollem: valde enim hominem desidero.

AT E literas expectabam, nondum scilicet: nam has mane rescribebam. Ego verò ista nomina sic probo, vt nihil aliud me moueat, nisi quod tu videris dubitare: illud enim non accipio in bonam partem quod ad me refert. Quid, ipse negotium meum gerere, nisi consilio tuo? Sed tamē intelligo magis te id facere diligentia, qua semper vteris, quam quod dubites de nominibus istis. etenim Cælium non probas: plura non vis. vtrunque laudo. His igitur vtendum est, præ aliquando factus esset in his quidem tabulis. à me igitur omnia, quod dies longiores: teneamus modò quod volumus, puto fore istam etiam à præcone diem, certè ab hæredibus. De Crispo & Mustella videbis: & velim scire, quæ sit pars duorum. De Bruti aduentu erā factus certior: attulerat enim ab eo Aegyptia libertus literas. nisi ad te epistolam, quia commodè scripta erat.

HA B E O munus à te elaboratum decem legatorum, & quidem puto: nam filius anno post Quæstor fuit, quam Consul Mumius. sed quoniam sæpius de nominibus quæris quid placeat: ego quoque tibi sæpius respondeo placere. Siquid poteris cum Pisonem, conficies: Aulus enim videtur in officio futurus. velim antè possis: si minus, vtique simul simus, cum Brutus veniet in Tusculanum, magni interest mea, vnà nos esse. Scies

autem qui dies is futurus sit, si puero negotium dederis vt quærat. Spurium Mumium putarā in decem legatis fuisse, & videlicet: etenim *βλῶρον*, fratri fuisse: fuit enim ad Corinthum. Misi tibi Torquatum. colloquere tu quidem cum Silio, vt scribis, & vrge. Illam diem negabat esse mense Maio: istam non negabat. sed tu, vt omnia, istuc quoque ages diligenter. De Crispo & Mustella scilicet cum quid egeris. Quoniam ad Bruti aduentum fore te nobiscum polliceris, satis est, præsertim cum hi tibi dies in magno nostro negotio consumantur.

DE aquæ ductu probè fecisti. columnarium vide, ne nullum debeamus. quanquam mihi videor audisse à Camillo, commutatā esse legem. Pisoni quid est quod honestius respondere possimus, quam solitudinem Catonis? nec cohæredibus solum Herennianis, sed etiam vt scis (tu enim mecum egisti) de puero Lucullo: quam pecuniam tutor (nam hoc quoque ad rem pertinet) in Achaia sumpserat. Sed agit liberaliter, quoniam negat se quicquam facturum contra nostram voluntatem. coram igitur, vt scribis, constituemus quemadmodum rem explicemus. Quod reliquos cohæredes conuenisti, planè bene. Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum, sed tamen saluum est, vt ait Tiro te habere oportere: & vt recordor, vnà cum illius obiurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi. Iudiciali molestia vt caream videbis. Tuditanum istum proauum Hortensii planè non noram, & filium, qui tum non potuerat esse legatus, fuisse putaram. Mumium fuisse ad Corinthum pro certo habeo: sæpe enim hic Spurius, qui nuper est epistolas mihi pronūtiabat versiculis facietis, ad familiares missas à Corintho. sed non dubito quin fratri fuerit legatus, non in decem. Atque hoc etiam accepi, non solitos eos maiores nostros legare in decem, qui essent imperatorū necessarii, vt nos ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potius M. Lucillum & L. Muranam, & cæteros ad L. Lucillum misimus. illudque *βλῶρον*, illum fratri in primis eius legatis fuisse.

O P E R A M tuam multā, qui & hæc cures, & mea expedias, & sis in tuis multò minus diligens, quam in meis. Sestius apud me fuit, & Theopompus pridie. venisse à Cæsare narrabat literas: hoc scribere, sibi certum esse Romæ manere, causamque eam ascribere, quæ erat in epistola nostra, ne se absente leges suæ negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. est *βλῶρον*: idque eram suspicatus. Sed istis mos gerendus est, nisi placet hanc ipsam sententiam nos persequi, & Lentulum cum Metella fecisse diuortium. Hæc omnia tu melius. rescribes igitur quicquid voles, dummodo quid. iam enim non reperio quid te rescripturum putem, nisi fortè de Mustella, aut si Silium videris. Brutus heri venit in Tusculanum post horam decimam. hodie igitur me videbit, ac vellem cum tu adesses. nisi equidem ei nuntiari, te, quoad potuisses, expectasse eius aduentum, venturumque, si audisses, meque, vt facio, continuo te certiosem esse facturum.

P L A N E nihil erat, quod ad te scriberem: modò enim discesseras, & paulò post triplices remiseras. velim cures fasciculum ad Vestorium deferendum: & alicui des negotium, qui quærat Q. Faberii fundus nunquis in Pompeiano Nolano vnalis sit. Epitomè Bruti Cælianorum velim mihi mittas, & à Philoxeno *Γλαυκίης ἀεὶ ἀεγνοίας*. Te Idibus videbo cum tuis.

C O M M O D V M discesseras heri, cum Trebatius venit, paulò post Curtius hic salutandi causa, sed mansit inuitatus. Trebatium nobiscum habemus. hodie mane Dolabella. multus sermo ad multum diem. nihil possum dicere *κατενέσσειν*, nihil *φιλοσοφώτερον*. ventum est tamen ad Quintum. multa *ἀφ᾽ αὐτῶν ἀδηγητᾶ*: sed vnum eiusmodi, quod, nisi exercitus sciret, non modò Tironi dictare, sed ne ipse quidē auderem scribere. Sed hactenus. *βλῶρον* ad me venit, cum haberem Dolabellam, Torquatus: humanissimè que Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit: commodum enim egeram diligentissimè. quæ diligentia grata est visa Torquato. A te expecto, siquid de Bruto. quam Nicias confectum putabat, sed diuortium non probari. quò etiam magis laboro

idem quod tu : siquid est enim offensionis, hæc res mederi potest. Mihi Arpinum eundem est : nam & opus est constitui à nobis illa prædiola, & vereor ne exeundi potestas non sit, cum Cæsar venerit : de cuius aduentu eam opinionem Dolabella habet, quam tu coniecturam faciebas ex literis Messalæ. Cum illuc venero, intellexeroque quid negotii sit, tum, ad quos dies rediturus sim, scribam ad te.

M I N I M È miror te & grauius ferre de Marcello, & plura vereri periculi genera. quis enim hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec videbatur natura ferre, ut accidere posset: Omnia igitur metuenda. sed illud *παρὰ τὴν ἰστέραν*, tu præsertim me reliquum consularem. Quid tibi Seruius, quid videtur? quanquam hoc nullam ad partem valet, scilicet, mihi præsertim, qui non minus bene actum cum illis putem: quid enim sumus? aut quid esse possumus? domine, an foris? quod nisi hoc mihi venisset in mentem, scribere ista nescio quæ, quò verterem me, non haberem. Ad Dolabellam, ut scribis, ita puto faciendum, *κρινόμενα* quædam, & *πολιτικώτερα*. faciendum certè aliquid est: valde enim desiderat Brutus. Si quid, curabis ut sciam. Cui quidem quamprimùm agendum puto, præsertim si statuit: fermunculum enim omnem aut restinxerit aut sedarit: sunt enim, qui loquantur etiam mecum. sed hæc ipse optimè, præsertim si etiam tecum loquetur: mihi enim est in animo proficisci x. i. Cal. hic enim nihil habeo quid agam, ne hercule illic quidem, nec vsquam, sed tamen illic hodie Spintherem expecto: misit enim Brutus ad me per literas, purgat Cæsarem de interitu Marcelli: in quem ne, si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet vlla suspicio. nunc verò, cum de Magio constet, nonne furor eius omnem causam sustinet? Planè, quid sit, non intelligo. explanabis igitur, quanquam nihil habeo quod dubitem, nisi ipsi Magio quæ fuerit causa amentia, pro quo quidem etiam sponsor factus est. nimirum id fuit: soluendo enim non erat: credo cum petiisse à Marcello aliquid: & illum, ut erat, constantius respondisse, *οὐ γὰρ ἐνδύως*. Credebam esse facile: totum est aliud, postea quàm sum à te diiunctior. sed fuit faciendum, ut & constituerem mercedulas prædiorum, & ne magnum onus obseruatiæ Bruto nostro imponerem. posthac enim poterimus commodius colere inter nos in Tusculano. hoc autem tempore, cum ille me quotidie videre vellet, ego ad illum ire non possem, priuabatur omni delectatione Tusculani. Tu igitur, si Seruilia venerit, si Brutus quid egerit, etiam si constituerit quando obuiam, quicquid denique erit quod scire me oporteat, scribes. Pisonem, si poteris, conuenias. vides quàm maturus sit: sed tamen quod commodo tuo fiat.

V A L D È me momorderunt epistolæ tuæ de Attica nostra: eadem tamen sanauerunt. quòd enim te ipse consolabare eisdem literis, id mihi erat satis firmum ad leniendam ægritudinē. Ligarianam præclare vendidisti. posthac quicquid scripsero, tibi præconium deferam. Quod ad me de Varrone scribis, scis me antea orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere. postea autem quàm hæc cœpi *φιλολογώτερα*, iam Varro mihi denuntiauerat magnam sanè, & grauem *σφώνησιν*. biennium præterit, cum ille *καλλιπιδης* assiduo cursu cubitum nullum processerit. ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut *ἀπὸ τῆς μέσης καὶ λωίων*, si modò potuissim: nam hoc etiam Hesiodus ascribit *ἐι καὶ δυνήσται*. nunc illam *πρὸς τὸν σὺνταξιῶν*, sanè mihi probatam, Bruto, ut tibi placuit, despondimus, idque eum non nolle mihi scripsisti. Ergo illam *ἀκαδημαϊκὴν*, in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acutè loquuntur, ad Varronem transferamus. etenim sunt *Ἀντιόχεια*, quæ iste valde probat. Catulo & Lucullo alibi reponemus, ita tamè, si tu hoc probas: deque eo mihi rescribas velim.

D E B R I N N I A N A auctione accepi à Vestorio literas. ait sine vlla controuersia rem ad me esse collatam (Romæ videlicet, aut in Tusculano me fore putauerunt) ad v. i. i. Cal. Quint. Dices igitur vel amico tuo, vel Othoni cohæredi meo, vel Labeoni nostro, paulum proferant auctiorem, me circiter Nonas in Tusculano fore. cum Pi-

fone Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus. dies adest.

C O M M O T V S tuis literis, quòd ad me de Varrone scripseras, totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transfulique ad nostrum sodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor. grandiores sunt omnino, quàm erant illi, sed tamè multa detracta. Tu autem mihi peruelim scribas, quò intellexeris illum velle. Illud utique scire cupio, quem intellexeris ab eo *ζηλοτυπείσθαι*, nisi fortè Brutum. id hercle restabat. sed tamen scire peruelim. libri quidem ita exierunt (nisi fortè me communis *φιλαντία* decipit) ut in tali genere ne apud Græcos quidem simile quicquam. Tu illam iacturam feres æquo animo, quòd illa, quæ habes de Academicis, frustra descripta sunt: multò tamen hæc erunt splendidiora, breuiora, meliora. Nunc autem *σπρωῶ*, quò me vertam. volo Dolabellæ valde desideranti. non reperio quid: & simul *ἀδέομαι* Τρώας. neque, si aliquid, poterò *μέμψιν* effugere. aut cessandum igitur, aut aliquid excogitandum. Sed quid hæc leuia curamus? Attica mea, obsecro te, quid agit? quæ me valde angit. sed crebrò regusto tuas literas: in his acquiesco: tamè expecto nouas. Brinnii libertus cohæres noster scripsit ad me velle, si mihi placet, cohæredes, & Sabinum Albium ad me venire. id ego planè nolo. hæreditas tanti non est, & tamen obire auctiorem diem facile poterunt (est enim i. i. Id.) si me in Tusculano postridie Non. mane conuenerint. quòd si laxius uolent proferre diem, poterunt vel biduum, vel triduum, vel ut videbitur: nihil enim interest. Quare, nisi iam profecti sunt, retinebis homines. De Bruto siquid erit, de Cæsare siquid scies præterea, scribes. Illud etiam atque etiam consideres velim, placeatne tibi mitti ad Varronem quod scripsimus: etsi etiam ad te aliquid pertinet: nam scito te ei dialogo adiunctum esse tertium. opinor igitur consideremus. etsi nomina iam facta sunt: sed vel induci, vel mutari possunt.

Q V I D agit, obsecro te, Attica nostra: nam triduo abs te nullas acceperam: nec mirum: nemo enim venerat, nec fortasse causa fuerat. Itaque, ipse quid scriberem, nō habebam. quo autem die has Valerio dabam, expectabam aliquem meorum: qui si venisset, & à te quid attulisset, videbam non defuturum quid scriberem. nos cum flumina & solitudinem sequeremur, quò facilius sustentare nos possemus, pedem è villa adhuc egressi nō sumus: ita magnos & assiduos imbres habebamus. Illam Academicen *συντάξιν* totam ad Varronem traduximus: modò fuit Catuli, Luculli, Hortensii. deinde, quia *πρὸς τὸν ὁφέπον* videbatur, quòd erat hominibus non ignota, non illa quidem *ἀπαμεινυσία*, sed in his rebus *ἀπειρία*, simulac veni ad villam, eosdem illos sermones ad Catonem, Brutumque transfuli.

B E C C E tuæ literæ de Varrone. nemini visa est aptior *Ἀντιόχεια* ratio. sed tamen velim scribas ad me primùm placeatne tibi aliquid ad illum: deinde, si placebit, hocne potissimum. Quid Seruilia, iamne venit? Brutus ecquid agit, ecquado? de Cæsare quid auditur? Ego ad Nonas, quemadmodum dixi. tu cum Pifone siquid poteris. de v. i. expectabam Roma aliquid. non imperassem igitur aliquid tuis. nunc eadem illa, quid Brutus cogitet, aut si aliquid egerit, & quid à Cæsare. Sed quid ista quæ minus curo? Attica nostra quid agat, scire cupio. etsi tuæ literæ (sed iam nimis veteres sunt) rectè sperare iubet, tamen expecto recens aliquid.

V I D E S propinquitas quid habet. nos verò conficiamus hortos. Colloqui videbamur in Tusculano cum essem: tanta erat crebritas literarum: sed id quidè iam erit. Ego interea admonitu tuo perfecti sanè argutulos libros ad Varronem: sed tamen expecto quid ad ea, quæ scripsi ad te: primùm quò intellexeris eum desiderare à me, cum ipse homo *πολυπραφάτως* nunquam me lacesisset: deinde quem *ζηλοτυπείν* multò Hortensium minus, aut eos qui de Repub. loquuntur. Planè hoc mihi explices velim: in primis, maneasne in sententia, ut mittam ad eum quæ scripsi, an nihil necesse putes. sed hæc coram.

C O M M O D V M discesserat Hilarus librarius i. i. i. Cal. cui dederam literas ad te,

cum venit tabellarius cum tuis literis pridie datis: in quibus illud mihi gratissimum fuit, quod Attica nostra rogat te ne tristis sis, quodque tu *ἀκινδυνα* esse scribis. Ligarianam, ut video, præclare autoritas tua commendauit: scripsit enim ad me Balbus ac Oppius, mirificè se probare, ob eamque causam ad Cæsarem meam se oratiunculam misisse. Hæc igitur idem tu mihi antea scripseras. In Varrone ista causa me non moueret, ne viderer *φιλένδοξος*: sic enim constituēbam, neminem includere in dialogos eorum qui viuerent: sed quia scribis & desiderari à Varrone, & magni illum æstimare, eos confeci & absolui, nescio quàm bene, sed ita accuratè, ut nihil posset supra. Academicam omnem quæstionem libris quatuor. in eis, quæ erant contra *ἀντιοχίαν*, præclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea ipse respõdeo: tu es tertius in sermone nostro. Si Cottam & Varronem fecissem inter se disputanteis, ut à te proximis literis admoneor, meum *κωφὸν ᾠδῶπον* esset. hoc in antiquis personis suauiter fit, ut & Heraclides in multis, & nos sex de Repub. libris fecimus. Sunt etiam de oratore nostri tres, mihi vehementer probati. in eis quoque ex personæ sunt, ut mihi tacèdum fuerit: Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Iulius frater Catuli, Cotta, Sulpitius. Puerum me hic sermo inducitur, ut nullæ esse possent partes meæ. quæ autem his temporibus scripsi, *Αειστέλειον* morem habent, in quo sermo ita inducitur caterorū, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros *ᾠρὶ τελεῶν*, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, *ᾠρὶ πατητικῆ* M. Pisoni daremus. *ἀζήλωτον* id fore putaram, quod omnes illi decesserant. Hæc Academia, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. sanè in personas non cadebant: erant enim *λογικῶτερα*, quàm ut illi de iis somniasse vnquam viderentur. Itaque, ut legi tuas de Varrone, tanquam *ἐρμειῶν* arripui. aptius esse nihil potuit ad id philosophiæ genus, quo ille maximè mihi delectari videtur, easque parteis, ut non sim consecutus, ut superior mea causa videatur: sunt enim vehementer *πιθανὰ* Antiochia, quæ diligenter à me expressa acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum, si modò is est aliquis in nobis. Sed tu dádõsne putes hos libros Varroni, etiam atque etiã videbis. mihi quædam occurrunt, sed ea coram.

A C A E S A R E literas accepi consolatorias, datas prid. Calend. Maii Hispali. De vrbe augenda quid sit promulgatū, nō intellexi. id sanè scire velim. Torquato nostra officia grata esse facillè patior: ea que augere nō desinã. De vxore Tuberonis, & priuigna, neque possum iam abdere (est enim res peruulgata) neque Tuberonē volo defendere: mirificè est enim *φιλέπιδος*. Theatrum quidem sanè bellum habuisti. Ego, etsi hoc loco facillimè sustentor, tamen te videre cupio. itaque, ut constitui, adero. Fratrem credo à te esse conuentū: scire igitur studeo quid egeris. De fama nihil sanè laboro: etsi scripserã ad te tunc stultè. nihil melius. curandū enim nobis est, atq; hoc in omni vita sua quæque à recta conscientia transuersum vnguem non oportere discedere. Vidē quàm *φιλοσφωσ*: an tu nos frustra existimas hæc in manibus habere? *δεδῆχθαι* te nollem, quod nihil erat: redeo enim rursus eodē. quicquãme me putas curare in toto, nisi ut ei ne desime id ago scilicet, ut iudicia videar tenere, *μη γὰρ αὐτοῖς*. vellē tam domestica ferre possem, quàm ista contemnere. putas autem me voluisse aliquid, quod perfectū non sit: non licet scilicet sententiam suam: sed tamen, quæ tum acta sunt, non possum non probare: & tamen non curare pulchrè possum, sicuti facio. Sed nimium multa de nugis.

A D H I R C I V M dederam epistolam sanè grandem, quam scripseram proximè in Tusculano. huic, quam tu mihi misisti, rescribam aliàs: nunc aliis malo. Quid possum de Torquato, nisi aliquid à Dolabella: quod simulac, continuo scietis. expectabã hodie, aut summum cras ab eo tabellarios: qui simulac venerint, mittētur ad te. A Quinto expecto: proficiscens enim è Tusculano v i i i. Cal. ut scis, misi ad eū tabellarios. Nunc ad rem ut redeam. I N H I B E R E illud tuū, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet: est enim verbū totum nauticum. quanquam id quidē sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, cū inhiberi essent remiges iussi. id nō esse eiusmodi didici heri, cū ad villã no-

stram nauis appelleretur. non enim sustinent, sed alio modo remigant. id ab *ἐπιπλοῖς* remotissimum est. Quare facies ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si fortè mutauit. nec est melius quicquã, quàm ut Lucullus sustineat currum, ut bonus sæpe agitator, equosque. semp̄que Carneades *ᾠεβολῶν* pugilis, & retentionem aurigæ similem facit *ἐπιπλοῖς*. Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem remigationis nauem conuertentis ad puppim. Vides quanto hoc diligentius curem, quàm aut de rumore aut Pollione. De Panfa etiã, siquid certius: credo enim palam factum esse. De Critonio, siquid esset, certine de Metello & Balbino? dic mihi, placetne tibi primū edere iniussu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat is, qui Platonis libros solitus est diuulgare, ex quo *λόγοντιν Ἐρμῶδωρος*. quid illud? rectūne existimas cuiquam quicquam antè, quàm Bruto? cui te authore *ᾠεσφωνῶς*: scripsit enim Balbus ad me, se à te quintum De finibus librum descripsisse: in quo non sanè multa mutauit, sed tamen quædam. Tu autem commodè feceris, si reliquos continueris, ne & *ἀδιόρητα* habeat Balbus, & *ἑωλε* Brutus. Sed hæc hæctenus, ne videar *ᾠεὶ μικρὰ σπουδάζειν*. etsi nunc quidem maxima mihi sunt hæc: quid est enim aliud? Varroni quidem quæ scripsi te authore, ita propero mittere, ut iam Romam miserim describēda. ea si voles, statim habebis: scripsi enim ad librarios ut fieret tuis, si tu velles, describendi potestas. ea verò continebis, quoad ipse te videam. quod diligentissimè facere soles, cū à me tibi dictum sit. Quomodo autem fugit me tibi dicere? mirificè Cerelia, studio videlicet philosophiæ flagrans, describit à tuis. istos ipsos de finibus habet. ego autem tibi confirmo (possum falli, ut humanus) à me non habere: nunquam enim ab oculis meis abfuerunt. tantū porrò aberat ut binos scriberent, vix singulos confecerunt. tuorum tamē ego nullum delictum arbitror, idēque te volo existimare: à me enim prætermisum est, ut dicerem eos exire nondum velle. Huius quādiu de nugis? de re enim nihil habeo quod loquar. De Dolabella tibi assentior. cohæredes, ut scribis, in Tusculano. De Cæsaris aduētū, scripsit ad me Balbus, non ante Cal. Sext. De Attica optimè, quod leuius ac lenius, & quod fert *βικάλως*. Quod autem de illa nostra cogitatione scribis, in qua nihil tibi credo, ea quæ noui: valde probo hominem, domum, facultates. quod caput est, ipsum non noui, sed audio laudabilia de Scrofa: etiam proximè accedit, siquid hoc ad rem. *βιγυέσεως* est etiã, quàm pater. coram igitur, & quidē propenso animo ad probandum: accedit enim, quod patrem (ut scire te puto) plus etiã, quàm non modò tu, sed quàm ipse scit, amo, idque & merito, & iandiu.

D E Varrone, non sine causa, quid tibi placeat, tã diligenter exquiro. occurrunt mihi quædam: sed ea coram. te autem *ἀσμενέσατα* intexui, faciãque id crebrius: proximis enim tuis literis primū te id nō nolle cognoui. De Marcello scripserat ad me Cæsius antea, *ἔα καὶ μέγας* Seruius. ô rem acerbã! Ad prima redeo. scripta nostra nusquam malo esse, quàm apud te: sed ea tum foras dari, cū vtrique nostrum videbitur. Ego & librarios tuos culpa libero, neque te accuso, & tamen aliud quiddam ad te scripseram, Cereliam quædam habere, quæ nisi à te non potuerit. Balbo quidem intelligebam satisfaciendum fuisse: tantū nolebam, aut obsoletum Bruto, aut Balbo inchoatum dari. Varroni, simulac te videro (si tibi videbitur) mittã. Quid autem dubitarim, cū videro te, scies. Attributos quod appellas, valde probè. te de prædio Auia exerceri, molestè fero. De Bruto nostro perodiosum: sed vita fert. mulieres autē vix satis humane, quæ inimico animo ferant, cū vtraque officio pareat. Tullium scribã, nihil fuit quod appellares: nam tibi mandassem, si fuisset: nihil enim est apud eum positum nomine voti. Sed est quiddã apud illum meū. id ego in hãc rem statui conferre. Itaque & ego rectè tibi dixi, ubi esset, & tibi ille negauit. Hoc quoque ipsum cōtinuò adoriamur. Locū hominibus nō sanè probo, quod est desertior: sed habet *βιργίαν*. Verū hoc quoq; ut cēsueris, quippe qui omnia. ego, ut cōstitui, adero, atque vtinã tu quoq; eodē die. sin quid, multa enim, vtiq; postridie: etenim cohæredes: à queis sine te opprimi malitia est.

Alteris iam literis nihil ad me de Attica: sed id quidem mihi in optima spe pono. illud accuso, non te, sed illam ne salutem quidem. At tu & illi & Pilia plurimam. nec me tamen irasci iudicaris. Epistolam Cæsaris mihi, si minus legisses.

ANTEMERIDIANIS tuis literis heri statim rescripti: nunc respondebo vespertinis. Brutus mallem me accerferet: nam & æquius erat, cum illi iter instaret & subitum & longum: & mehercule nunc, cum ita simus affecti, ut non possimus planè sim ul vi-
uere (intelligis enim profectò quò maximè posita sit *συμβίωσις*) facile patiebar nos potius Romæ vnà esse, quàm in Tusculano. libri ad Varronem non morabantur: sunt enim defecti, ut vidisti: tantum librariorum menda tolluntur, de quibus libris scis me dubitasse: sed tu videris. Itè, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarii. Mea man data (ut scribis) explica. quanquàm ista retentione omneis ait uti Trebatius: quid tu istos putas? nosti domum, quam confice *βιβλίωσις*. incredibile est quàm ego ista non curem. Omni tibi asseueratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi maiori offensionem esse, quàm delectationem possessiunculas meas. magis enim doleo, me non habere cui tradam, quàm habere, qui utar. atque illud Trebatius se tibi dixisse narrabat. Tu autem veritus es fortasse, ne ego inuitus audirem. fuit id quidè humanitatis: sed, mihi crede, iam ista non curo. Quare da te in sermonem, & perfecta, & confice, excita, compella, loquere, ut te cum illo Sceua loqui putes. ne existimes eos, qui non debita confectari soleat, quod debeatur remissuros. De die tantum videto, & id ipsum bono modo.

QUID est, quod Hermogenes mihi Clodius Andromenem sibi dixisse, se Ciceronem vidisse Corcyræ? ego enim audita tibi putarâ. nil igitur ne ei quidè literarum an non vidit? facies ergo ut sciam. quid tibi ego de Varrone rescribam? quatuor *διφθέρα* sunt in tua potestate. quod egeris, id probabo: nec tamen *αἰδέομαι* Τρώας: quid enim? sed ipsi quàm res illa probaretur, magis verebar. Sed quoniam tu suscipis, in alteram aurem.

DE RETENTIONE, rescripti ad tuas accuratè literas scriptas. conficies igitur, & quidem sine vlla dubitatione aut retractatione. Hoc fieri & oportet, & opus est. De Andromene, ut scribis, ita putaram: scisses enim, mihi que dixisses. Tu tamen ita mihi de Bruto scribis, ut de te nihil. quando autem illum putas? nam ego Romam prid. Id. ita volui Bruto scribere: sed quoniam tu te legisse scribis, fui fortasse *ἀσαφές*, me ex tuis literis intellexisse, nolle eum me quasi prosequendi sui causa Romam nunc venire. Sed quoniam iam adest meus aduentus, fac quæso, nequid eum Idus impediât, quo minus suo commodo in Tusculano sit. nec enim ad tabulam eum desideraturus eram: in tali enim negotio cur tu vnus non satis es? Sed ad testamētum volebam: quod iam malo alio die, ne ob eam causam Romam venisse videar. Scripsi igitur ad Brutum, iam illud, quod putassem, Idibus nihil opus esse. velim ergo totum hoc ita gubernes, ut ne minima quidem re vlla Bruti commodum impediamus. Sed quid est tãdem, quod perhorrescas, quia tuo periculo iubeam libros dari Varroni? etiam nunc si dubitas, fac ut sciamus: nihil est enim illis elegantius. Volo Varronem, præsertim cum ille desideret: sed est, ut scis, *δεινός* δὲ δὴρ, *τάχα* κεν καὶ ἀνάπτιον ἀπίστωρ. Ita mihi sæpe occurrit vultus eius querētis fortasse vel hoc, meas partes in his libris copiosius defensas esse, quàm suas. quod mehercule intelliges non esse, si quando in Epeirum veneris: nam nunc Alexionis epistolis cedimus: sed tamen ego non despero probatum iri Varroni: & id, quoniã impensam fecimus in macrocola, facile patior teneri. Sed etiã atque etiam dico, tuo periculo fiet. Quare, si addubitas, ad Brutum transeamus: est enim is quoque Antiochius. O Academiam volaticã, & sui simile, modò huc, modò illuc. Sed quæso, epistola mea ad Varronem valde ne tibi placuit? Malè mihi sit, si vnquam quicquam tam enitar. At ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas *πελοχὰς* persequi solet, sed Spinthero syllabatum. De Virgilio parte valde probo. Sic ages igitur: & quidem id erit primum, proximum Clodia. Quod si neutrum, metuo ne turbè, & irruam in Drusum. intemperans sum in eius rei cupiditate, quã nosti. Itaque reuoluo identidè in Tusculanum: quiduis

enim potius, quàm ut non hac æstate absoluaatur. Ego (ut tempus est nostrum) locum habeo nullum, vbi facilius esse possim, quàm Asturæ: sed quia qui mecum sunt, credo quò mœstitiam meam non ferunt, domum properant: etsi poteram remanere, tamen, ut scripsi tibi, proficiscar hinc, ne relictus videar. Quo autem Lanuuius? Connor equidem in Tusculanum: sed faciam te statim certiore. Tu literas conficies. Equidem credibile non est, quantum scribam die: quinetiam noctibus: nihil est enim somni. Heri etiam effeci epistolam ad Cæsarem. tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si fortè opus esse putares. ut quidem nunc est, nihil sanè est necesse mittere, sed id quidem, ut tibi videbitur: mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuuius, nisi fortè Romam: sed cras scies.

EPISTOLAM ad Cæsarem, nobis verò semper rectissimè placuit, ut isti antè legerent: aliter enim fuisset & in hos inofficiosi, & in nosmetipsos: si illum offensuri fuisset, penè periculosi. Isti autem ingenuè, mihi que gratum, quòd, quid sentirent, non reticuerunt: illud verò vel optimè, quòd ita multa mutari volunt, ut mihi de integro scribendi causa non sit. quanquam de Parthico bello quid spectare debui, nisi quod illum velle arbitrabar? quod enim aliud argumentum epistolæ nostræ, nisi *κατακλια* fuit? an, si ea quæ optima putaram, suadere voluisset, oratio mihi defuisset? Totis igitur literis nihil opus est. vbi enim *ἐπιτολμα* magnum nullum fieri possit, *ἀπὸ τοῦ μα* vel non magnum molestum futurum sit. quid opus est *παρὰ κινδυνωθέν*? præsertim cum illud occurrat illum, cum antea nihil scripserim, existimaturum me, nisi toto bello confecto, nihil scripturum fuisse. atque etiam vereor, ne putet me hoc quasi Catonis *μείλιγμα* esse voluisse. Quid quæris? valde me pœnitebat: nec in hac quidem re quicquam magis ut vellem, accidere potuit, quàm quòd *αυτοδὴ* nostra non est probata. Incidisset enim in illos, in eis in cognatum tuum. Sed redeo ad hortos. Planè illuc te ire, nisi tuo magno commodo, nolo. nihil enim vrget. quicquid erit, operam Faberio ponamus. De die tamen auctoris, siquid scies. eum, qui è Cumano venerat, quòd & planè valere Atticam nuntiabat, & literas se habere aiebat, statim ad te misi. Hortos quoniam hodie cras inspecturus, quid visum tibi sit, cras scilicet. De Faberio autem, cum venerit. De epistola ad Cæsarem (iurato mihi crede) non possum. nec me turpitudine deterret, etsi maximè debebat. quàm enim turpis est assentatio, cum viuere ipsum turpe sit nobis? Sed, ut cœpi, non me hoc turpe deterret: ac vellem quidem (esset enim qui esse debebam) sed in mentem nihil venit: nam quæ sunt ad Alexandrum hominum eloquentium & doctorum suasionem, vides quibus in rebus versentur. adolescentem incensum cupiditate verissimæ gloriæ, cupientem sibi aliquid consilii dari, quod ad laudem sempiternam valeret, cohortantur ad decus. non deest oratio. Ego quid possum? tamen nescio quid è quercu exculpsera, quod videretur simile simulachri. In eo, quòd nonnulla erant paulò meliora, quàm ea quæ fiunt, & facta sunt, reprehenduntur: quod me minimè pœnitet. si enim peruenissent ista litera, mihi crede, nos pœniteret. Quid? tu non vides, ipsum illum Aristotelis discipulum summo ingenio, summa modestia, posteaquã Rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse? quid tu hunc de pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis lataturum putas? ille verò potius non scripta desiderat, quàm scripta non probet. Postremò, ut volet. abiit illud, quod tum me stimulabat, quod tibi dabam *περί βιβλίου* *δεξιμῆς*. Multò mehercule magis nunc opto casum illum, quem tum timebam, vel quemlibet, nisi quid te aliud impedit, mihi optato veneris. Nicias à Dolabella magno opere accersitus (legi enim literas) etsi inuito me, tamen eodem me authore profectus est. Hoc manu mea.

CVM quasi alias res quærerè de philologis è Nicia, incidimus in Talnam. Ille de ingenio nihil nimis. modestum & frugi. sed hoc mihi non placuit. se scire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiam Quinti filiam, vetulã sanè, & multarum nuptiarum: non esse probatam mulieribus, quòd ita reperirent, rem non maiorem d c c c. hoc putavi te

scire oportere. De hortis ex tuis literis cognoui, & Chryssippo. in villa, cuius insulsi-
tatem bene noram, video nihil, aut pauca mutata. balnearia tamen laudat. maiora de
minoribus ait hyberna effici posse. Tecta igitur ambulatiuncula addenda est: quam ut
tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, propè dimidio minori constabit
isto loco. Ad id autem quod volumus, ἀφίσρουμεα, nihil aptius videtur, quàm lucus,
quem ego noram: sed celebritatem nullam tum habebat, nūc audio maximam. nihil
est quod ego malim. In hoc ἐν τῷ φωνί μὲν πρὸς θεῶν Ἐποφόρησον. Reliquum est, si Fa-
berius nobis nomē illud explicat: noli quærere quanti: Othonem vincas volo. Nec ta-
men insaniturum illum puto: nosse enim mihi hominē videor. Ita malè autem audio
ipsum esse tractatum, ut mihi ille empturus non esse videatur. quid enim pateretur:
sed quid argumentor? si Faberianum explicas, emamus vel magno: sin minus, ne par-
uo quidem possumus. Clodiā igitur, à qua ipsam ob eam causam sperare videor, quòd
& multò minoris sunt, & Dolabellæ nomen iam expeditum videtur, ut etiam repræ-
sentatione concludam. De hortis satis. Cras aut te, aut causam, quam quidem futu-
ram Faberianam, sed si poteris.

C I C E R O N I S epistolam tibi remisi. ò te ferreum, qui illius periculis non moueris!
me quoque accusat. eam epistolam tibi misissem. nam illam alteram de rebus gestis
eodem exemplo puto. In Cumanum hodie misi tabellarium. ei dedi tuas ad Vestoriū,
quas Pharnaci dederas. Commodum ad te miseram Demeam, cum Eros ad me venit.
sed in eius epistola nihil erat noui, nisi auctorem biduum. Ab ea igitur ut scribis, & ve-
lim confecto negotio Faberiano, quem quidem negat Eros hodie: cras mane putat. à
te colendus est. Istæ autem κολακίαι non longè absunt à scelere. Te, ut spero, perendie.
sicunde potes, erues, qui decē legati Mumio fuerunt: Polybius non nominat. Ego me-
mini Albinum Cōsularem & Sp. Mumium: videor audisse ex Hortensio Tuditanum.
Sed in Libonis annali x i i i i. annis post Prætor est factus Tuditanus, quàm Cōsul Mu-
mius. non sanè quadrat. Volo aliquem Olympiæ, aut vbiuisnam πολιτικὸν σύλλογον, mo-
re Dicæarchi familiaris tui.

V. C A L. mane accepi à Demea literas pridie datas, ex quibus aut hodie, aut cras te
expectare deberem. Sed, ut opinor, idem ego, qui expecto tuum aduentum, morabor
te. non enim puto tam expeditum Faberianum negotium futurum, etiam si est futu-
rum, ut non habeat aliquid moræ. Cum poteris igitur: quoniā etiam dum abes. Di-
cæarchi quos scribis libros, sanè velim mihi mittas: addas etiam κατὰ βίβλους. De epi-
stola ad Cæsarem κερτοφικῆ: atque id ipsum, quod isti aiunt illum scribere, se nisi consti-
tutis rebus non iturum in Parthos: idem ego suadebam in illa epistola, vtrum liberet,
facere posse, authore me. Hoc enim ille expectat videlicet, neque est facturum quicquā,
nisi de meo consilio. Obsecro, abiiciamus ista, & semiliberi saltem simus, quod affe-
quemur & tacendo & latendo. Sed aggredere Othonem, ut scribis. Confice mi Attice
istam rem: nihil enim aliud reperio, vbi & in foro non sim, & tecum esse possim. Quā-
ti autem hoc, mihi venit in mentem. C. Albanus proximus est vicinus, is ∞ iugerum
de M. Pilio emit, ut mea memoria est, h. s. c x v. omnia scilicet nunc minoris. sed acce-
dit cupiditas: in qua, præter Othonem, non puto nos vllum aduersarium habituros:
sed eum ipsum tu poteris monere, facilius etiā, si Canum haberes. O' gulam insulsam.
pudet me patris. Rescribes, siquid voles.

A L T E R A M à te epistolam cum hodie accepissem, volui te vna mea contentum.
Tu verò age, quid scribis, de Faberio: in eo enim totum est positū id quod cogitamus.
Quæ cogitatio si nō incidisset (mihi crede istuc, ut cætera) non laborarē, quam ob rem,
ut facis (istuc enim addi nihil potest) vrge, in ista, perface. Dicæarchi αἰεὶ ψυχῆς utrosque
velim mittas, & κατὰ βίβλους. τριπολιτικὸν nō inuenio, & epistolam eius, quam ad Aristō-
xenū misit. Treis eos libros maximè nunc vellem: apti essent ad id quod cogito. Tor-
quatus Romæ est. iussi ut tibi daretur. Catulum & Lucillum, ut opinor, antea. his libris

noua proœmia sunt addita, quibus eorum vterque laudatur. Eas literas volo habeas, &
sunt quædam alia. & quod ad te de decē legatis scripsi, parum intellexi: credo quia ἀφί-
σημείων scripseram. de C. Tuditano enim quærebam, quem ex Hortensio audieram fu-
isse in decē. Eum video in Libonis Prætorē L. Popilio, P. Rupilio c o s s. annis x i i i i.
antè quàm Prætor factus est, legatus esse potuisset, nisi admodum ferò Quæstor est fa-
ctus: quod non arbitror. video enim Curules magistratus eum legitimis annis perfaci-
le cepisse. Posthumium autem, cuius statuam in Isthmo meminisse te dicis, sciebam fu-
isse. Is autè est, qui cum Lucullo fuit, quem tu mihi addidisti. sanè ad illum σύλλογον per-
sonam idoneam. Videbis igitur, si poteris, cæteros, ut possimus πομπὴν δῶσαι καὶ τοῖς καὶ ἑ-
45 ποῖς. negligentiam miram. semelne putas mihi dixisse Balbum & Faberium professio-
nem relatam? quinetiam eorum iussu miseram, qui profiteretur: ita enim oportere di-
cebant. Professus est Philotimus libertus. nosti credo librarium: sed scribis, & quidē con-
fectum. Ad Faberium, ut tibi placet, literas misi. cum Balbo autem puto te aliquid fe-
cisse H. in Capitolio. In Virgilio mihi nulla est δυσωπία: nec enim eius causa sanè de-
beo. & si emero, quid erit quod postulet? sed videbis, ne is cum sit in Africa, ut Cælius.
De nomine tu videbis cum Cuspio: sed si Plancus destinat, tum haberes difficultatem.
Te ad me venire vterque nostrū cupit: sed ista res nullo modo relinquenda est.

O T H O N E M quòd speras posse vinci, sanè bene narras. De æstimatione, ut scribis, cum
agere cœperimus: etsi nihil scripsit, nisi de modo agri. Cum Pifone, siquid poterit. Di-
cæarchi librum accepi: κατὰ βίβλους expecto. negotium dederis. reperies ex eo libro in
46 quo sunt s. c. Cn. Cornelio & L. c o s s. De Tuditano autè quod putas, σύλλογον est, tū
illum, quoniam fuit ad Corinthum. non enim temere dixit Hortensius aut Quæstorem,
aut Tribunum mil. idque potius fuisse credo. sed tu de Antiocho scire poteris. Vide e-
tiam quo anno Quæstor, aut Tribunus mil. fuerit: si neutrum, eodem in præf. aut con-
tuber. fuerit, modò fuerit in eo bello. De Varrone loquebamur. lupus in fabula. ve-
nit enim ad me, & quidem id temporis, ut retinendus esset: sed ego ita egi, ut non scin-
derem penulam. memini enim tui: & multi erant, nōsque imparati. Quid refert? Paulò
post C. Capito cum T. Carrinate. horum ego vix attingi penulam: tamen remanserunt.
Cecidit bellè. sed casu fermo à Capitone de Vrbe augenda, à pōte Muluio Tyberim du-
ci secundum mōtes Vaticanos, campum Martium cœdificari, illum autem campum
Vaticanum fieri quasi Martium campum. Quid ais, inquam: at ego ad tabulam, ut si re-
47 ctè possem Scapulanos hortos. Caue facias, inquit: nā ista lex perferetur. vult enim Cæ-
sar: audire me, facile passus sum: fieri autem molestè fero. Sed tu quid ais: quanquā quid
quæro: nosti diligentiam Capitonis in rebus nouis perquirendis: non concedit Camil-
lo. Facies igitur me certiozem de Idibus: ista enim res me adducebat: eò adiunxeram
cæteras: quas consequi tamen biduo aut triduo post facile potero. te tamen in via con-
fici minimè volo. quinetiam Dionysio ignosco. De Bruto quòd scribis, feci ut ei libe-
rum esset, quod ad me attineret. scripsi enim ad eum heri Idibus Maii, eius opera mihi
nihil opus esse. Asturam veni v i i i. Calend. Iul. vitædi enim caloris causa Lanuuii treis
48 horas acquieueram. Tu velim, si graue non erit, efficias ne ante Nonas mihi illuc veni-
endum sit. Id potes per Egnatium Maximū. illud in primis cum Publilio me penè ab-
sente conficies. de quo quæ fama sit, scribes. id populus curat scilicet. non mehercule
arbitror: etenim hæc decantata erat fabula: sed complere paginam volui. Quid plura:
ipse enim adsum, nisi quid tu prorogas: scripsi enim ad te de hortis. O' rem indignam.
gentilis tuus Urbem auget: quam hoc biennio primū vidit: & ei parum magna visa
est, quæ etiā ipsum capere potuerit. Hac de re igitur expecto literas tuas. Varroni scri-
bis, te, simulac venerit. Dati igitur iam sunt, nec tibi integrum est. hui si scias quāto pe-
riculo tuo: aut fortasse literæ meæ te retardarunt: sed eas nondum legeras, cum has pro-
ximas scripsisti. Scire igitur aueo quomodo res se habeat.

D E Bruti amore, vestrâq; ambulatione, etsi mihi nihil noui affers, sed idè quod scæpe,
Cc.iii.

tamen hoc audio libentius, quò sapius: eoque mihi iucundius est, quòd tu eo lætaris: certiusque eo est quod à te dicitur. Has alteras hodie literas, de Xenonis nomine & de Epeiroticis x l. nihil potest fieri nec commodius nec aptius, quàm vt scribis. Id erat locutus mecum eodem modo Balbus minor. Noui nihil sanè, nisi Hircium cum Quinto acerrimè pro me litigasse, omnibus eulocis facere, maximèque in cõiuuiis: cum multa de me, tum redire ad patrè. Nihil autem ab eo tā ἀξιοπρίτως dici, quàm alienissimos nos esse à Cæsare: fidem nobis habèdam non esse, me verò etiam cauendum φοβερὸν ἦν, nisi viderem scire Regem, me animi nihil habere: Ciceronè verò meum vexari, sed id quidem arbitrato suo. Laudationem Porciæ gaudeo me antè dedisse Leptæ tabellario, quàm tuas acceperim literas. Eam tu igitur, si me amas, curabis, si modò mittetur, isto modo mittendam Domitio & Bruto. De gladiatoribus, de cæteris, quæ scribis ἀνεμφορήτα, facias me quotidie certiore velim: si tibi videtur, appelles Balbum & Offiliū de auctione proscribenda. Equidem locutus sum cum Balbo, placebat puto conscripta habere Offiliū omnia, habet & Balbus, sed Balbo placebat, propinquum diè, & Romæ: si Cæsar moraretur, posse in diem diem differri. Sed is quidem adesse videtur. Totum igitur considera: placet enim Vestorio.

ANTE lucem cum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo & opera exarauit nescio quid ad te, & ante lucem dedi. Deinde cum somno repetito simul cum sole experrectus essem, datur mihi epistola à fororis tuæ filio, quā ipsam tibi misi, cuius est principium non sine maxima contumelia, sed fortasse ὁδὸν ἐπέστησεν. Est autem sic, EGO enim non probo quicquid non bellè in te dici potest. Possè vult in me multa dici non bellè, sed ea se negat approbare. Hoc quicquā pote esse impurius: iam cætera leges (misi enim ad te) iudicabisque. Bruti nostri quotidianis assiduisque laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renunciauerunt, cõmotum istum aliquando scripsisti aliquid ad me, credo, & ad te: idque vt scia, facies: nam ad patrem de me quid scripserit, nescio: de matre quàm piè?

VOLVERAM, inquit, vt quamplurimum tecum essem, conduci mihi domum: & id ad te scripseram: neglexisti. ita minus multum vnà erimus: nam ego istam domum videre non possum: qua de causa, scis. Hæc autem causam pater odium matris esse dicebat, nunc me iuua mi Attice consilio, ποτὲρον δικαίως τείχεος ὑμῶν, id est, vt rum apertè hominem asperner, ac respuam ἢ σκολιάς ἀπάταις, vt enim Pindaro, sic δὴλα μοι νόος ἀπερείσιαι εἰπέτω. Omnino moribus meis illud aptius, sed hoc fortasse temporibus. Tu autem, quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato.

QUIDEM vereor maximè, ne in Tusculano opprimar. in turba hæc essent faciliora. Vtrum igitur Asturæ? quid Cæsar subitò? iuua me, quæso, consilio: vtar eo quod tu decreueris.

INCREDIBILEM vanitatem: ad patrem domo sibi cendum propter matrem plenam pietatis. Hic autem iam languescit, & ait tibi illum iure iratum: sed vtar tuo cõfilio: σκολιάς enim tibi video placere. Romam, vt censes, veniā, sed inuitus: valde enim in scribendo hæreo. Brutum, inquis, eadem, scilicet: sed nisi hoc esset, res me ista non cogeret: nec enim inde venit, vnde mallet: neque diu abfuit: neque vllā literam ad me. Sed tamen scire aueo, qualis ei totius itineris summa fuerit. Libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, & maximè φαιδρος ἀεὶ θεῶν & ΓΛΑΙΔΟC. itane nuntiat Brutus illum ad bonos viros ἀγαγέλια? Sed vbi eos? nisi fortè se suspendit. Hic autem, vt fultum est, vbi igitur φιλοτέχνημα illud tuum, quod vidi in Parthenone? Alam & Brutum, sed quid faciāt? Illud optimè, quòd ne is quidem, qui omnium flagitiorum author, bene de nostro. At ego verebar, ne etiam Brutus eum diligeret: ita enim significarat iis literis, quas ad meas. At vellem aliquid degustasse de fabulis, sed coram, vt scribis, etsi quid mihi author es, aduolone, an maneo? Equidem & in libris hæreo, & illum hinc excipere nolo, ad quem, vt audio, pater hodie ad faxa Acrimonia. Mirum quàm inimi-

cus ibat, vt ego obiurgarem. Sed ego ipse κέπφομα. Itaque posthac, tu tamen vide quid de aduentu meo censeas, & ἔλα, cras, si perspicere potuerint, mane statim, vt sciam. Ego verò Quinto epistolam ad sororem misi, cum ille quereretur filio cum matre bellum, & se ob eam causam domo cessurum filio diceret. dixi, illum commodas ad matrem litaras, ad te nullas. Ille alterum mirabatur: de te autem suam culpam, quòd sæpe grauitè ad filium scripsisset de tua in illum iniuria, quòd autem relanguisse se dicit, ego ei tuis literis lectis σκολιάς ἀπάταις significauit me non fore: tum enim mentio Canai. Omnino, si id consilium placeret, esset necesse. sed, vt scribis, ratio est habenda grauitatis, & vtriusque nostrum idem consilium esse debet: etsi in mea grauiore iniuriæ, & certè notiores. Si verò etiā Brutus aliquid afferet, nulla dubitatio est, sed coram: magna enim res, & multæ cautionis. Cras igitur, nisi quid à te commotus.

VENIT ille ad me, καὶ μετὰ κατηφής. Et ego, σὺ δὲ τὶ σέωυς; Rogas, inquit, quod iter infret: & iter ad bellum, idque tum periculosum, tum etiam turpe. Quæ vis igitur, inquit, AEs, inquit, alienum, & tamen ne viaticum quidem. Hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquētia: nam tacui. At ille, Sed me maximè angit auunculus. Quidnam, inquit, Quòd mihi, inquit, iratus est. Cur pateris, inquit, malo enim ita dicere, quàm cur committis. Non patiar, inquit: causam enim tollam. Et ego, Rectissimè quidem, sed, si graue non est, velim scire quid sit causa. Quia dum dubitabam quam ducerem, nō satisfaciebam matri: ita ne illi quidem. Nunc nihil mihi tanti est: faciam quod volunt. Feliciter velim, inquit, teque laudo, sed quando? Nihil ad me, inquit, de tempore, quoniā rem probo. At ego, inquit, ceseo prius quàm proficiscaris. ita patri quoque morem gesseris. Faciam, inquit, vt censes. Hic dialogus sic conclusus est. Sed heus tu, diem meum scis esse 111. Non. Ian. aderis igitur. Scripseram iam. ecce tibi orat Lepidus, vt veniam (opinor Augures nihil habere) ad templum afflandum Saturni ἀσπινδύς. videbimus te igitur. Ego verò vtar prorogatione diei: tūque humanissimè fecisti, qui me certiore feceris, atque ita, vt eo tempore acciperem literas, quo non expectarem, tūque vt ab ludis scriberes. Sunt omnino mihi quædam agenda Romæ: sed consequemur biduo post.

SVAVES tuas literas: etsi acerba pompa: veruntamè scire omnia non acerbum est, vel de Cotta. Populum verò præclarum, quòd propter malum vicinū ne victoriæ quidem plauditur. Brutus apud me fuit: cui quidem valde placebat me aliquid ad Cæsare. Annueram, sed pompam videret. Tu tamen ausus es Varroni dare. Expecto quid iudicet, quādo autem perleget? De Attica probo. est quiddam etiam animum leuari tum spectatione, tum etiam religionis opinione & fama. Cottam mihi velim mittas. Libonem mecum habeo, & habueram ante Cascam. Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiauit, quòd appelletur L. Curfidius in oratione Ligariana: erratū esse meum, sed vt aiunt, μημονικὸν ἀμάρτημα. Sciebam Curfidium pernecessarium Ligariorum: sed eum video antè esse mortuum. Da igitur quæso negotium Pharnaci, Antæo, Saluio, vt id nomē ex omnibus libris tollatur.

FVI T apud me Lamia post discessum tuum, epistolamque ad me attulit missam sibi à Cæsare: quæ quanquam antè data erat, quàm ille Diocharinæ, tamen planè declarabat illum ante ludos Romanos esse venturum. In qua extrema scriptum erat, vt ad ludos omnia pararet, nēue committeret vt frustra ipse properasset. Prorsus ex his literis non videbatur esse dubium, quin ante eam diem venturus esset. Itémque Balbo, cum eam epistolam legisset, videri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos video: sed quàm multos, fac, si me amas, sciam. De Bebio poteris, & de altero vicino Egnatio.

Quòd me hortaris vt eos dies consumam in philosophia explicanda, currentè tu quidem: sed cum Dolabella viuèdum esse istis diebus vides. Quòd nisi me Torquati causa teneret, satis erat dierū, vt Puteolos excurrere possem, & ad tempus redire. Lamia quidem à Balbo (vt videbatur) audiuerat, multos numos domi esse numeratos, quos oportet quamprimum diuidi: magnum pondus argenti: auctiōnem, præter prædia, primo

quoque tempore fieri oportere. Scribas ad me velim quid tibi placeat. Equidem, si ex omnibus esset eligendum, nec diligentior, nec officiosior facile delegissem Vestorio: ad quem accuratissimas literas dedi. quod idem te fecisse arbitror. mihi quidem hoc satis videtur. Tu quid dicis? vnum enim pungit, ne negligentiores esse videamur. Expectabo igitur tuas literas.

POLLEX quidē, vt dixerat, ad Idus Sext. ita mihi Lanuuii pridie Iduum praesto fuit, sed planē pollex, non index. Cognosces igitur ex ipso. Balbum conueni: Lepta enim de sua vi in curatione laborans, me ad eum perduxerat. In eo autem Lanuino, quod Lepido tradidit. Ex eo hoc primum. paulō antē acceperam eas literas, in quibus magnopere confirmat ante ludos Romanos. legi epistolam. Multa de meo Catone: quem sapissimē legendo se dicit copiosior factum: Bruti Catone lecto se sibi visum disertum. Ex eo cognoui cretionem Cluuii (ō Vestorium negligētē) liberam, testibus praesentibus sexaginta duobus. Metuebam ne ille arcessendus esset. nunc mittendum est, vt meo iussu cernat. Idem igitur Pollex etiam de hortis Cluuianis egit cum Balbo liberalius: se enim statim ad Caesarem scripturum: Cluuium autem à T. Hordeonio legare & Terentiae HS. ΛΟΟΟ, & sepulchro, multisque rebus, nihil à nobis. Subaccusa quāso Vestorium. quid minus probandum, quā Plotium vnguentarium per suos pueros omnia tanto antē Balbo, illum mihi ne per meos quidem? De Cosinio doleo. dilexi hominem. Quinto delegabo, siquid ari meo alieno superabit, & emptionibus, ex quibus mihi etiam as alienum faciendum puto. De domo Arpini nihil scio. Vestorium nil est quod accuses: iam enim ob signata hac epistola, noctu tabellarius noster venit, & ab eo literas diligenter scriptas attulit, & exemplum testamenti.

POSTEA QUAM abs te Agamemno, non vt venirem (nam id quoque fecissem, nisi Torquatus esset) sed vt scriberem, tetigit, omisi ea quae in manibus habebam, abieci, quod iusseras edolauit. Tu velim ē Pollice cognoscas rationes nostras sumptuarias, turpe est enim nobis illum, qualiscūque est, hoc primo anno egerit. post moderabimur diligentius. idem Pollex remittendus est, vt ille cernat. Planē Puteolos non fuit eundem, cum ob ea quae ad te scripsi, tum quod Caesar adest. Dolabella scribit se ad me postridie Iduum. O magistrum molestum. Lepidus ad me heri vesperi literas misit Antio: nam ibi erat: habet enim domum, quam nos vendidimus. Rogat magnopere, vt sim Calendis in Senatu: me & sibi & Caesari vehementer gratum esse facturum. Puto equidē nihil esse: dixisset enim tibi fortasse aliquid Oppius, quoniam Balbus est aeger. sed tamē malim venire frustra, quā desiderari, si opus esset: molestē ferrem postea. Itaque hodie Antii, cras ante meridiem domi. Tu velim (nisi te impediisti) apud nos prid. Cal. cum Pilia. Te spero cum Publilio confecisse. Equidem Calēdis in Tusculanum recurram: me enim absente omnia cum illis transigi malo. Quinti fratris epistolam ad te misi, non satis humanē illam quidem respondentem meis literis, sed tamen quod tibi satis sit, vt equidem existimo. tu videbis. Heri nescio quid in strepitu videor exaudisse, cum dicerēs te in Tusculanum vēturum: quod vtinam, iterum vtinam, tuo tamen commodo. Lepta me rogat, vt, siquid sibi opus sit, accurram: mortuus enim Babulius. Caesar opinor ex vncia, etsi nihil adhuc: sed Lepta ex triente. Veretur autem ne nō liceat tenere hereditatem, αδελφός omnino, sed veretur tamen. Is igitur si accierit, accurram: sin minus, haud antē, quā necesse erit. Tu Pollicem, cum poteris.

LAUDATIONEM Porciae tibi misi correctā: ac eō properaui, vt, si fortē aut Domitio filio aut Bruto mitteretur, haec mitteretur. id, si tibi erit cōmodum, magnopere cures velim, & velim M. Varronis & Lollii mittas laudationē, Lollii vtique: nam illā legi: volo tamen gustare: quādā enim vix mihi credo legisse. Atticā primum salutē, quam equidem ruri esse arbitror. Multam igitur salutem & Piliae. De Tigellio, siquid noui, qui quidem, vt mihi Gallus Fabius scripsit, μεμνησθαί μοι mihi quandam iniquissimam, me Phameae defuisse, cum eius causam recepissem; quam quidem receperam contra

⁶³ pueros Octauios Cn. F. non libenter: sed Phameae causa volebam: erat enim, si meministi, in Consulatus petitione per te mihi pollicitus, siquid opus esset: quod ego perinde tuebar, ac si usus essem. Is ad me venit, dixitque iudicem operam dare sibi cōstituisse eo die ipso, quo de Sestio nostro lege Pompeia in consilium iri necesse erat: scis enim dies illorum iudiciorum praestitutos fuisse. Respondi, nō ignorare eum quid ego deberem Sestio: quem vellet alium diem si sumpisset, me ei non defuturum. ita tum ille discessit iratus. puto me tibi narraffe. non laboraui scilicet, nec hominis alieni iniustissimam iracundiam mihi curādam putaui. Gallo autem narraui, cum proximē Romae fui, quid audissem, neque nominaui Balbum minorem. Habuit suum negotium Gallus, vt scribit. Ait illum me animi conscientia, quod Phameam destituissem, de se suspicari. Quare tibi haecenus mando, de illo nostro, siquid poteris, exquiras. de me nequid labores.

⁶⁴ Est bellum, aliquem libenter odisse, & quem admodum non omnibus seruire. Etsi mehercule, vt tu intelligis, magis mihi isti seruiunt, si obseruare seruire est.

ADMONITVS quibusdam tuis literis, vt ad Caesarem vberiores literas mitterem, institueram, cum mihi Balbus nuper in Lanuino dixisset, se & Oppium scripsisse ad Caesarem, me legisse libros contra Catonem, & vehementer probasse. Conscripsi de his ipsis libris epistolam Caesari, quae deferretur ad Dolabellam: sed eius exemplum misi ad Oppium & Balbum, scripsique ad eos vt tum deferri ad Dolabellam iuberent meas literas, si ipsi exemplum probassent. Ita mihi rescripserunt, nihil vnquam se legisse melius: epistolamque meam iusserunt dari Dolabellae. Vestorius ad me scripsit, vt iuberē mancipio dari seruo suo pro mea parte Heterio cuidā fundum Brinnianum, vt ipse ei Puteolis rectē mancipio dare posset. Eum seruum, si tibi videbitur, ad me mittes: opinor enim ad te etiam scripsisse Vestorium. De aduentu Caesaris idem, quod à te, mihi scriptum est ab Oppio & Balbo. Miror te nihil dum cum Tigellio, vel vt hoc ipsum quantum acceperit. prorsus aueo scire, nec tamē floccifacio. Quæris, quid cogitem de obuiam itione. Quid censes, nisi Allium? & quidem ad Muranam de hospitio scripseram, sed opinor cum Matio profectum. Sallustius igitur vrgebitur. Scripto iam superiore versiculo Eros mihi dixit, sibi Muranā liberalissimē respondiisse. eo igitur vtamur: nam Silius culcitra non habet. Dida autem (opinor) hospitibus totam villam concessit.

AD CAESAREM quam misi epistolam, eius exemplum fugit me tum tibi mittere. nec id fuit, quod suspicaris, vt me puderet tui, ne ridiculē Micillus. nec mehercule scripsi aliter, ac si καθ' ἑσπέρην scriberem: bene enim existimo de illis libris, vt tibi coram, itaque scripsi & ἀπολογησάμενος, & tamen sic, vt nihil eum existimem lecturum libentius.

⁶⁶ De Attica nunc demum mihi est exploratum. itaque ei de integro gratulare. Tigellium totum mihi, & quidem quamprimum: nam pendeo animi. Narrabo tibi: Quintus cras, sed ad me an ad te, nescio. Mihi scripsit Romam VIII. Calend. sed misi qui inuitaret. etsi hercle iam Romam veniendum est, ne ille antē aduolet.

HOSPITEM mihi tam grauem ἀμεταμέλητον fuit enim periucundē. sed cum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa militibus est, vt vix tricladium, vbi cœnaturus ipse Caesar esset, vacaret, quippe hominum ∞ ∞. Sanē sum cōmotus quid fururum esset postridie. ac mihi Barba Cassius subuenit: custodes dedit, castra in agro, villa defensa est. ille tertiis Saturnalibus apud Philippū ad horam VIII. nec quenquam admisit. rationes opinor cum Balbo. inde ambulauit in littore. post horam VIII. in balneum. tum audiuit. de Mamurra non mutauit. vnctus est, accubuit, ἐμνησθη agebat. Itaque & edit, & bibit ἀδελφός, & iucundē: opiparē sanē & apparatus: nec id solum, sed bene cocto, cōdito, sermone bono, & si quæris, libenter. Præterea tribus tricliniis accepti οἱ κατὰ τὸν αἶθρα valde copiosē. libertis minus lautis, seruisque nihil defuit: nam lautiores eleganter accepti. Quid multa? Homines visi sumus: hospes tamen non is, cui diceret: amabo te, eodem ad me cum reuertere. semel satis est καταπαύσαι αὐτὸν in sermone, ἀδελφός multa. Quid quæris? delectatus est, & libenter fuit. Puteolis se aiebat vnum diem

fore, alterum ad Baias. habes hospitium, siue ἐπισηθμίαν: odiosam mihi duxi, non molestam. Ego paulisper hinc: deinde in Tusculanum. Dolabellæ villam cum præteriret, omnibus armatorum copia, dextra sinistra ad equum, nec vsquam alibi. Hoc ex Nicia. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER XIII.

CICERO ATTICO S.



DIVERTI ad illum, de quo tecum mane. nihil perditius, explicari rem non posse. etenim si ille tali ingenio exitum nõ reperiebat, quis nunc reperiet? Quid quæris? periisse omnia aiebat. quod haud scio an ita sit. Verum ille gaudens, affirmatque, minus diebus x x. tumultum Gallicum. in sermonem se post Idus Martii, præterquam Lepidi, venisse nemini. ad summam, non posse istæc sic abire. O prudentem Oppium, qui nihilo minus illum desiderat, sed loquitur nihil, quod quenquam bonum offendant. sed hæc hæc tenus. Tu quæso quicquid novi (multa autem expecto) scribere ne pigrescere: in his, de Sexto satissime certum, maximè autem de Bruto nostro: de quo quidem ille, ad quem diverti, Cæsarem solitum dicere, Magni refert hic quid velit: sed quicquid vult, valde vult. idque eum animaduertisse, cum pro Deiotaro Nicæa dixerit, valde vehementer eum visum, & liberè dicere. Atque etiam (vt enim quidque succurrit, libet scribere) proximè, cum Sestii rogatu apud eum fuisset, expectaremque sedens quoad vocarer, dixisse eum, Ego dubitem quin summo in odio sim, cum M. Cicero sedeat, nec suo commodo me conuenire possit? Atqui si quisquam est facilis, hic est: tamen nõ dubito quin me malè oderit. hæc, & eiusmodi multa. sed ad propositum. quicquid erit, non modò magnum, sed etiam paruum, scribes: equidem nihil intermittam. Vale.

CICERO ATTICO S.

DVAS à te accepi epistolas heri. ex priore theatrũ, Publiũque cognoui, bona signa consentientis multitudinis. plausus verò L. Cassio datus, etiam facetus mihi quidem visus est. Altera epistola de Madaro scripta, apud quem nullum σαλάρωμα, vt putas: processi enim, sed minus diu: eius sermone enim sum retentus. Quod autem ad te scripseram, obscure fortasse, id eiusmodi est. aiebat Cæsarem secum, quo tempore Sestii rogatu veni ad eum, cum expectarem sedens, dixisse, Ego nunc tam sim stultus, vt hunc ipsum facilem hominem putem mihi esse amicum, cum tandiu sedens meum commodum expectet? Habes igitur φαλακρόμα inimicissimum otii, id est Bruti. In Tusculanum hodie, Lanuuii cras, inde Asturæ cogitabam. Piliæ paratum est hospitium: sed vellem Atticam. verum tibi ignosco. quarum vtrique salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

TRANQVILLAE quidem tuæ literæ: quod vtinam diutius: nam Matius posse negabat. Ecce autem structores nostri ad frumentum profecti, cum inanes rediissent, rumorem afferunt magnum, Romæ domum ad Antonium frumentum omne portari: πάντων certè: scripsisses enim. Corumbus Balbi nullus adhuc, & mihi notum nomen: bellus enim esse dicitur architectus. Ad obsignandum tu adhibitus non sine causa videris: volunt enim nos ita putare: nescio cur non animo quoque sentiant. Sed quid hæc ad nos? Odorare tamen Antonii διαθήσει. quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quicquam mali cogitare. Tu, siquid pragmaticon habes, scribe. sin minus, populi ὀπισθησιας, & mimorũ dicta perscribito. Piliæ & Atticæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

NUNC quid putas me Lanuuii: at ego te istic quotidie aliquid noui suspicor. tument negotia: nam cum Matius, quid censes cæteros? Equidem doleo, quod nõquam in nul-

la ciuitate accidit, non vnà cum libertate Rempub. recuperatam. horribile est quæ loquantur, quæ minitentur. ac vereor Gallica etiam bella, ipse Sextus quò euadat. Sed omnia licet concurrant, Idus Martiæ consolantur. nostri autem ἥρωες, quod per se ipsos confici potuit, gloriosissimè & magnificentissimè confecerunt. reliquæ res opes & copias desiderant, quas nullas habemus. Hæc ego ad te: vt siquid noui (nam quotidie aliquid expecto) confestim ad me: & si noui nihil, nostro more tamen ne patiamur intermitteri literulas: equidem non committam. Vale.

CICERO ATTICO S.

SPERO tibi iam esse vt volumus, quoniam quidem ἐσίγησας quàm leuiter commotus esses: sed tamen velim scire quid agas. signa bella, quòd Caluena molestè fert, se suspectum esse Bruto. illa signa non bona, si cum signis legiones veniunt è Gallia. quid tu illas putas, quæ fuerunt in Hispania? nõne idè postulaturas? Quid eas, quas Annius transportauit? Caninium volui, sed μνημονικὸν ἀμάρτημα, ab aleatore Φυρμὸς πολὺς. Nam ista quidem Cæsaris libertorum coniuratio facile opprimeretur, si recta saperet Antonius. meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere viderer hunc rerum tumorem: cui certè si possem mederi, deesse non deberem: sed vides magistratus, si quidem magistratus illi sunt: vides tamen tyranni satellites in imperiis: vides eiusdem exercitus: vides in latere veteranos: quæ sunt βέλτεια omnia: eos autem, qui orbis terræ custodiis non modò septi, verum etiam magni esse debebant, tantummodo laudari atque amari, sed parietibus contineri, atque illi quoquo modo beati: ciuitas misera. sed velim scire quid aduentus Octauii, num qui concursus ad eum, num quæ νεωτερισμὸς suspicio. non puto equidè. sed tamen, quicquid est, scire cupio. Hæc scripsi ad te proficiscens Astura, 11. Id. Vale.

CICERO ATTICO S.

PRID. Id. Fundis accepi tuas literas coenàs. Primùm igitur, melius esse: deinde meliora te nuntiare: odiosa illa enim fuerant, legiones venire. nam de Octauio, sũsque deque. expecto quid de Mario: quem quidem ego sublatum rebar à Cæsare. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum: sed tamen adhuc me nihil delectat præter Idus Martii. nam quoniam Fúdis sum cum Ligure nostro, discrucior, Sestii fundum à Verberone Curtilio possideri. quod cum dico, de toto genere dico: quid enim miserius, quàm ea nos tueri, propter quæ illum oderamus? Etiamne Consules & Tribunos pleb. in biennium, quos ille voluit? nullo modo reperio quemadmodum possim πολιτεύεσθαι: nihil enim tam Γραίκον, quàm τυραννοκτόνος in cælo esse, tyranni facta defendi. sed vides Consules: vides reliquos magistratus, si isti magistratus: vides languorem bonorum: exultant lætitia in municipiis: dici enim non potest, quantopere gaudeant, vt ad me concurrant, vt audire cupiant verba mea de re: nec vlla interea decreta: sic enim πεπολιτεύμεθα, vt victos metueremus. Hæc ad te scripsi apposita secunda mensa, plura, & πολικὰ τέρα postea: & tu, quid agas, quidque agatur. Postridie Iduum Paulum Caietæ vidi. is mihi de Mario & de Repub. alia quædam sanè pessima: à te scilicet nihil: nemo enim meorum. sed Brutum nostrum audio visum sub Lanuuiio. vbi tandem est futurus? nam cum reliqua, tum de hoc scire aueo omnia. Ego è Formiano exiens xv. Calend. vt inde altero die in Puteolanum, scripsi hæc. A Cicerone mihi literæ sanè πεπικνωμέναι, & bene longæ. Cætera autem vel fingi possunt: πῖνος literarum significat doctiorem. Nunc magnopere à te peto, de quo sum nuper tecum locutus, vt videas nequid ei desit. id cum ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem & dignitatem, quod idem intellexi tibi videri omnino. si ergo est, volo mense Quintili in Græciam. Sunt omnia faciliora. sed cum sint ea tempora, vt certi nihil esse possit, quid honestum mihi sit, quid liceat, quid expediat: quæso da operã vt illum quam honestissimè copiosissimè que tucamur. Hæc, & cætera quæ ad nos pertinebunt, vt soles, cogitabis: ad meque aut quod ad rem pertineat, aut si nihil erit, quod in buccam venerit, scribes.

T V M E iam rebare, cum scribebas, in agris esse nostris: at ego accepi x v i i. Calend. in diuersoriolo Sinuessano tuas literas. De Mario probé. etsi doleo L. Crassi nepotem optimè, tam etiam Bruto nostro probari Antonium. nam quòd Iuniam scribis moderatè & amicè scriptas literas attulisse: mihi Paulus dedit ad se à fratre missas: quibus in extremis erat, sibi infidias fieri, se id certis auctoribus comperisse. hoc nec mihi placebat, & multò illi minus. Regina fuga mihi non molesta. sed Clodia quid egerit, scribas ad me velim. De Bizantiis curabis vt cætera: & Pelopem ad te arcesse. Ego, vt postulas, Baiana negotia, chorúmque illum, de quo scire vis, cum perspexero, tû scribam, nequid ignores. Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, vehementer expecto. ea scilicet tu declarabis, qui cætera. Nauseolam tibi tum causam otii dedisse facile patiebar: videbar enim mihi legenti tuas literas requiesse paulisper. De Bruto semper ad me omnia perscribito, vbi sit, quid cogitet: quem quidem ego spero iam tutò vel solùm tota Vrbe vagari posse. Veruntamen de Repub. multa cognoui ex tuis literis: quas quidem multiuges accepi vno tempore à Vestorii liberto. Ad ea autem quæ requiris, breuiter respondebo. primùm vehementer me Cluuiana delectant. Sed quod quæris, quid arcefferim Chrysippum: tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæ rimas agunt: itaque non solùm inquilini, sed mures etiam migrauerunt. Hanc cæteri calamitatem vocant, ego ne incommodum quidem. O Socrates, o Socratici viri, nunquam vobis gratiam referam. Dii immortales, quàm mihi ista pro nihilo. sed tamen ea ratio ædificandi initur, consiliario quidem & authore Vestorio, vt hoc damnũ quæstuosum sit. Hic turba magna est, eritque, vt audio, maior: duo quidem quasi designati Consules. O dii boni, viuit tyrannis. tyrãnus occidit: eius interfecti morte lætamur, cum facta defendimus? Itaque quàm seuerè nos M. Curtius accusat, vt pudeat viuere: neque iniuria: nam mori milies præstitit, quàm hæc pati, quæ mihi videntur habitura etiam vetustatem. & Balbus hic est, multumque mecum: ad quem à Vetere literæ datæ prid. Calend. Ian. cum à se Cæcilius circumsideretur, & iam teneretur, venisse cum maximis copiis Pacorum Parthum: ita sibi esse eum ereptum multis suis amissis: in qua re accusat Volcatium. Ita mihi videtur bellum illud instare: sed Dolabella & Nicias viderint. Idem Balbus meliora de Gallia x x i. die literas habebat: Germanos, illasque nationes re audita de Cæsare, legatos misisse ad Aurelium, qui est præpositus ab Hircio, se, quòd imperatum esset, esse facturos. Quid quæris: omnia plena pacis, aliter ac mihi Caluenna dixerat.

I T A N E verò: hoc meus & tuus Brutus egit, vt Lanuuii esset: vt Trebonius itineribus deuiis proficisceretur in prouinciam: vt omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Cæsaris plus valerent, quàm si ipse viueret: meministine clamare illo ipso primo Capitolino die? Senatum in Capitolium à Prætoribus vocari? Dii immortales, quæ tum opera effici potuerunt, lætantibus omnibus bonis, etiam fat bonis, fractis latronibus? Liberalia tu accusas. quid fieri tum potuit? iam pridem perieramus. Meministine te clamare causam periisse, si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus, laudatusque miserabiliter: seruique, & egentes in tecta nostra cum facibus immissi. Quæ deinde? vt audeant dicere, Tunc contra Cæsaris nutũ? Hæc, & alia ferre nõ possum. Itaque γῆν pro γῆς cogito. Tua tamen ὑπὸνέμιος nausea iamne planè abiit? mihi quidem ex tuis literis coniectanti ita videbatur. Redeo ad te: Bassos, Scæuas, Francones, hos tu existimas confidere se illa habituros stantibus nobis, in quibus plus virtutis putarunt, quàm experti sunt? pacis isti scilicet amatores, & nõ latrocinii authores. At ego cum tibi de Curtilio scripsi, Sestilianoque fundo, scripsi de Censorino, de Messala, de Planco, de Posthumio, de genere toto. Melius fuit periisse illo interfecto (quod nõquam accidisset) quàm hæc videre. Octavius Neopolim venit x i i i. Calend. ibi eum Balbus mane postridie: eodemque die mecum in Cumano: illum hæreditatem aditurum. sed, vt scribis, ῥιζομαν magnam cum Antonio. Buthrotia mihi tua res est, vt debet, eritque curæ.

Quid quæris? iamne ad centena Cluuianum? aduentare videtur: sed primo anno

l x x x. deterimus. Quintus pater ad me grauius de filio, maximè quòd matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus. ardenteis in eum literas ad me misit. Ille autem quid agat, si scis, neque dum Roma es profectus, scribas ad me velim, & hercule siquid aliud. Vehementer delector tuis literis. Vale.

CICERO ATTICO S.

N V D I V S T E R T I V S dedi ad te epistolam lógiorem, nunc ad ea quæ proximè. Velim mehercule Asturæ Brutus. ἀνεργασίας istorum scribis, an censebas aliter? Equidem etiam maiora expecto. Cum equidem concionem lego de tanto viro, de clarissimo ciue, ferre non queo. Etsi ista iam ad risum. sed memento: sic alitur consuetudo perditarum concionum, vt nostri illi non heroes, sed dii futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine periculo quidem. Verùm illis magna consolatio conscientia maximi & clarissimi facti: nobis quæ, qui interfecto Rege liberi non sumus? Sed hæc fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat. De Cicerone quæ scribis, iucunda mihi sunt, velim sint prospera. Quòd verò curæ tibi est vt ei suppeditetur ad vsũ & cultum copiosè, per mihi gratum est: idque vt facias, te etiam rogo. De Buthrotiis & tu rectè cogitas, & ego nõ dimitto istam curam, suscipiam omnem etiam actionem, quam video quotidie faciliorem. De Cluuiano, quoniam in re mea me ipsum diligentia vincis, res ad cetera perducitur. Ruina rem non fecit deteriolem, haud scio an iam fructuosior. Hic mecum Balbus, Hircius, Panfa. modò venit Octavius, & quidem in proximam villam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me: cras mane vadit. Vale.

CICERO ATTICO S.

O MI Attice, vereor ne nobis Idus Martiæ nihil dederint præter lætitiã, & odii pœnam ac doloris. Quæ mihi istinc afferuntur? quæ hic video? ὡς ἀπὸ ἀλλοτρίου καλῆς μὲν, ἀτελεῆς δὲ. scis quàm diligam Siculos, & quàm illam clientelam honestam iudicem. Multa illis Cæsar, neque me inuito. etsi latinitas erat non ferenda. Veruntamen. ecce autè Antonius accepta grandi pecunia, fixit legem à Dictatore comitiis latam, qua Siculi ciues Romani, cuius rei viuo illo mentio nulla. Quid? Deiotari nostri causa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fuluiam. Sexcenta similia. Verùm illuc refero. Tam claram, tamque testatam rem, tamque iustam Buthrotiam non tenebimus aliqua ex parte? & eo quidem magis, quòd ista plura. Nobiscum hic perhonorificè & amicè Octavius: quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus non, itaque ne nos quidem: quem nego posse bonum ciuem, ita multi circumstant, qui quidè nostris mortem minitatur. Negat hæc ferri posse. Quid censes, cum Romam puer venerit, vbi nostri liberatores tutò esse non possunt: qui quidem semper erunt clari, conscientia verò facti sui etiam beati. Sed nos (nisi me fallit) iacebimus. Itaque exire aueo, vbi nec Pelopidarum inquit. Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt, vt ne apud aquas quidem acquiescere liceret. sed hoc meæ nimix facilitatis: nam id erat quondam quasi necesse: nunc quoquo modo se res habet, non est item, quàm dudum.

Nihil habeo quòd ad te scribam: scribo tamen, non vt delecter meis literis, sed vt eliciam tuas. Tu, siquid erit de cæteris, de Bruto vtique quicquid erit. Hæc cõscripsi x. Calend. accubans apud Vestorium, hominem remotum à dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum. Septimo denique die literæ mihi redditæ sunt, quæ erant à te x i i. Calend. datæ, quibus quæris, atque etiam me ipsum nescire arbitraris, vtrum magis tumulis, prospectuque, an ambulatione ἀλιτενῶς delecter. Est mehercule, vt dicis, vtriusque loci tanta amœnitas, vt dubitem vtra anteponenda sit:

Ἀλλ' ἔδαμνος ἐπιγραφῆτος ἔργα μέμηλεν,

Ἀλλὰ λίω μέγα πῆμα διοσπεφές, εἰσοσθῶντες

Δείδηδον, ἐν δότῃ δὲ Γάσπεδον, ἢ ἀπολέεσθαι.

Quauis enim tu magna, & mihi iucunda scripseris de D. Bruti aduētũ ad suas legio-

nes, in quo spem maximam video: tamen, si est bellum civile futurum, (quod certè erit, si Sextus in armis permanebit, quem permanurum esse certò scio,) quid nobis faciendum est ignoro. neque enim iam licebit, quod Cæsaris bello licuit, neque huc, neque illuc: quemcunque enim hæc pars perditorum lætatur morte Cæsaris putabit (lætitiā autem apertissimè tulimus omnes) hunc in hostium numero habebit. quæ res ad cædem maximam spectat. Restat, ut in castra Sexti, aut, si fortè, Bruti nos conferamus. Res odiosa, & aliena nostris ætatibus, & incerto exitu belli. & nescio quo pacto tibi ego possim, mihi tu, dicere,

Τέκνον ἐμὸν, ἃ ποι δέδωται πολεμῆια ἔργα,
 Ἀλλὰ σὺν ἰμερόεντα μετέρχου ἔργα λόγιο.

Sed hæc fors viderit: ea, quæ talibus in rebus plus, quàm ratio, potest. Nos autem id videamus quod in nobis ipsis esse debet, ut, quicquid acciderit, fortiter & sapienter feramus, & accidisse hominibus meminerimus: nosque cum multum literæ, tum non minimum Idus quoque Martiæ consolentur. Suscipe nunc meam deliberationem, quæ sollicitor, ita multa veniunt in mentem in vtranque partem. Proficiscor, ut constitueram, legatus in Græciam. Cædis impendentis periculum non nihil vitare videor, sed casurus in aliquam vituperationem, quod Reipub. defuerim tam graui tempore. Sin autem mansero, equidem video in discrimine: sed accidere posse suspicor, ut prodesse possim Reipub. Iam illa consilia priuata sunt, quod sentio valde esse vtile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire. Nec alia causa profectiois mihi vlla fuit, cum consilium cepi legari ab Cæsare. Tota igitur hac de re, ut soles, siquid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nunc ad epistolam tuam. Scribis enim esse rumores, me ad lacum, quod habeo, venditurum, minusculam verò villam utique Quinto traditurum, vel impenso pretio, quò introducatur, ut tibi Quintus F. dixerit, dotata Aquilia. Ego verò de venditione nihil cogito, nisi quid, quod magis me delectet, inuenero. Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore: satis enim torquetur debitione dotis: in qua mirificas Q. Egnatio gratias agit. Aducenda autem vxore sic abhorret, ut quicquam libero lectulo neget esse iucundius. Sed hæc quoque hæctenus: redeo enim ad miseram, seu nullam potius Rempub. M. Antonius ad me scripsit de restitutione Sex. Clodii: quàm honorificè, quod ad me attinet, ex ipsius literis cognosces (misi enim tibi exemplum) quàm dissolutè, quàm turpiter, quàmque perniciosè, ut nonnunquam Cæsar desiderandus esse videatur, facillè existimabis. quæ enim Cæsar nunquam neque fecisset, neque passus esset, ea nunc ex falsis eius commentariis proferuntur. Ego autem Antonio facillimum me præbui: etenim ille, quoniam semel induxit animum, sibi licere quod vellet, fecisset nihilo minus me inuito. Itaque mearum quoque literarum misi tibi exemplum. Vale.

ANTONIUS COS. S. D. CICERONI.

OCCUPATIONIBVS est factum meis, & subita tuo profectio, ne tecum coram de hac re agerem. Quam ob causam vereor ne absentia mea leuior sit apud te. Quod si bonitas tua responderit iudicio meo, quod semper habui de te, gaudebo. A Cæsare petii, ut Sex. Clodium restitueret: impetraui. erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses: quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat. Quod si duriorum te eius miseræ & afflictæ fortunæ præbes, non contendam ego aduersus te. Quanquam videor debere tueri commentarium Cæsaris. Sed mehercule si humaniter & sapienter & amabiliter in me cogitare vis, facilem te profectò præbebis, & voles P. Clodium in optima spe puerum repositum existimare, non te infecturum esse, cum potueris, amicos paternos. Patere obsecro te, pro Reipub. videri gessisse simultatem cum patre eius. non contempseris hanc familiam. honestius enim, & libentius deponimus inimicitias Reipub. nomine susceptas, quàm contumaciæ. Me deinde sine ad hanc opinionem iam nunc dirigere puerum, & tenero animo eius per-

suadere, non esse tradendas posteris inimicitias. Quanquam tuam fortunam Cicero ab omni periculo abesse certum habeo: tamen arbitror malle te quietam senectutem, & honorificam potius agere, quàm sollicitam. Postremò, meo iure te hoc beneficium rogo: nihil enim non tua causa feci. Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum: ut intelligas quanti apud me autoritas tua sit, atque eo te placabiliorem præbeas. Vale.

CICERO ANTONIO COS. S.

24 QVOD mecum per literas agis, vnam ob causam mallem coram egisses: non enim solum ex oratione, sed etiam ex vultu & oculis & fronte (ut aiunt) meum erga te amorem perspicere potuisses. nã cum te semper amavi, primùm tuo studio, post etiam beneficio prouocatus, tum his temporibus Reipub. te mihi ita commendauit, ut chariorem habeam neminè. Literæ verò tuæ tum amantissimè, tum honorificentissimè scriptæ sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere à te ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum me inuito seruare nolles, cum id nullo negotio facere posses. Ego verò tibi istuc mi Antoni remitto, atque ita, ut me à te, cum his verbis scripseris, liberalissimè atque honorificentissimè tractatū existimem. Idque cum totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati & naturæ meæ. nihil enim vnquã non modò acerbum in me fuit, sed ne paulò quidem tristius aut seuerius, quàm necessitas Reipub. postulauit. Accedit, ut ne in ipsum quidem Clodium meum insigne odium fuerit vnquam: semperque ita statui, non esse infectandos inimicorum amicos, præsertim humiliores: nec his præsidii nosmet ipsos esse spoliandos. Nam de puero Clodio tuas parteis esse arbitror, ut eius animum tenerum, quemadmodum scribis, his opinionibus imbuas, ut nequas inimicitias residere in familiis nostris arbitretur. Contendi cum P. Clodio, cum ego publicam causam, ille suam defenderet. Nostras contentiones Reipub. diiudicauit. si viueret, mihi cum illo nulla contentio iam maneret. Quare quoniam hoc à me sic petis, ut quæ tua potestas est, ea neget te me inuito vsurum: puero quoque hoc à me dabis, si tibi videbitur: non quo aut ætas nostra ab illius ætate quicquam debeat periculi suspicari, aut dignitas mea vllam contentionem extimescat: sed ut nosmet ipsi inter nos coniunctiores
 26 simus, quàm adhuc fuimus. interpellatibus enim his inimicitias, animus tuus mihi magis patuit, quàm domus. Sed hæc hæctenus. illud extremum, Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, semper sine vlla dubitatione summo studio faciam. Hoc velim tibi penitus persuadeas. Vale.

CICERO ATTICO S.

ITERA dum eadem ista mihi. Coronatus Quintus noster Parilibus: Parilibus, solusne? etsi addis Lamiam: quod demiror equidè: sed scire cupio qui fuerint alii. quam satis scio, nisi improbum neminem. explanabis igitur hoc diligentius. Ego autè casu cum dedissem ad te literas v. i. Calend. satis multis verbis, tribus ferè horis post accepi tuas, & magni quidem ponderis. itaque ioca tua plena facetiarum, de hæresi Vestoriana, & de Pherionum more Puteolano risisse me satis, nihil est necesse rescribere.
 27 πολιτικώτερον illa videamus. Ita Brutos, Cassiumque defendis, quasi eos ego reprehendam, quos satis laudare non possum. rerum ego vitia collegi, non hominum. sublato enim tyranno tyrannida manere video: nam quæ ille facturum non fuit, ea fiunt, ut de Clodio: de quo mihi exploratum est, illum non modò nõ facturum, sed etiam ne passurum quidem fuisse. sequetur Rufio Vestorianus, victor nõquam scriptus, cæteri, quis non? cui seruire ipsi non potuimus, eius libellis paremus. nam Liberalibus quis potuit in Senatum non venire? Fac id potuisse aliquo modo: num etiam cum venissemus, liberè potuimus sententiam dicere? nõne omni ratione veterani, qui armati aderant, cum præsidii nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? Illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse, tu testis es. quid ergo? culpa ista Brutorum? minimè illorum: qui-

dem, sed aliorum Brutorum, qui se cautos ac sapientes putant, quibus satis fuit lætari, nonnullis etiam gratulari, nullis permanere. Sed præterita omittamus: istos omni cura, præsidioque tueamur: & quemadmodum tu præcipis, contenti Idibus Martii simus, quæ quidem nostris amicis diuinis viris aditum ad cælum dederunt, libertatem populo Rom. non dederunt. recordare tua: nonne meministi clamare te, omnia periisse, si ille funere elatus esset? sapienter id quidem. Itaque, ex eo quæ manarint vides. Quæ scribis Calendis Iunii Antonium de prouinciis relaturum, vt & ipse Gallias habeat, & vtrisque dies prorogetur: licebitne decerni liberè: si licuerit, libertatem esse recuperatam lætabor. si non licuerit, quid mihi attulerit ista domini mutatio præter lætitiā, quam oculis cepi iusto interitu tyranni? Rapinas scribis ad Opis fieri, quas nos quoque tum videbamus. ne nos & liberati ab egregiis viris, nec liberi sumus. ita laus illorum est, culpa nostra. Et hortaris me, vt historias scribam: vt colligam tanta eorum scelera, à quibus etiam nunc obsidemur? poterone eos ipsos non laudare, qui te obfignatorem adhibuerunt? Nec mehercule me Raudusculum mouet: sed homines beneuolos, qualescunque sunt, graue est insequi contumelia. Sed de omnibus meis consiliis, vt scribis, existimo exploratius nos ad Calend. Iun. statuere posse: ad quas adero, & omni ope atque opera enitar, adiuuante me scilicet autoritate tua, & gratia, & summa æquitate causæ, vt de Buthrotiis s. c. quale scribis, fiat. Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem. etsi tibi dederam superiore epistola cogitandum. Tu autem quasi iam recuperata Repub. vicinis tuis Massiliensibus sua reddis. Hæc armis (quæ quàm firma habeamus, ignoro) restitui fortasse possunt, autoritate non possunt.

EPISTOLA breuis quæ postea ad te scripta est, sanè mihi fuit iucunda de Bruto ad Antoniū, & de eiusdem ad te literis. Posse videntur esse meliora, quàm adhuc fuerint: sed nobis, vbi simus, & quò iam nos conferamus, prouidendum est. O mirificum Dolabellam meum! iam enim dico meum, antea (crede mihi) subdubitabam. magnam ἀγαθότητα res habet. de faxo, in crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare. Quid quæris? heroica. sustulisse mihi videtur simulationem desiderii, adhuc quæ serpebat in dies, & inueterata, verebar ne periculosa nostris tyrannoctonis esset. Nunc profus assentior tuis literis, speroque meliora. quanquam istos ferre non possum: qui dum se pacem velle simulant, acta nefaria defendunt. sed non possunt omnia simul. Incipit res melius ire, quàm putaram. nec verò discedam, nisi cum tu id me honestè putabis facere posse. Bruto certè meo nullo loco deero: idque, etiā si mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter eius singularem, incredibilēque virtutem.

Piliæ nostræ villam totam, quæque in villa sunt, trado, in Pompeianum ipse proficiscens Calendis Maii. quàm velim Bruto persuadeas, vt Asturæ sit! Vale.

CICERO ATTICO S.

V. NON. conscendens ab hortis Cluuianis in phaselum epicopum has dedi literas, cum Piliæ nostræ villam ad Lucrinum, villicosque procuratores tradidissem. ipse autem eo die in Pæti nostri tyrotarichum imminebam, perpaucis diebus in Pompeianum, post in hæc Puteolana & Cumana regna renauigare. O loca cæteroqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine penè fugiēda! Sed ad rem vt veniam, O Dolabellæ nostri magnam ἀγαθότητα. quanta est ἀγαθότης. Equidē laudare eum, & hortari non desisto. rectè tu omnibus epistolis significas, quid de re, quid de viro sentias. mihi quidem videtur Brutus noster iam vel coronam auream per forū ferre posse: quis enim audeat violare, proposita cruce vel faxo? præsertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum? Nunc mi Attice me fac vt expedias. cupio, cum Bruto nostro affatim satiffecerim, excurrere in Græciam. magni interest Ciceronis, vel mea potius, vel mehercule vtriusque, me interuenire discenti. nam epistola Leonidæ, quam ad me misisti, quid habet quæso, in quo magnopere lætemus? Nunquam ille mihi satis laudari videbitur, cum ita laudabitur, QUOMODO NUNC EST. non est fidentis

hoc testimonium, sed potius timentis. Herodi autem mandaram, vt mihi ἐπιπέμπων scriberet: à quo adhuc nulla litera est. Vereor ne nihil habuerit, quod mihi, cum cognossem, iucundum putaret fore. Quò ad Xenonē scripsisti, valde mihi gratū est: nihil enim deesse Ciceroni tum ad officium, tum ad existimationē meam pertinet. Flammam Flaminiū audio Romæ esse. ad eum scripsi, me tibi mādasse per literas, vt de Mōtani negotio cum eo loquerere: & velim cures epistolā, quam ad eum misi, reddēdam, & ipse (quod cōmodo tuo fiat) cum eo colloquare. puto, siquid in homine pudoris est, præstaturū eum, ne pro se quodāmodo dependatur. De Attica pergratum mihi fecisti, quòd curasti antè scirè rectè esse, quàm non bellè fuisse. In Pōpeianum veni v. Cal. Maii, cum pridie (vt antea ad te scripsi) Piliā in Cumanis collocauissem. ibi mihi cœnanti literæ tuæ sunt redditæ, quas dederas Demetrio liberto prid. Cal. in quibus multa sapienter, sed tamen talia (quemadmodum tute scribebas) vt omne consilium in fortuna positum videretur. itaque his de rebus ex tempore, & corām. De Buthrotio negotio vtinam quidem Antonium conueniam: multum profectò proficiam. sed non arbitrantur eum à Capua declinaturum. quò quidem metuo ne magno Reip. malo venerit: quod idem L. Cæsari videbatur, quem pridie Neapoli affectum grauiter videram. Quam ob rē ista nobis ad Cal. Iun. tractanda & perficiēda sunt. Sed hæctenus. Quintus filius ad patrem acerbissimas literas misit: quæ sunt ei redditæ, cum venissemus in Pompeianum: quarum tamen erat caput, Aquiliam nouercam non esse laturum. Sed hoc tolerabile fortasse, illud verò se ab Cæsare habuisse omnia, nihil à patre, reliqua sperare ab Antonio. O perditum hominem! sed μελῆος. Ad Brutum nostrum & Cassiū, & ad Dolabellam epistolas scripsi. earum exempla tibi misi, non vt deliberarem reddendæne essent (planè enim iudico esse reddendas) sed quòd non dubito quin tu idem existimaturus sis. Ciceroni meo mi Attice suppeditabis quantum videbitur, meque tibi hoc onus imponere patiere: quæ adhuc fecisti, mihi sunt gratissima. Librum meū illum ἀνεκδοτον, nondum, vt volui, perpoliui. ista verò quæ tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen expectant. Ego autem (credas mihi velim) minore periculo existimo contra illas nefarias partes viuo tyranno dici potuisse, quàm mortuo. ille enim nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter: nunc quacūque nos commouimus, ad Cæsaris non modò acta, verum etiam cogitata reuocamur. De Montano, quoniam Flamma venit, videbis. puto rem meliore loco esse debere. Vale.

CICERO DOLABELLAE COS. SVO S.

ET SI contentus erā mi Dolabella tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiā, voluptatēque capiebā: tamen non possum non cōfiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd vulgò hominum opinio focium me ascribat tuis laudibus. neminē conueni (cōuenio autē quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis causa in hæc loca veniunt: præterea ex municipiis frequētes necessarii mei) quin omnes, cū te summis laudibus ad cælū extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant. negāt enim se dubitare, quin tu meis præceptis & consiliis obtēperans, præstantissimum te ciuem & singularem Consulē præbeas. quibus ego, quanquam verissimè possim respondere te, quæ facias, tuo iudicio & tua sponte facere, nec cuiusquā egere consilio: tamen neque planè assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis à meis consiliis profecta videatur: neque valde nego: sum enim audior, etiam quàm satis est, gloriæ. & tamen non alienum est dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni Regi Regum fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiēdis Nestorem: mihi verò gloriosum, te iuuenem Consulē florere laudibus, quasi alumnū disciplinæ meæ. L. quidē Cæsar, cum ad eum ægrotū Neapolim venissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antè quàm me planè salutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, iam salui esse possemus. Dolabellæ verò tuo & gratulor, & gratias ago, quem quidē post te Consulē, solum pos-

Dd. i.

eadem Salerni
sup fl. 100.

sum verè Confulem dicere. Deinde multa de facto ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum vnquam, nihil Reipub. salutarius. Atque hæc vna vox omnium est. A te autem peto, vt me hanc quasi falsam hæreditatem alienæ gloriæ finas cernere, meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiari. quãquã mi Dolabella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas, si modò sunt aliqua meæ laudes, ad te transfuderim, quàm aliquam partem exhauserim ex tuis: nam cum te semper tantùm dilexerim, quãtùm tu intelligere potuisti, tũ his tuis factis sic incẽsus sum, vt nihil vnquam in amore fuerit ardẽtius. nihil est enim (mihi crede) virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. semper amaui, vt scis, M. Brutum propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem atque constantiam: tamen Idibus Martii tantùm accessit ad amorem, vt mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatam etiam videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere: tantùm accessit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Quare quid est quod ego te hortor, vt dignitati & gloriæ seruias? proponam tibi claros viros, quod facere solent qui hortantur: neminem habeo clariorem, quàm te ipsum: te imitare oportet, tecum ipse certes. nec licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similes esse. Quod cum ita sit, hortatio non est necessaria: gratulatione magis vtendum est. cõtigit enim tibi, quod haud scio an nemini, vt summa feueritas animaduersionis non modò non inuidiosa, sed etiam popularis esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadã contigisset, gratularer felicitati tuæ: sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenii atque consilii. legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius, ita pedetentim tum accessus à te ad causam facti, tum recessus, vt res ipsa maturitatem tibi animaduertedi omnium consensu daret. Liberaisti igitur & vrbem periculo, & ciuitatem metu: neque solùm ad tempus maximam vtilitatem attulisti, sed etiam exemplum. quo facto intelligere debes, in te positam esse Remp. tibi que non modò tuẽdos, sed etiam ornandos illos viros, à quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coràm plura propediem, vt spero. Tu quoniam Rempub. nõsque conseruas, fac vt diligentissimè te ipsum mi Dolabella custodias. Vale.

CICERO ATTICO S.

S A E P I V S me iam agitas, quòd rem gestam Dolabellæ nimis in cælum videar efferre. Ego autem, quanquam sanè probo factum, tamen vt tantopere laudarem, adductus sum tuis & vnis & alteris literis. sed totum se à te abalienauit Dolabella, ea de causa, qua me quoque sibi inimicissimum reddidit. O hominem pudẽtem! Cal. Ian. debuit: adhuc non soluit, præsertim cum se maximo ære alieno Faberii manu liberarit, & opem ab eo petierit. licet enim iocari, ne me valde conturbatum putes. atque ego ad eum v i i. Id. literas dederam bene mane. eodem autem die tuas literas vesperi acceperam in Pompeiano, sanè celeriter, tertio abs te die. Sed, vt ad te eo ipso die scripseram, satis aculeatas ad Dolabellã literas dedi: quæ si nihil profecerint, puto fore vt me præsentem non sustineat. Albanum te confecisse arbitror. De Petulciano nomine, quòd mihi suppeditatus es, gratissimum est, & simile tuorum omnium. Sed ego Erotum ad ista expedienda factum mihi videbar reliquisse: cuius non sine magna culpa vacillarunt. Sed cum ipso videro. De Montano, vt sæpe ad te scripsi, erit tibi tota res curæ. Seruius proficiscens, quòd desperanter tecum locutus est, minimè miror, neque ei quicquam in desperatione cõcedo. Brutus noster singularis vir, si in Senatam non est Calend. Iun. venturus, quid factururus sit in foro, nescio. sed hoc ipse melius. ego ex his quæ parari video, nõ multum Idibus Martiis profectum iudico. Itaque de Græcia quotidie magis & magis cogito: nec enim Bruto meo exilium, vt scribis ipse, meditati video quid prodesse possim. Leonidæ me literæ non satis delectarunt. De Herode tibi assentior. Saufeium legisse vellem.

CICERO ATTICO S.

E G O ex Pompeiano accepi binas à te literas, alteras sexto die, alteras quarto. ad superiores igitur prius. Quàm mihi iucundum opportunè tibi Barnachum literas reddidisse. tu verò cum Cassio, vt cætera. quàm commodè autè, quòd id ipsum, quod me mones, quadriduo ante ad eum scripseram, exemplumque mearum literarum ad te miseram. sed cum Dolabellæ auaritia (sic enim tu ad me scripseras) magna desperatione affectus essem, ecce tibi & Bruti & tuæ literæ. ille exilium meditari? nos autem alium portum propiorè huic ætati videbamus: in quem mallem equidem peruehi, florente Bruto nostro, constitutãque Repub. sed nunc quidem, vt scribis, non vtrum vis: assentires enim mihi, nostram ætatè præsertim à castris ciuilibus abhorrere. M. Antonius ad me tantùm de Clodio rescripsit, meam lenitatem & clementiam, & sibi esse gratam, & mihi voluptati magnæ fore. Sed Panfa furere videtur de Clodio, itèaque de Deiotaro, & loquitur feuerè, si velis credere. Illud tamen non bellè, vt mihi quidem videtur, quòd factum Dolabellæ vehementer improbat. De coronatis, cum sororis tuæ filius à patre accusatus esset, rescripsit, se coronam habuisse honoris Cæsaris causa, posuisse luctus gratia: postremò se libenter vituperationem subire, quòd amaret etiam mortuum Cæsarem. Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, scripsi diligenter. ego etiam ad Siccam. tibi hoc oneris non impono. nolo te illum iratum habere. Seruii orationem cognosco: in qua plus timoris video, quàm consilii. sed quoniam perterriti omnes sumus, assentior Seruio. Publilius tecum tritatus est: huc enim Cerelia missa ab istis est legata ad me: cui facilè persuasi, mihi id quod rogaret, ne licere quidem, non modò non lubere. Antonium si videro, accurate agam de Buthroto. Venio ad recentiores literas. quanquam de Seruio iam rescripsi me facere magnam Dolabellæ. mihi mehercule ita videtur, nõ potuisse maior tali re, talique tempore. Sed tamen quicquid ei tribuo, tribuo ex tuis literis. tibi verò assentior maiorem eius fore, si mihi, quod debuit, dissoluerit. Brutus velim sit Asturæ. Quòd autem laudas me, quòd nihil antè de profectioe constituam, quàm, ista quò euasura sint, videro: muto sententiam, neque quicquam tamen antè quàm te videro. Atticam meam gratias mihi agere de matre gaudeo. cui quidem ego totam villam, cellamque tradidi, eamque cogitabam v. Id. videre. Tu Atticæ salutè dices. nos Piliam diligenter tuebimur. Vale.

CICERO ATTICO S.

E P O M P E I A N O nauì aduectus sum in Luculli nostri hospitium v i. Id. hora ferè tertia. egressus autem è nauì, accepi tuas literas, quas tuus tabellarius in Cumanum attulisse dicebatur, Nonis Maii datas: à Lucullo postridie eadè ferè hora, qua veni v i i. Id. Lanuuio datas. Audi igitur ad omneis. primùm quæ de re mea gesta & in solutione, & in Albiano negotio grata. de tuo autè, cum in Põpeiano essem, Missenum venit Antonius: inde antè discessit, quàm illum venisse audissem: à quo in Samniũ. vide quid speres. Romæ igitur de Buthroto. L. Antonii horribilis cõcio, Dolabellæ præclara. iã vel sibi habeat numos, modò numeret Idibus. Tertullæ nollem abortum: tam enim Cassii sunt iam, quàm Bruti serendi. De Regina velim, atque etiã de Cæsare illo. Perfolui primæ epistolæ. venio ad secūdã. De Quintis, Buthroto, cum venero, vt scribis. Quòd Ciceroni suppeditas, gratũ. Quòd errare me putas, qui Remp. putè pendere è Bruto: sic se res habet: aut nulla erit, aut ab isto, istisue seruabitur. Quòd me hortaris vt scriptam concionem mittam: accipe à me mi Attice καλορικὸν τε ἀρχαῖα earũ rerum, in quibus satis exercitati sumus. nemo vnquã neque poëta, neque orator fuit, qui quenquam meliorem, quàm se arbitraretur. Hoc etiam malis cõtigit. quid tu Bruto putas & ingenioso & erudito? de quo etiã experti sumus nuper in edicto. scripserã rogatu tuo. meũ mihi placebat, illi suũ. quinetiã cum ipsius precibus penè adductus, scripsissem ad eũ Deoptimo genere dicèdi, non modò mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi

placeret, non probari. quare sine quaeso sibi quenque scribere: suam cuique sponfam, mihi meam: suum cuique amorem, mihi meum. non scitè: hoc enim Attilius poeta durissimus, atque vtinam liceat isti concionari: cui si esse in Vrbe tutò licebit, vicinus: ducem enim noui belli ciuilis aut nemo sequetur, aut ii sequentur, qui facile vincantur. Venio ad tertiam. Gratas fuisse meas literas Bruto & Cassio gaudeo. itaque iis scripsi.

Quòd Hircium per me meliorem fieri volunt, do equidem operam: & ille optimè loquitur, sed viuit, habitatque cum Balbo, qui item bene loquitur. quid credas, videris. 46

Dolabellā valde placere tibi video: mihi quidem egregiè. Cum Panfa vixi in Pompeiano. is planè mihi probabat se bene sentire, & cupere pacem. causam armorū quaeri planè video. Edictum Bruti & Cassii probo. Quæris vt suscipiā cogitationē, quidnam istis agendum putem. consilia temporum sunt, quæ in horas commutari vides. Dolabellæ & prima illa actio, & hæc contra Antonium concio mihi profecisse permultum videtur: prorsus ibat res. nunc autem videmur habituri ducem: quod vnum municipia bonique desiderant. Epicuri mentionem facis, & audes dicere μή πολυβίαται. non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret? Quintus frater, vt scribis, est dextella. per eum igitur, quod volumus, facile auferemus. Expecto, si, vt putas, L. Antonius produxit Octauium, qualis concio fuerit. Hæc scripsi: statim enim Cassii tabellarius. eram continuo Piliam salutaturus: deinde ad epulas Vestorii nauicula. 47 Atticæ plurimam salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

c v m paulò antè dedissem ad te Cassii tabellario literas, v. Id. venit noster tabellarius, & quidem portenti simile, sine tuis literis. sed citò conieci, Lanuuii te fuisse. Eros autem festinauit vt ad me literæ Dolabellæ perferrentur, non de re mea (nondum enim meas acceperat) sed rescripsit ad eas, quarum exemplum tibi miseram, sanè luculentè. ad me autem, cum Cassii tabellarium dimissem, statim Balbus. O dii boni, quàm facile perspiceres timere otium. & nosti virum, quàm tectus: sed tamen Antonii consilia narrabat, illum circuire veteranos, vt acta Cæsaris sancirèt, idque se facturos esse iurarent: vt rata omnes haberent, eaque Duumviri omnibus mensibus inspicerent. Questus est etiam de sua inuidia, eaque omnis eius oratio fuit, vt amare videretur Antonium. Quid quæris? nihil synceri. Mihi autem non est dubium quin res 48 spectet ad castra: acta enim illa res est animo virili, consilio puerili. quis enim hoc non vidit, regni hæredem relictum? quid autem absurdius, hoc metuere, alterum in metu non ponere? quinetiam hoc ipso tempore multa ἀποδόλαια, Pontii Neapolitanum à matre tyrannoctoni possideri. Legèdus mihi sapius est Cato maior ad te missus: a maiorem enim me senectus facit: stomachor omnia: sed mihi quidem βεβίωται. Viderint iuuenes, tu mea curabis, vt curas. Hæc scripsi, seu dictaui, apposita secunda mensa apud Vestorium. postridie apud Hircium cogitabam. equidem πεντέλιπον, sic hominem traducere ad optimates paro. ἀνεως πολύς. nemo est istorum qui otium non timeat. quare talaria videamus: quiduis enim potius, quàm castra. Atticæ salutem plurimam velim dicas. Expecto Octauii concionem, & siquid aliud: maximè autem ecquid Dolabella tinniat, an in meo nomine tabulas novas fecerit. Vale. 49

CICERO ATTICO S.

CERTIOR à Pilia factus, mitti ad te Idibus tabellarios, statim hoc nescio quid exaravi. Primum igitur scire te volui, me hinc Arpinum x v i. Cal. Iun. eò igitur mittes, si quid erit posthac: quanquam ipse iam iamque adero: cupio enim antè quàm Romam venio, odorari diligentius quid futurum sit: quanquam vereor ne nihil coniectura aberrerem: minimè enim obscurum est, quid isti moliantur. meus verò discipulus, qui hodie apud me cœnat, valde amat illum, quem Brutus noster sauciauit: & si quæris (perspexi enim planè) timent otium: ἀποδοσει autem hanc habent, eamque præ se ferunt, virum clarissimum interfectum, totam Rempub. illius interitu perturbatā: irrita

fore, quæ ille egisset, simulac desistemus timere. clementiam illi malo fuisse: qua si vsus non fuisset, nihil ei tale accidere potuisse. mihi autem venit in mentem, si Pompeius cum exercitu firmo veniat, quod est βίλαρον, certè fore bellum. Hæc me species, cogitatioque perturbat. neque enim iam, quod tibi tum licuit, nobis nunc licebit: nam aperte lætati sumus. Deinde habet in ore nos ingratos. nullo modo licebit, quod tum & tibi licuit, & multis. φωνοωρα Ἐπιτητέον ergo, & ἰτέον in castra: millies mori melius, huic præferam ætati. Iraque me Idus Martiæ non tam cōsolantur, quàm antea: magnū enim mendum continent. etsi illi iuuenes ἀλλοις ἐν ἐαθλοῖς ὄν δ' ἀποδοῦνται βίλαρον. sed, si tu melius quippiam speras, quòd & plura audis, & interes consiliis, scribas ad me velim, simulque cogites quid agendum nobis sit super legatione votiua. equidem in his locis moneor à multis, ne in Senatu Calendis: dicuntur enim occultè milites ad eam diem cōparati, & quidem in istos, qui mihi videntur vbiuis tutius, quàm in Senatu fore. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD

T. POMPONIVM ATTICVM LIBER XV.

CICERO ATTICO S.



FACTVM malè de Alexione! incredibile est, quanta me molestia affecerit, nec mehercule ex ea parte maximè, quòd plerique mecum: ad quem igitur medicum te cōferes? Quid mihi iam medico: aut, si opus est, tanta inopia est? amorem erga me, humanitatem, suauitatemque desidero. etiam illud, quid est, quod non pertimescèdum sit, cum hominem temperantem, summum medicum tātus improviso morbus oppresserit? Sed ad hæc omnia vna cōsolatio est, quòd ea conditione nati sumus, vt nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. De Antonio iā antea tibi scripsi, non esse eum à me conuentum: venit enim Missenum, cum ego essem in Pompeiano: inde antè profectus est, quàm ego eum venisse cognoui. Sed casu, cum legerem tuas literas, Hircius erat apud me in Puteolano. ei legi, & egi primum, quod attinet. nihil mihi cōcedebat. Deinde ad summū, arbitrum me statuebat nō modò huius rei, sed 2 totius Cōsulatus sui. cum Antonio autè sic agemus, vt perspiciat, si in eo negotio nobis satisfecerit, totū me futurum suum. Dolabellā spero domi esse. Redeamus ad nostros: de quibus tu bonā spem te significas habere propter edictorū humanitatem. ego autè perspexi, cum à me x v i. Cal. de Puteolano Neapolim Panfæ cōueniendi causa proficisceretur Hircius, omnè eius sensum: seduxi enim, & ad pacē sum cohortatus. nō poterat scilicet negare se velle pacē, sed non minus se nostrorum arma timere, quàm Antonii, & tamè vtrosque non sine causa præsidii habere, se autem vtraque arma metuere. quid quæris? ἔδεν ὕγιες. De Quinto F. tibi assentior. patri quidem gratissimæ & bellæ tuæ literæ fuerunt. Cereliæ verò facile satisfeci. nec valde laborare mihi visa est: & si illa, ego certè non laborarem. istam verò, quam tibi molestam scribis esse, auditam à 3 te esse omnino demiror. Nam quòd eam collaudaui apud amicos, audientibus tribus filiis eius, & filia, τὴν βίλαρον. quid est hoc? quid est autem cur ego personatus ambularem? parūmne fœda persona est ipsius senectutis? Quod Brutus rogat, vt ante Calendas, ad me quoque scripsit: & fortasse faciam: sed planè, quid velit nescio. quid enim illi afferre consilii possum, cum ipse egeam consilio, & cum ille suæ immortalitati melius, quàm nostro otio consuluerit? De Regina rumor extinguetur. De Flāma obsecro te, siquid potes. Here dederam ad te literas exiens è Puteolano, diuerteramque in Cumanum. ibi penè valentem videram Piliam. quinetiam paulò clam iis eam vidi: venerat enim in funus: cui funeri ego quoque operā dedi. Cn. Lucullus familiaris noster matrem efferebat. mansi igitur eo die in Sinuessano, atque inde mane postridie Dd.iii.

Arpinum proficiscens, hanc epistolam exaravi. erat autem nihil noui quod aut scriberem, aut ex te quærerem: nisi fortè hoc ad te putas pertinere. Brutus misit ad me orationem suam habitam in concione Capitolina, petiuitque à me, vt eam ne ambitiosè corrigere antè quàm ederet. Est autem oratio scripta elegantissimè sententiis, verbis, vt nihil possit vltra. Ego tamen, si illam causam habuisssem, scripsissem ardentius *ἄπορροισ*. vides quæ sit persona dicentis: itaque eam corrigere non potui. quo enim in genere Brutus noster esse vult, & quod iudicium habet de optimo genere dicendi, ita consecutus est ea oratione, vt elegantius nihil esse possit. Sed ego solus alius sum, siue hoc rectè, siue non rectè. Tu tamen velim orationem legas, nisi fortè iam legisti, certiorèque me facias, quid iudices ipse. quanquam vereor, ne cognomine tuo lapsus *ἄσφαθιῶς* sis in iudicando. Sed si recordabere *Δημωδέρως* fulmina, tum intelliges posse & *ἀθικώτατα* grauissimè dici. Sed hæc coràm. nunc nec sine epistola, nec cum inani epistola volui ad te Metrodorum venire. Vale.

CICERO ATTICO S.

xv. Calend. è Sinuessano proficiscens, cum dedissem ad te literas, diuertissimèque à Cumis in Vestiano, accepi à tabellario tuas literas, in quibus nimis multa de Buthroto: non enim tibi ea res maiori curæ aut est, aut erit, quàm mihi. sic enim decet te me curare, tua me. Quam ob rem id quidem sic susceptum est mihi, vt nihil sim habiturus antiquius. L. Antonium concionatum esse, cognoui tuis literis & aliis, sordidè: sed id quale fuerit, nescio: nihil enim scripsisti. De Menedemo, probè. Quintus certè ea dicitur quæ scribis. Consilium meum à te probari, quòd ea non scribam, quæ tu à me postularis, facile patior: multoque magis id probabis, si orationem meam, de qua hodie ad te scripsi, legeris. Quæ de legionibus scribis, ea vera sunt. Sed non satis hoc mihi videris tibi persuasisse, quid de Buthroto nostris per Senatum speres confici posse. quod puto (tantum enim video) non videmur esse victuri. sed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallat. De Octauii concione idem sentio quod tu: ludorumque eius apparatus, & Matius ac Posthumus mihi procuratores non placent. Siferina collega dignus. sed isti omnes, quemadmodum sentis, non minus otium timent, quàm nos arma. Balbum leuari inuidia per nos velim: sed ne ipse quidè id fieri posse confidit: itaque alia cogitat. Quòd prima disputatio Tusculana te confirmat, sanè gaudeo: neque enim vllum est perfugium aut melius aut paratius. Flāma quòd bene loquitur, non molestè fero. Tyndaritanorum causa, de qua laboras, quæ sit ignoro. Hos tamen *πεντέλγιστον* mouere ista videtur, in primis erogatio pecuniæ. De Alexione doleo: sed quoniam inciderat in tam grauè morbum, bene actum cum illo arbitror. quos tamen secundos hæredes, scire vellem, & diem testamenti. Vale.

CICERO ATTICO S.

vi. Calend. accepi duas epistolas tuas, quibus duabus meis respondisti. vna erat xv. Cal. altera xi. data. ad superiorè igitur. prius accurre in Tusculanum, vt scribis: quòd me vi. Calend. venturum arbitrabar. Quòd scribis parendum victoribus: non mihi quidem, cui sunt multa potiora: nam illa quæ recordaris Lentulo & Marcello *c o s s.* acta in æde Apollinis, nec causa eadem est, nec simile tempus, præsertim cum Marcellum scribas, aliòsque discedere. Erit igitur nobis coràm odorandum, & constituendum tutone Romæ esse possimus. Noui conuentus habitatores sanè mouent: in magnis enim versamur angustiis. sed sint ista parui: quin & maiora contemnimus. Caluæ testamētum cognoui, hominis turpis ac fordidi. Tabula Demonici quòd tibi curæ est, gratum. De Mario scripsi iam pridè ad Dolabellā accuratissimè, modò literæ redditæ sint. eius causa & cupio & debeo. Venio ad propiorè. Cognoui de Alexione, quæ defiderabam. Hircius est tuus. Antonio, quàm est, volo peius esse. De Quinto filio, vt scribis, *ἀλλως*. de patre coràm agemus. Brutum omni re, qua possum, cupio iuuare. cuius de oratiūcula idem te, quod me, sentire video. sed parum intelligo quid me velis

scribere, quasi à Bruto habita oratione, cum ille ediderit. Quis tandem conuenit: an sicut in tyrannum iure optimo cæsum multa dicentur, multa scribentur à nobis: sed alio modo & tempore. De sella Cæsaris, bene Tribuni, præclaros etiam *x i i i i.* ordines. Brutum apud me fuisse gaudeo, modò & libenter fuerit, & sat diu. *x v i i i.* Cal. ferè à Q. Fusio venit tabellarius: nescio quid ab eo literularum, vt me sibi restituerem, sanè insulse, vt solet: nisi fortè, quem non ames, omnia videntur insulse fieri. Scripsi ita, vt te probaturum existimem. mihi duas à te epistolas reddidit, vnā *x i*, alteram *x.* Calend. ad recentiore prius. & leuiorem laudo, si verò etiam Calfulenus, *ἀνώ ποταμῶν*. Antonii consilia narras turbulenta: atque vtinam potius per populum agat, quàm per Senatum: quod quidem ita credo. sed mihi totum eius consilium ad bellum spectare videtur: siquidem D. Bruto prouincia eripitur. Quomodo ego de illius neruis existimo, non videtur fieri posse sine bello. sed non cupio, quoniam cauetur Buthroto. Rides: ast condoleo non mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici. Quòd scribis te nescire quid nostris faciendum sit: iam pridem me illa *ἀπορία* sollicitat: itaque stulta iam Iduum Martiarum est consolatio. animis enim vsi sumus virilibus, consiliis (mihi crede) puerilibus: excisa enim est arbor, non euulsa. itaque, quàm fruticetur, vides. Redeamus igitur, quoniam sæpe vsurpas, ad Tusculanas disputationes. Saufeium pete, celemus: ego nunquam indicabo. Quòd te à Bruto scribis, vt certior fieret quo die in Tusculanum essem futurus, vt ad te antè scripsi, *v i.* Calend. & quidem ibi te quamprimùm peruidere velim: puto enim nobis Lanuium eūdum, & quidem non sine multo sermone, sed *μελήσῃ*. Redeo ad superiorem: ex qua prætereo illa prima de Buthroto: quæ mihi sunt inclusa medullis: sit modò (vt scribis) locus agendi. De oratione Bruti prorsus contendis, mecumque iterum tam multis verbis agis. Ego ne, vt eam causam, quam is scripsit: ego scribam non rogatus ab eo: Nulla *πρὸς χείρῃς* fieri potest contumeliosior. At, inquis, *ἡεραχέειδον* aliquod. Non recuso id quidem, sed & componendum argumentum est, & scribendi expectandum tempus maturius. licet enim de me, vt libet, existimes: velim quidem quam optimè: si hæc ita manant, vt videntur (feres quod dicam) me Idus Martiæ non delectant. ille enim nunquam reuertisset, nos timor confirmare eius acta non coëgisset: aut (vt in Saufeianam, reliquasque Tusculanas disputationes, ad quas tu etiā Vestorium hortaris) ita gratiosi eramus apud illum, quem dii mortuum perdant, vt nostræ ætati, quoniam interfecto domino liberi non sumus, non fuerit dominus ille fugiendus. Rubeo (mihi crede) sed iam scripseram, delere nolui. De Menedemo, vellem verum fuisset. De Regina velim verum sit. Cætera coràm, & maximè quid nostris faciendum sit, quid etiam nobis, si Antonius militibus obsessurus est Senatum. Hanc epistolam si illius tabellario dedissem, veritus sum ne solueret: itaque mihi dedita opera: erat enim rescribendum tuis. Quàm vellem Bruto studium tuum nauare potuisses! ego igitur ad eum literas. Ad Dolabellam Tironem mihi cum mandatis & literis. eum ad te vocabis, & siquid habebis, quod placeat, scribes. Ecce autem de transuerso L. Cæsar, vt veniam ad se, rogat, in nemo: aut scribam, quòd se venire velim: Bruto enim placere, se à me conueniri. O rem odiosam & inexplicabilem! Puto me ergo iturum, & inde Romam, nisi quid mutaro. Summatim adhuc ad te: nihil dum enim à Balbo. Tuas igitur expecto, nec actorum solùm, sed etiam futurorum.

CICERO ATTICO S.

A. BRUTO tabellarius rediit: attulit & ab eo & Cassio. Consilium meum magno perequirunt, Brutus quidem vtrum de duobus. O rem miserā! planè non habeo quid scribam: itaque silentio puto me vsurum, nisi quid aliud tibi videtur. sin tibi quid venit in mentem, scribe quæso. Cassius verò vehemèter orat ac petit, vt Hircium quam optimum faciam. sanum putas? *ὁ θροναυγῆς ἀΐσφακας*. Epistolam tibi misi, vt tu de prouincia Bruti & Cassii per *s. c.* ita scribit & Balbus & Hircius quidem se actu-

rum. etenim iam in Tusculano est, mihi que, ut absim, vehementer author est: ille quidem periculi causa, quod sibi etiam fuisse dicit. Ego autem, etiam ut nullum periculum sit, tantum abest ut Antonii suspicionem fugere non curem, ne videar eius secundis rebus non delectari, ut mihi causa sit, cur Romam venire nolim, ne illum videam. Varro autem noster ad me epistolam misit, sibi à nescio quo missam (nomen enim delerat) in qua scriptum erat, veteranos eos qui reiciantur (nam partem esse dimissam) improbitate loqui, ut magno periculo Romæ sint futuri, qui ab eorum partibus dissentire videantur. Quis porro noster itus, reditus, vultus, incessus inter istos? quod si, ut scribit, L. Antonius in Decimum, reliqui in nostros: ego quid faciam? aut quo me pacto geram? Mihi verò deliberatum est, ut nunc quidem est, abesse ex ea Vrbe, in qua non modò florui cum summa, verum etiam seruiui cum aliqua dignitate: nec tam statui ex Italia exire, de quo tecum deliberabo, quam istuc non venire. Cum ad me Brutus noster scripsisset, & Cassius, ut Hircium, quem adhuc bonum fuisse sciebant, neque confidebant fore, mea authoritate meliorem facerem (Antonio est enim fortasse iratior, causam verò amicissimus) tamen ad eum scripsi, eique dignitatem Bruti & Cassii commēdaui. Ille quid mihi rescripsisset, scire te volui: si fortè idem tu, quod ego, existimares, istos etiam nunc vereri, ne fortè ipsi nostri plus animi habeant, quam habent.

HIRCIVS CICERONI SVO S.

VRBE an redierim, quæris: an ego, cum omnes caleant, ignauiter aliquid faciam? etiam ex Vrbe sum profectus: vtilius enim statui abesse. has tibi literas exiens in Tusculanum scripsi. Noli autem me tam strenuum putare, ut ad Nonas recurrā: nihil enim iam video opus esse nostra cura, quoniam præsidia sunt in tot annos prouisa. Brutus & Cassius utinam quàm facile à te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod callidius ineant consilium: cedeteis enim hæc ais scripsisse: quò? aut quare? Retine, obsecro te, Cicero illos: noli finire hæc omnia perire, quæ funditus mediufidius rapinis, incendiis, cædibus peruertuntur. tantum siquid timent, caueant, nihil præterea moliantur. non mediufidius acerrimis consiliis plus quàm etiam inertissimis, dum modò diligentibus, consequentur: hæc enim quæ fluunt, per se diuturna non sunt: in contentione præsentis ad nocendum habent vireis. Quid speres de illis, in Tusculanum ad me scribe. Habes Hircii epistolam, cui rescripsi, nil illos callidius cogitare, idque confirmari. hoc quaecunque esset, te scire volui. Obsignata iam epistola Balbus ad me, Seruiliam rediisse, confirmare non discessuros. nunc expecto à te literas.

GRATVM, quod mihi epistolas: quæ quidem me delectarunt, in primis Sexti nostri. Dices, Quia te laudat. Puto mehercule id quoque esse causam: sed tamen etiam antè quàm ad eum locum veni, valde mihi placebat cum sensus eius de Rep. tum scribēdi cura. Seruius verò pacificator cum librariolo suo videtur obiisse legatione, & omneis captiunculas pertimescere. Debuerat autem non ex iure manu confertum, sed quæ sequuntur, tu quoque scribes. Post tuum discessum binas à Balbo: nihil noui: item que ab Hircio, qui se scribit vehementer offensum esse veteranis. Expectat animus, quid nā agant de Calend. Martiis. Misi igitur Tironem, & cum Tironem plures, quibus singulis, ut quid accidisset, dares literas. atque etiam scripsi ad Antonium de legatione, ne, si ad Dolabellam solum scripsissem, iracundus homo commoueretur. Quod autem aditus ad eum difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelū, ut is ei meas literas redderet, legatione mihi opus esse. honestior est votiua: sed licet uti vtraque. De te quæso etiam atque etiam vide. velim possis coram: si minus possis, literis idem consequemur. Græceius ad me scripsit C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. id quidem mihi videbatur: sed cauendum tamen (ut ille) quæ plures vident. debet aliquid crastinus ad cogitandum nobis dare. IIII. Non. vesperi à Balbo redita mihi litera, fore Nonis Senatam, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum, & ad Urbem mittendum curarent. O rem miserā! primum vllam ab istis:

dein, si aliquam, hanc legatariam prouinciam: atque haud scio an melius sit, quàm ad Eurotam federe. Sed hæc casus gubernabit. Ait autem eodem tempore decretum iri, ut & iis & reliquis prætoris prouinciæ decernantur. Hoc certè melius, quàm illa Perfice porticus: nolo enim Lacedæmonem longinquam Lanuuium existimaris. Rides, inquires, in talibus rebus? Quid faciam? plorando fessus sum. Dii immortales, quàm me conturbatum tenuit epistolæ tuæ prior pagina! Quid autem iste in domo tua casus armorum? Sed hunc quidē nimbum citò transtulit lator. Tu quid egeris tua cum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer expecto: est enim inexplicabilis: ita circumfidemur copiis omnibus. Me quidem Bruti litera, quas ostēdis à te lectas, ita perturbarunt, ut quanquam antè egebam consilio, tamen animi dolore sim tardior. Sed plura, cum ista cognoro. Hoc autem tempore quod scriberem, nihil erat, eoque minus, quod dubitabam, tu has ipsas literas esse sine accepturus. erat enim incertum, visurusne te esset tabellarius. Ego tuas literas vehementer expecto. ô Bruti amanter scriptas! ô iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non possis. Ego autem quid scribam? ut beneficio istorum vtantur? quid turpius? ut moliantur aliquid? nec audent, nec iam possunt. Age, quiescant authoribus nobis: quis incolumitatem præstat? si verò aliquid de Decimo gratius: quæ nostris vita, etiam si nemo molestus sit? ludos verò non facere quid foedius? frumentū imponere, quæ est alia Dionis legatio? aut quod munus in Rep. fordidius? prorsus quidem consilia tali in re ne iis quidem tuta sunt, qui dāt. sed possim id negligere proficiens. Frustrā verò quid ingrediar? matris consilio cum vtatur, vel etiam precibus, quid me interponam? sed tamen cogitabo quo genere vtar literarum: nam silere non possum. statim igitur mittam vel Antium vel Circæos. Vale.

CICERO ATTICO S.

ANTIUM veni ante VI. Calend. Bruto iucundus noster aduentus. deinde multis audientibus, Seruilia, Tertulla, Porcia quærere quid placeret. aderat etiam Fauonius. Ego quod eram meditatus in via, suadere ut vteretur Asiatica curatione frumenti, nihil esse iam reliqui quod ageremus, nisi ut saluos esse: in eo etiam ipsi Reipub. esse præsidium. quam orationem cum ingressus essem, Cassius interuenit. ego eadem illa repetui. hoc loco fortibus sanè oculis Cassius, Martem spirare diceret, se in Siciliam non iturum. Egone ut beneficium accepisse in cōtumelia? Quid ergo agis, inquam? At ille, in Achiam se iturum. Quid tu, inquam, Brute? Romam, inquit, si tibi videtur. Mihi verò minime. tutò enim non eris. Quid si possem esse? placeretne? Atque ut omnino neque nunc, neque ex Pratura in prouinciam ires. Sed author non sum, ut te Vrbi committas. dicebam ea quæ tibi profectò in mentem veniunt, cur non esset tutò futurus. Multo inde sermone querebantur: atque id quidem Cassius maximè, amissas occasiones, Decimumque grauius accusabat. Ea negabam oportere præterita. assentiebar tamen: quāquam ingressus essem dicere quid oportuisset: nec verò quicquam noui, sed ea quæ quotidie omnes: nec tamen illum locum attingere, quanquā præterea oportuisse tangi, sed Senatam vocari, populum ardentem studio vehementius incitari, totam suscipere Rempub. exclamat tua familiaris. Hoc verò neminē vnquam audiui: ego repressi. Sed & Cassius mihi videbatur iturus (etenim Seruilia pollicebatur se curaturum, ut illa frumenti curatio de s. c. tolleretur) & noster citò deiectus est de illo inani sermone. velle enim se dixerat. Constituit igitur, ut ludi absente se fierent suo nomine. proficisci autem mihi in Asiam videbatur ab Antio velle. ne multa. nihil me in illo itinere præter conscientiam delectauit. non enim fuit committendum, ut ille ex Italia prius, quàm à me conuentus esset, discederet. Hoc dempto munere amoris atque officii, sequebatur, ut mecum ipse, *ἢ δὲ ὁδῶς, ἢ τὴν δὲ ἄτακτον ἡγοραγενέας*, prorsus dissolutum offendi nauigium, vel potius dissipatum. nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. Itaque etsi ne antea quidē dubitavi, tamen nunc eo minus euolare hinc: idque quam primum, vbi nec Pelopidarum facta, neque famam audiā. Sed heus tu, ne fortè sis nescius, Do-

labella me sibi legauit ad 111. Non. April. id mihi heri vesperi nuntiatum est. votiua ne tibi quidem placebat: etenim erat absurdum: quæ si steterit Respub. vouissem, ea me euerfa illa vota dissoluere. & habent, opinor, liberæ legationes diffinitum tempus lege Iulia, nec facile addi potest: idque adeò genus legationis, vt cum velis introire, exire liceat. quod nunc mihi additum est. Bella est autem huius iuris quinquennii licentia. quanquam quid de quinquennio cogitem? contrahi mihi negotium videtur. sed βλάβη mittamus. Bene mehercule de Buthroto. at ego Tironem ad Dolabellam cum literis, quia iusseras, miseram. quid nocet? De nostris autem Antiatibus satis videbar planè scripsisse, vt non dubitares, essent quin otiosi futuri, vsurique beneficio Antonii contumelioso. Cassius frumentariam rem aspernabatur. eam Seruilia sublatam ex s. c. se esse dicebat. Noster verò, καὶ μάλα σεμνός, in Asiam postea quam mihi est assensus tutò se Romæ esse non posse: ludos enim absens facere malebat: statim autem se iturum, simulac ludorum apparatus iis qui curaturi essent, tradidisset. nauigia colligebat. erat animus in cursu. Interea in eisdem locis erant futuri. Brutus quidem se aiebat Asturæ. L. quidem Antonius liberaliter literis sine cura me esse iubet. Habeo vnum beneficium, alterum fortè, si in Tusculanum venerit. ò negotia non ferèda, quæ feruntur tamen. πᾶν δ' αἰτία τῶν βρῦτων τίς εἶχεν. Octauiano, vt perspexi, satis ingenii, satis animi: videbaturque erga nostros ἠρώας ita fore, vt nos vellemus, animatus. Sed quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hæreditati, quid κατηχήσῃ, magni consilii est. vitricus quidem nihil censebat: quem Asturæ vidimus: sed tamen alendus est: & vt nihil aliud, ab Antonio seiungendus. Marcellus præclare, si præcipit nostro, nostri: cui quidem ille deditus mihi videbatur. Pansa autem & Hircio non nimis credebat. bona indoles εἰς διαμείνη.

CICERO ATTICO S.

VIII. Calend. duas à te accepi epistolas. respondebo igitur priori prius. Assentior tibi vt nec duces simus, nec agmen cogamus, faueamus tamen. Orationem tibi misi. eius custodiendæ & proferendæ arbitrium tuum. sed quando illum diem, cum tu eundam putes? Inducias quas scribis, non intelligo fieri posse. melior est αἰαντιφωμισία, qua me vsurum arbitror. Quòd scribis legiones duas Brundisium venisse, vos omnia prius: scribes igitur quicquid audieris. Varronis διάλογον expecto. iam probo ἡεροκλείδων, præsertim cum tu tantopere delectere. sed quale velis, velim scire. Quòd ad te antea, atque adeò prius scripsi (sic enim mauius ad scribendum tibi verè dicere) fecisti me acriorè. Ad tuum enim iudiciũ, quod mihi erat notum, addidisti Pедуcei auctoritatem, magnam quidem apud me, & in primis grauem. Enitar igitur ne desideres aut industriam meam aut diligentiam. Vectenum, vt scribis, & Faberium foueo. Clodium nihil arbitror malitiosè. quanquam siquid egerit de libertate retinenda, qua certè nihil est dulcius, tibi assentior. Itane? Gallo animo hominem nequam? quid enim dicam aliud? Cautum Marcellum, me sic, sed non tamen cautissimum. Longiori epistola, superiorique respondi: nunc breuiori, propiorique quid respondeam nisi eam fuisse dulcissimã? Res Hispanienses valde bonæ, modò Balbium incolumem videam, subsidium nostræ senectutis. De Anniano item, quòd me valde obseruat Visellia. sed hæc quidem humana. De Bruto te nihil scire dicis: sed Selicia venisse M. Scaptium, eumque non qua pompa, ad se tamen clam venturum, sciturumque me omnia, quæ ego statim. Interea narrat eadem, Bassi seruum venisse, qui nuntiaret legiones Alexandrinæ in armis esse, Bassum arcessi, Cassium expectari. Quid quæris? videtur Respub. ius suum recuperatura. sed ne quid antè. nosti horum exercitationem in latrocinio, & amentiam. Dolabella vir optimus. etsi, cum scribebam secunda mensa apposita, venisse eum ad Baias audiebam: tamen ad me ex Formiano scripsit, quas literas, cum e balineo exiissem, accepi, sese de attributione omnia summa fecisse. Vectenum accusat. triciatur scilicet, vt homo talis: sed ait totum negotiũ Sestium nostrum suscepisse,

optimum quidem illum virum, nostrique amantissimum. Quæro autem, quid tãdem Sestius in hac re facere possit, quod non quis nostrum? sed, siquid præter spem erit, facies vt sciam. sin est (vt arbitror) negotium perditum, scribes tamen, neque ista res commouebit. Nos hinc φιλοσοφούμεθα: quid enim aliud? & ἅ ἐστι τῆ καὶ θύκωντος magnificè explicamus, ἀποσφωδῆς, quæ Ciceroni: qua de re enim potius pater filio? deinde alia. quid quæris? extabit opera peregrinationis huius. Varronem hodie, aut cras venturum putabant. ego autem in Pompeianum properabam, non quo hoc loco quicquam pulchrius, sed interpellatores illic minus molesti. Sed perscribe quæso, quæ causa sit Myrtilo. pœnas quidem illum pependisse audiui: & satisne patet, vnde corruptus? Hæc cum scriberem, tãtũ quòd existimabam ad te orationem esse perlatam. hui, quàm timeo quid existimes! etsi quid ad me, quæ non sit foras proditura, nisi Respub. recuperata? de quo quid sperem, non audeo scribere. v. 1. Calend. accepi à Dolabella literas, quarum exemplum tibi misi, in quibus erat, omnia se fecisse, quæ tu velles. statim ei rescripsi, & multis verbis gratias egi. Sed tamen ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc causæ sumpsi, quòd ex te ipso coram antea nihil potuissem cognoscere. Sed quid multa? literas hoc exemplo dedi.

CICERO DOLABELLAE COS. SVO S.

ANTEA cum per literas Attici nostri de tua summa liberalitate, summoque erga se beneficio certior factus essem, cumque tu ipse etiam ad me scripsisses, te fecisse ea quæ nos voluissemus: egi tibi gratias per literas iis verbis, vt intelligeres, nihil te mihi gratius facere potuisse. Postea verò quàm ipse Atticus ad me venit in Tusculanum huius vnus rei causa, tibi, vt apud me gratias ageret, cuius eximiam quãdam & admirabilem in causa Buthrotia voluntatem & singularem erga se amorem perspexisset: teneri non potui quin tibi apertius illud idem his literis declararem. ex omnibus enim mi Dolabella studiis in me, & officiis, quæ summa sunt, hoc scito mihi & amplissimum videri & gratissimum esse, quòd perfeceris vt Atticus intelligeret quantum ego te, quantum tu me amares. Quòd reliquum est, Buthrotiam & causam & ciuitatem, quanquam à te constituta est (beneficia autem nostra tueri solemus) tamen velim receptam in fidem tuam, à meque etiam tibi commendatam, autoritate & auxilio tuo tectam velis esse. Satis erit in perpetuum Buthrotiis præsidii: magnaque cura & solitudine Atticum, & me liberaris, si hoc honoris mei causa susceperis, vt eos semper à te defensos velis. quod vt facias, te vehementer etiã atque etiam rogo. His literis scriptis, me ad σωπαξῆς dedi: quæ quidem vereor, ne miniata cerula tua pluribus locis notandæ sint: ita sum μετέωρος, & magnis cogitationibus impeditus. L. Antonio malè sit, siquidem Buthrotiis molestus est. Ego testimonium composui: quòd, cum voles, obsignabo. Tu numos Arpinatum, si L. Fadius AEdilis petet, vel omnis reddito. Ego ad te alia epistola scripsi de HS. c. x, quæ Statio curarentur. Si ergo petet Fadius, ei volo reddi: præter Fadum, nemini. apud me item puto depositum. id scripsi ad Erotem, vt redderet. Regiam odi. me iure facere scit. Sponsor promissorum eius Ammonius: quæ quidem erant φιλόλογα, & dignitatis meæ, vt vel in cõcione dicere auderem. Saram autem præterquam quòd nefarium hominem cognoui, præterea in me cõtumacem (semel eum omnino domi meæ vidi) cum φιλοφρόνως ex eo quærerem quid opus esset, Atticum se dixit quærere. Superbiam autem ipsius Regiæ, cum esset trās Tyberim in hortis, commemorare sine magno dolore non possum. Nihil igitur cum istis. nec tam animum me, quàm stomachum non habere arbitrantur. Profecionem meam, vt video, Erotis dispesatio impedit: nam cum ex reliquis, quæ Nonis April. fecit, abundare debeam, cogor mutuari: quòdque ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum putabam. Sed hæc Tironi mandauit, quem ob eam causam Romam misi. te nolui impeditum impedire. Cicero noster quò modestior est, eò me magis commouet: ad me enim de hac re nihil scripsit, ad quem nimirum potissimum debuit. Scripsit

hoc autem ad Tironem, sibi post Calend. April. (sic enim annum tempus confici) nihil datum esse: tibi pro tua natura semper placuisse, teque existimasse id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modò liberaliter à nobis, sed etiam ornate, cumulateque tractari. Quare velim cures (nec tibi essem molestus, si per alium hoc agere possem) ut permutetur Athenas, quod sit in annuū sumptū: & scilicet Eros numerabit. eius rei causa Tironē mihi. Curabis igitur: & ad me, siquid tibi de eo videbitur, scribes.

CICERO ATTICO S.

TANDEM à Cicerone tabellarius: & mehercule literæ πεπιωμένως scriptæ, quòd ipsum περιουσιον aliquam significaret: itémque cæteri præclara scribunt. Leonides tamen retinet suum illud Α Η Υ C: summis verò laudibus Erotis. Quid quæris: vel verba mihi dari facile patior in hoc, meque libenter præbeo credulum. Tu velim, siquid tibi est à tuis scriptum, quod pertineat ad me, certio rem me facias. Narro tibi, hæc loca venusta sunt, abdita certè, & siquid scribere velis, ab arbitris libera. Sed nescio quomodo αἴχης φίλος. itaque me referunt pedes in Tusculanum: & tamen hæc τροχραφία ripulæ videtur habitura celerem fatietatem. Equidem etiam pluias metuo, si prognostica nostra vera sunt: ranæ enim ῥητορδύσιν. Tu, quæso, fac sciam ubi Brutū nostrum, & quo die videre possim. Duas accepi postridie Iduum, alteram eo die datam, alteram Idibus. Prius igitur superiori. De Bruto, cum scies. De Consulū ficto timore cognoueram: Sicca enim φίλος ῥόγος ille quidem, sed tumultuosius ad me etiam illam suspicionem pertulit. Quid tu autem, πᾶ μὲν διδύμενα; nullum enim verbum à Siregio. non placet. De Pletorio vicino tuo, permolestè tuli, quenquam prius audisse, quàm me.

De Syro prudenter. L. Antonium per M. fratrem, ut arbitror, facillimè deterrebitur 34 autoritate vel vi: sed nondum acceperas literas: nec cuiquam, nisi L. Fadio AEdili: aliter enim nec cautè, nec iure fieri potest. Quòd scribis tibi deesse Η S C, quæ Ciceroni curata sint: velim ab Erote quæras, ubi merces insularum. Arabioni de Sicio nihil irascor. Ego de itinere, nisi explicato Λ, nihil cogito: quod idem tibi videri puto. Habes ad superiorem. nunc audi ad alteram. Tu verò facis, ut omnia, quòd Seruiliæ non desit, id est Bruto. De Regina gaudeo te non laborare, certè etiam tibi probari. Erotis rationes & ex Tirone cognoui, & vocavi ipsum. Gratissimum, quòd polliceris Ciceroni nihil defuturum. De quo mirabilia Messala, qui Lanuuii rediens, ab illis venit ad me. Et mehercule ipsius literæ sic & φίλος ῥόγος, & πυκνῶς scriptæ, ut eas vel in acroasi audeam legere: quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano Sestium puto non 35 molestè ferre. Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanū. Tu verò, quicquid erit quod me scire par sit, statim x v i i. Calend. abibo. Etsi satis videbar scripsisse ad te quid mihi opus sit, & quid te facere vellem, si tibi commodum esset: tamen cum profectus essem, & in lacu nauigare, Tironem statui ad te esse mittendum, ut iis negotiis quæ agerentur, interesset. atque etiam scripsi ad Dolabellam, me, si ei videretur, velle proficisci: petique ab eo de mulis vecturæ itineris. Ut in eis, cum intelligo te distentissimum esse, quæ de Buthrotiis, quæ de Bruto, cuius etiam ludorum suorum curam, etiam administrationem suspicor ex magna parte ad te pertinere. ut ergo in eiusmodi re, tribues nobis paulum operæ: nec enim multum opus est. Mihi res ad cædè, & eam quidem propinquam spectare videtur. Vides homines: vides arma. prorsus non mihi videor esse tutus. Si tu aliter sentis, velim ad me scribas: domi enim manere, si rectè possum, multò malo. Quidnam est quod audendum amplius de Buthrotiis: stetisse enim te frustra scribis. Quid autem se refert Brutus? Doleo mehercule te tam esse detentum: quod 36 decem hominibus referendum est acceptum, est illud quidem ἐργῶδες, sed αἰετὸν, mihi que gratissimum. De armis, nihil vidi apertius. fugiamus igitur, & ut ais, coram.

Theophanes quid velit nescio: scripserat enim ad me, cui rescripsi ut potui. mihi autem scribit, venire ad me se velle, ut & de suis rebus, & quædam quæ ad me pertinerent. Tuas literas expecto. Vide quæso nequid temere fiat. Staius scripsit ad me, locutum

secum esse Q. Ciceronem valde asseueranter, se hæc ferre non posse, certum sibi esse ad Brutum & Cassium transire. Hoc enim uero nunc discere aueo. hoc ego quid sit, interpretari non possum. Potest aliquid iratus Antonio? potest gloriam nouam quætere? potest totum esse γέδιασμα: & nimirum ita est. Sed tamen & ego vereor, & pater conturbatus est: scit enim quæ ille de hoc mecum. quædā ἀφ᾽ ἑαυτοῦ nolim. Planè, quid velit nescio. A Dolabella mandata habeo, quæ mihi videbuntur εἰδέν. Dic mihi, C. Antonius voluitne fieri Septemuir? fuit certè dignus. De Menedemo, est ut scribis. facies omnia mihi nota. Egi gratias Vecteno: nihil enim potuit humanius. Dolabellæ mandata sint quælibet, modò aliquid, vel quod Niceæ nuntiem. quis enim hæc, ut scribis antè, ne nunc dubitare quenquam prudentem, quin meus discessus desperationis sit, non legationis? Quòd ais extrema quædam iam homines de Repub. loqui, & eos quidem viros bonos: ego, quo die audiui illum tyrannum in concione clarissimum virum appellari, subdiffidere cœpi: postea verò quàm tecum Lanuuii vidi nostros tantum spei habere ad viuendum, quantum acceperant ab Antonio, desperavi. Itaque mi Attice fortiter hoc velim accipias ut ego scribo. Genus illud interitus, quo casurus est, foedum duces, & quasi denuntiatum nobis ab Antonio. Ex hac nassa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. Hæc omnis culpa Bruti. Pópeium Cartheiæ receptum scribis. Iam igitur contra hunc exercitum. Vtra ergo castra? media enim tollit Antonius. Illa infirma, hæc nefaria. Properemus igitur. sed iuua me consilio, Brundusione, an Puteolis. Brutus quidem subito: sed sapienter πάχωντι: quando enim illum? sed humana ferèda. Tu ipse eum videre non potes. Dii illi mortuo, qui vnquam Buthrotum. Sed acta missa: videamus quæ agenda sint. Rationes Erotis, etsi ipsum nondum vidi, tamen & ex literis eius, & ex eo, quod Tiro cognouit, propemodum cognitas habeo. Versuram scribis esse faciendam mensium quinque, id est ad Calend. Nouemb. Η S. C. C. in eam diem cadere numos, qui à Quinto debentur. Velim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere me eius rei causa Romam venire (si te ea res nihil offendet) videas unde numi sint, mihi feras expensum. hoc video in præsentia opus esse. Reliqua diligentius ex hoc ipso exquiram, in his, de mercedibus dotalium prædiorum: quæ si fideliter Ciceroni curabuntur, quanquàm volo laxius, tamen ei propemodum nihil deerit. Equidem video mihi quoque opus esse viaticum: sed id ex prædiis, ut cadet, ita soluetur. Mihi autem opus est vniuerso quidem. Etsi mihi videtur iste, qui umbras timet, ad cædè spectare: tamen, nisi explicata solutione, non sum discessurus. sitne autem excitata, necne, tecum cognoscam. Hanc putavi mea manu scribendam: itaque feci. De Fadio, ut scribis. utique alii nemini. rescribas velim hodie. Narro tibi: Quintus pater exultat lætitia: scripsit enim filius, se idcirco profugere ad Brutum voluisse, quòd, cum sibi negotium daret Antonius, ut eum Dictatorem efficeret, præfidiū occuparet, id recusasset: recusasse autem se, ne patris animum offenderet, ex eo sibi illum hostem. Tum me, inquit, collegi, verens nequid mihi ille iratus tibi noceret. itaque cum placui: & quidè c c c. certa, reliqua in spe. Scribit autem Staius illum cum patre habitare velle. Hoc verò mirum: & id gaudet. Quem tu illo certio rem nebulonem? ἐπιχρηῖν vestram de re Cani deliberationis probo. Nihil eram suspicatus de tabulis. ἀκεραίως restitutam arbitrabar. Quæ differs, ut mecum coram, expectabo: tabellarios, quoad voles, tenebis: es enim occupatus. Quòd ad Xenonè, probè. Quod scribo, cum absoluerò. Quinto scripsisti, te ad eum literas. nemo attulerat. Tiro negat iam tibi placere Brūdusium, & quidem dicere aliquid de militibus. at ego iam destinaram Hydruntè quidem. Moebant me tuæ quinque horæ. hic autè quantus πλῆξ, sed videbimus. Nullas à te x i. Calend. quippe, quid enim iam noui: cum primum igitur poteris, venies. Ego propero, ne antè Sextus: quem aduentare aiunt. Gratulor nobis, Quintum filium exiisse. molestus non erit. Pansam bene loqui credo: semper enim coniunctum esse cum Hircio scio: amicissimum Bruto & Cassio puto, si expediet. sed quādo illos videbit: inimi-

cum Antonio, quādo, aut cur: quousque ludemur? Ego autem scripsi Sextum aduentare, non quò iam adesset, sed quia certè id ageret, ab armis que nullus discederet. Certè si pergit, bellum paratum est. Hic autem noster Citerius, nisi victorem, neminem viturum. Quid ad hæc Pansa? vtro erit, si bellum erit? quod videtur fore. Sed & hæc, & alia coram. Hodie quidem (vt scribis) aut cras. Mirificè torqueor, sine dolore tamen: sed permulta mihi de nostro itinere in vtranque partem occurrunt. Quousque, in-
44 quies? quoad erit integrum: erit autem vsque, dum ad nauem. Pansa si rescripserit, & meam tibi, & illius epistolam mittam. Silium expectabam: cui *σπουδή* compositum, si quid noui. Ego literas mihi ad Brutum: cuius de itinere etiam ex te velim, si quid scies, cognoscere. Tabellarius, quem ad eum miseram, ex itinere rediit v. i. Cal. ei Serulia dixit, eo die Brutum Puteolis profectum. Sanè dolui meas literas redditas non esse. Silius ad me non venerat. causam composui. eum libellum tibi misi. Te quo die expectem, velim scire.

CICERO ATTICO S.

DE MEO itinere variæ sententiæ: multi enim ad me. sed tu incumbe quæso in eam curam. magna res est. An probas, si ad Caléd. Ian. cogitamus: meus animus est æquus, si tamen, vt si nihil offensionis sit, & tuus. Etiam scribe, quo die Olympia: cum mysteria scilicet: vt tu scires. Casus consilium nostri itineris iudicabit. dubitemus igitur: hy-
44 berna enim nauigatio odiosa, eoque ex te quæsieram mysteriorum diem. Brutum, vt scribis, visum iri à me puto. Ego hinc volo prid. Calend.

CICERO ATTICO S.

DE Quinti negotio video à te omnia facta. Ille tamen dolet, dubitans vtrum morem gerat Leptæ, an fidem infirmet Silio Mandibili. L. Pisonem vellem exire legatum. *ἡδὲ γὰρ* s. c. velim scire quid sit. Tabellarius ille, què tibi dixeram à me ad Brutum esse missum in Anagninum, ad me venit ea nocte, quæ proxima ante Calend. fuit, literasque ad me attulit, in quibus vnum alienum summa sua prudentia, vt spectem ludos suos. Rescripsi scilicet, primùm me iam profectum, vt non integrum sit: dein *ἀποπάτην* esse, me, qui Romam omnino post hæc arma non accesserim, neque id tam periculi mei causa fecerim, quàm dignitatis, subito ad ludos venire. tali enim tempore ludos facere illi honestum est, cui non necesse est spectare: mihi vt non est necesse, sic nec honestum est. Equidem illos celebrari, & esse quàm gratissimos, mirabi-
44 liter cupio, idque ita futurum esse confido: & tecum ago, vt iam ab ipsa commissione ad me, quemadmodum accipiantur, deinde omnino reliquorum dies singulos persequare. Sed de ludis hæctenus. Reliqua pars epistolæ: illa nanque in vtranque: sed tamen nonnullos interdum iacit igniculos virileis. Quod quale tibi videretur, vt possis interpretari, misi ad te exemplum epistolæ. quanquam mihi tabellarius noster dixerat, tibi quoque se attulisse literas à Bruto, easque à Tusculano esse delatas. Ego itinera sic cōposueram, vt Non. Quint. Puteolis essem: valde enim festino, ita tamen, vt quantum homo possit, quàm cautissimè nauigem. M. AElium cura libera. ei sine paucos specus in extremo fundo, & eos quidem subterraneos: seruitutis apud Talnæ quid habituros: id me iam iam nolle, neque mihi quicquā esse tanti: sed (vt mihi dicebas) quàm lenissimè, potius vt cura liberetur, quàm vt me succensere aliquid suspi-
45 cetur. Idem de vilo Tulliano cupidè libero. Cum Caselio loquere. Parua res est: sed tu bene attēdisti: nimis callidè agebatur. Ego autem, si mihi imposuisset aliquid, quod penè fecit, nisi tua malitia affuisset, animo iniquo tulissem. Itaque vt erit, rem impediri malo. Octauam partem Tullii luminarium in ædium ad strane memineras. Cui Cærelia, videris mancipio dare ad eam summam, quæ sub præcone fuit maxima. id opinor esse c c c l x x x. Noui si quid erit, atque etiam si quid prospicies, quod futurum putes, scribas ad me quàm sapissimè velim. Varroni, quemadmodum tibi mandauit, memineras excusare tarditatem literarum mearum. Mundus istum. M. Ennius quid

egerit de testamento, curiosius facias me velim certiozem. Ex Arpinati, v. i. Non.

CICERO ATTICO S.

46 GAUDEO id te mihi suadere, quod ego mea sponte pridie feceram: nam cum ad te v. i. Non. darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sestium scriptas *πρὸς φίλοισι*. Ille autem, quod Puteolos profectus, humanè: quod queritur, iniuste. nō enim ego tam illum expectare, cum de Cosano rediret, debui, quàm ille aut non ire antè, quàm me vidisset, aut citius reuerti. sciebat enim me celeriter velle proficisci, seseque ad me in Tusculanum scripserat esse venturum. Te, vt à me discesseris, lachrymasse molestè ferebam. Quod si me præsentem fecisses, consilium totius itineris fortasse mutassem. Sed illud præclare, quod te consolata est spes breui tempore congregiendi: quæ quidem expectatio me maximè sustentat. meæ tibi literæ non deerunt. De Bruto scribam ad omnia. librum tibi celeriter mittam de gloria. excudam aliquid *ἡρακλείδων*, quod lateat in thesauris tuis. De Planco memini. Attica iure queritur. Quod me de Bacchi, de statuarum coronis certiozem fecisti, valde gratum: nec quicquam posthac non modò tantum, sed ne tantulum quidem præterieris. Et de Herode & Metio memi-
47 nero, & de omnibus quæ te velle suspicor. Modò turpem fororis tuæ filium, cum hæc scriberem. Aduentabat autem *βυλλοῦ* cœnantibus nobis. Ego, vt ad te pridie scripseram, Nonis constitueram venire in Tusculanum. Ibo igitur: quotidie tuas literas expectabo, & maximè de ludis: de quibus etiam ad Brutum tibi scribendum est: cuius epistolæ, quam interpretari ipse vix poteram, exemplum pridie tibi miseram. Atticæ meæ velim me ita excuses, vt omnem culpam in te transferas: & ei tamen confirmes, me minimè totum amorem eò mecum abstulisse. Bruti ad te epistolam misi. Dii boni, quanta *ἀμνηστία*: cognosces cum legeris. De celebratione ludorum, tibi as-
48 sentior. ad M. AElium nullus tu quidem domum: sed sicubi inciderit: de Tulliano semisse, M. Axianum adhibebis, vt scribis. Quod cum Cosano, egisti optimè. Quod non solum mea, verum etiam tua expedis, gratum. Legationem probari meam gaudeo. Quod promittis, dii faxint: quid enim mihi meis iucundius? Sed ista, quam tu excipis, metuo. Brutum cum conuenero, perscribam omnia. De Planco & Decumo sanè velim Sextum scutum abiicere. De Mundo, si quid scies. Rescripsi ad omnia. nunc nostra accipe. Quintus filius vsque Puteolos: mirus ciuis, vt tu Fauonium, Asinium dicas: & quidem duas ob causas, & vt mecum, & *σπίστα* vult cum Bruto & Cassio. Sed tu quid ais? scio enim te familiarem esse Othonum. ait hic sibi Iuliam ferre. Constitutum enim esse dissidium. quæ fuit ex me pater qualis esset fama. dixi, sanè nihil me audisse: nesciebam enim cur quæreret, nisi de ore & patre. Sed cur tu, inquam? At ille, filium velle. Tum ego, etsi *ἐβδελυτόμην*, tamen negavi. putavi illa esse
49 vera: *σκόπος*, hoc est enim, huic nostro nihil præbere. illa autem *ἔπειτα*. Ego tamen suspicor hunc, vt solet, hallucinari. sed velim quæras: facile autem potes, & me certiozem. Obsecro te, quid est hoc? Signata iam epistola, Formiani, qui apud me cœnabant, Plancum se aiebant hunc Buthrotium pridie quàm hoc scribebã, id est i. i. Nonarum vidisse demissum sine phaleris: seruulos autem dicere, eum, & agripetas eiectos à Buthrotiis. Maeste: sed amabo te, perscribe mihi totum negotium. Vale.



NONIS Quint. veni in Puteolanum iens ad Brutum. in Nefide hæc scripsi. sed eo die quo veneram, cœnanti Eros tuas literas. Itane? Nonis Iuliis? mehercule istis. sed stomachari totum diem licet. quicquamne turpius, quam Bruto nil? Redeo ad meum igitur *ἐλθω μὲν*. nihil vidi. Sed quid est quæso, quod agripetas Buthroti concisos audio? Quid autem Plancus tam cursim? ita enim meditabar diem & noctem. Sanè cupio scire quid sit. Meam profectioem laudari gaudeo. Dymæos agro pulsos, mare infestum habere, nil mirum. videndum est ut mansio laudetur. *ὁμοπλοία* Bruti videtur aliquid præsidii esse, sed opinor minuta nauigia. sed iam sciam, & ad te cras. De Ventidio, *παινεῖν* puto. De Sexto, pro certo habebatur, ad arma. quod si verum est, sine bello civili video seruiendum. Quid ergo? Calendis Ianuarii in Pansa spes. *λῆρος πωλὺς* in vino & in somno istorum. De c c x. optimè Ciceronis rationes explicantur: Ouius enim recenset multa quæ vellem: in his ne hoc quidem malum, in mandatis fati abunde: *h s. l x x.* satis esse, affatim prorsus, sed Xenonè perexiguè, & *γλίγως* præbere, minutatimque. quo plus permutasti, quam ad fructum insularum: id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit. hinc ex Calend. April. ad *h s. l x x x.* accommodetur: nunc enim insulæ tantum. videndum enim est, quid cum Romæ erit: non enim puto focrum illam ferendam. Pindaro Decumano negaram. Nunc, cuius rei causa tabellarium miserim, accipe. Quintus filius mihi pollicetur se Catonem. egit autem & pater & filius, ut tibi sponderem, sed ita, ut tum crederes, cum ipse cognosces. huic ego literas ipsius arbitrato dabo: ex te ne mouerint. Has scripsi in eam partem, ne me motum putares. Dii faxint ut faciat ea quæ promittit: commune enim gaudium. sed ego nihil dico amplius. Is hinc v i i. Id. ait enim attributionem in Idus, se autem vrgeri acriter. Tu ex meis literis, quomodo respondeas, meditabere. plura cum & Brutum, videro, & Erotem remittam. Atticæ meæ excusationem accipio, eamque amo plurimum: cui & Piliæ salutem. Vale.

CICERO ATTICO S.

v i. Id. duas epistolas accepi: vnam à meo tabellario, alteram Bruti. De Buthrotiis lógè alia fama in his locis fuerat: sed cum aliis multis hoc ferendum. Erotem remissi citius, quam constitueram, ut esset cum Hortensio, & quia equitibus quidem ait se Idibus constituisse. Hortensius verò impudenter: nihil enim debetur ei, nisi ex tertâ pensione, quæ est Calend. Sext. ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diem. sed hæc Eros videbit Idibus. De Publilio autè quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam. sed cum videas quantum de iure nostro decesserimus, qui de residuis c c c c. *h s. c c.* præsentia soluerimus, reliqua perscribamus: loqui cum eo (si tibi videbitur) poteris, eum commodum nostrum expectare debere, cum tanta sit à nobis iactura facta iuris. Sed amabo te mi Attice (vidésne quam blandè?) omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil à me expectes. quanquam enim reliqua satis apta sint ad soluendum: tamen fit sæpe, ut ii qui debent, non respódeant ad tempus. siquid eiusmodi acciderit, nequid tibi sit fama mea potius: non modò versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis. Bruto tuo literæ gratæ erant: fui enim apud illum multas horas in Nefide, cum paulò antè tuas literas accessissem. delectari mihi Terco videbatur, & habere maiorem Accio, quam Antonio, gratiam. Mihi autem, quò latiora sunt, eò plus stomachi & molestiæ est, populum Romanum manus suas non in defendenda Rēpub. sed in plaudendo cōsumere: mihi quidem vi-

dentur istorum animi incēdi etiam ad repræsentandā improbitatem suam. Sed tamen dummodo doleat aliquid, doleant quidlibet. Consiliū meum, quod ais quotidie magis laudari, nō molestè fero, expectabamque, siquid de eo ad me scriberes: ego enim in varios sermones incidebā: quinetiam iccirco trahebā, ut quamdiutissimè integrū esset. Sed quoniā Euro villa extrudimur, Brundisiū cogito: facilius enim & exploratio deuitatio legionū fore videtur, quam piratarū, qui apparere dicuntur. Sestius v i. Id. expectabatur, sed nō venerat quod sciā. Cassius cum classicula sua venerat. Ego cum eū vidissem v. Cal. in Pópeianum cogitabā, inde Aculanum. nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De C. Metio non credo: nec tamen curo plus quam tu. Plāco & Oppio scripsi equidē, quoniā rogaras: sed si tibi videbitur, ne necesse habueris reddere. cum enim tua causa fecerint omnia, vereor, ne meas literas superuacaneas arbitrentur. Oppio quidem utique: quē tibi amicissimū cognoui: verum ut voles tu. Quoniā scribis hyematurū te in Epeiro, feceris mihi gratū, si antè eò veneris, quam mihi in Italiā te authore veniendum est. Literas ad me quam sæpissimè, sed de rebus minus necessariis aliquē nactus. sin autem erit quid maius, domo mitto. *Ἡγερέδιον*, si Brundisiū salui adoriemur. de gloria mihi tibi: custodies igitur, ut soles: sed notetur eclogarii, quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio duntaxat legat: mihi valde placent: mallet tibi. Etiam atque etiam vale.

CICERO ATTICO S.

7 T V verò sapienter: nunc demū enim rescribo iis literis, quas mihi misisti cōuento Antonio Tiburi: sapienter igitur, quod manus dedisti, quodque etiā vtrò gratias egisti: certè enim, ut scribis, deferemur ocyus à Rep. quam à re familiari. Quod verò scribis te magis delectari *ὀ τῆς, si quid ego*: siquid agis, addis mihi scribendi alacritatē. Quod Erotem non sine munusculo expectare dicis, gaudeo nō sefellisse eā rem opinionē tuā. Sed tamen idē *σὺ πάριμα* mihi ad te retractatius, & quidē *δέχεται πον* ipsum crebris locis inculcatum & refectū. hunc tu tralatum in macrocolū lege in arcano cōiuiis tuis, sed si me amas, hilaris & bene acceptis, ne in me stomachum erumpat, cum sint tibi irati. De Cicerone velim ita sit ut audiimus. De Xenone coram cognoscā: quanquam nihil ab eo arbitror neque indiligerent, neque illiberaliter. De Erote faciam ut mandas, & ea 8 quæ scribis, ex Saufeio & ex Xenone cognoscā. De Quinto fratre gaudeo tibi meas literas prius à tabellario meo, quam ab ipso redditas. quanquam te nihil sefellisset. veruntamē. sed expecto quid ille tecū, quid tu vicissim: nec dubito quin suo more vterque. sed eas literas Curiū mihi spero redditurū: qui quidē etsi per se est amabilis, à meque diligitur, tamē accedit magnus cumulus cōmendationis tuæ. Literis tuis satis respósum est. nūc audi, quod etsi intelligo scribi necesse nō esse, scribo tamen. Multa me mouent in discessu, in primis mehercule, quod disingor à te. mouet etiā nauigationis labor, alienus non ab ætate solū nostra, verū etiam à dignitate, tēpúsque discessus subabsurdū. relinquemus enim pacē, ut ad bellū reuertamur: quodque tēporis in prædiolis nostris & belle ædificatis, & satis amœnis cōsumi potuit, in peregrinatione cōsumimus. consolantur 9 hæc: aut proderimus aliquid Ciceroni: aut quantum profici possit, iudicabimus. deinde tu iam, ut spero, & ut promittis, aderis. quod quidē si acciderit, omnia nobis erūt meliora. Maxime autē me angit ratio reliquorum meorum, quæ quanquā explicata sunt: tamen quod & Dolabellæ nomen in his est, & attributio est mihi nominū ignota, cōturbor: nec vlla res magis angit ex omnibus. Itaque non mihi videor errasse, quod ad Balbum scripsi apertius, ut siquid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subueniret: meque tibi etiam mādasse, ut siquid eiusmodi accidisset, cum eo cōmunicares: quod facies, si tibi videbitur, eoque magis, si proficisceris in Epeirū. Hæc ego cōscendens è Pópeiano tribus actuariolis decē scalmis. Brutus erat in Nefide etiā nunc, Neapoli Cassius. ecquid amas Deiotarū? & nō amas Erā? qui ut Blefamius venit ad me, cū ei præscriptum esset, nequid 10 sine Sexti nostri sentētia ageret, neque ad illū, neque ad quēquam nostrū retulit. Atticā nostram cupio suauari: ita mihi dulcis salus visa est per te missa ab illa. Referes igitur ei

plurimā, itēmq; Piliā dicas velim, ita vt heri tibi narraui, vel fortasse hodie: Quintus enim altero die se aiebat. In Nesida VII. Id. ibi Brutus. quā ille doluit de Nonis Iul. mirificē est cōturbatus. itaq; sese scripturū aiebat, vt venationē etiam, quā postridie ludos Apollinares futura est, proscriberēt. III. Id. Quint. Libo interuenit. is Philonē Pompeii libertum, & Hilarū suum venisse à Sexto cum literis ad Consules, siue quo alio nomine sunt: earū exemplū nobis legit, siquid videretur. pauca *καὶ λέξι*: ceteroqui & satis grauitē, & nō cōtumaciter. tantū addi placuit, quod erat, *cos s. solū*, vt esset, *PRAET. TRIBB. P. SENATVI*, ne illi non proferrēt eas quā ad seipfos missā essent. Sextū autem nuntiauit cum vna solūm legione fuisse Carthagine, eiq; eo ipso die, quo oppidū Boreā cepisset, nūtiatum esse de Cæsare. capto oppido, mirā lātitiā cōmutationemq; animorū, concurrūmque vndiq;: sed illū ad sex legiones, quas in vltiore reliquisset, reuertisse. Ad ipsum autē Libonē scripsit, nihil esse, nisi ad larē suum liceret. summa postulatorū, vt omnes exercitus dimittātur, qui vbiq; sint. Hęc ferē de Sexto. De Buthrotiis vndiq; quærēs nihil reperiebā. alii cōcisos agripetas: alii Plancū acceptis numis, relictis illis aufugisse. Itaq; non video sciturū me quid eius sit, ni statim aliquid literarū. Iter illud Brundisiū, de quo dubitabā, sublatum videtur: legiones enim aduētare dicuntur. hęc autē nauigatio habet quasdā suspiciones periculi. itaque cōstituebam vti *ὁμοπλοία*. paratiorem offendi Brutum, quā audiebā: nam & ipse Domitius bona planē habet dicota, sūntque nauigia præterea luculēta Sestii, Buciliani, ceterorū. nam Cassii classē, quā planē bella est, non numero vltra fretū. Illud est mihi submolestum, quod parum Brutus prope rare videtur. primū confectorū ludorum nuntios expectat. deinde, quātum intelligo, tardē est nauigaturus, cōsistens in locis pluribus. tamen arbitror esse cōmodius tardē nauigare, quā omnino non nauigare: etsi cūm processerimus, exploratiora videbūtur, & testis vtemur. Tuas iam literas Brutus expectabat: cui quidē ego non nouum attulerā de Tereo Accii. Ille Brutū putabat, sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, cōmissione Græcorum frequētiam nō fuisse: quā quidem me minimē fefellit: scis enim quid ego de Græcis ludis existimē. Nunc audi quod pluris est, quā omnia. Quintus fuit mecum dies compluris: & si ego cuperem, ille vel plureis fuisset: sed quantum fuit, incredibile est quā me in omni genere delectarit, in eoque maximē, in quo minimē satisfaciebat: sic enim cōmutatus est totus & scriptis meis quibusdam, quā in manibus habebam, & assiduitate orationis, & præceptis, vt tali animo in Remp. quali nos volumus, futurus sit. hoc cūm mihi non modō confirmasset, sed etiā persuasisset, egit mecū accurate multis verbis, tibi vt respōderem, se dignum & te, & nobis futurum: neque se postulare vt statim crederes, sed cūm ipse perspexisses, tum vt se amares. quod nisi fidē mihi fecisset, iudicassetque hoc quod dico, firmū fore, non fecissem id quod dicturus sum: duxi enim mecum adolescentē ad Brutum: sic ei probatū est quod ad te scribo, vt ipse crediderit, me sponsorem accipere noluerit, eūmque laudans amicissimē mētionem tui fecerit, cōplexus, osculatūsq; dimiserit. Quam ob rem etsi magis est, quod gratuler tibi, quā quod te rogem, tamen etiam rogo, vt si quā minus antea propter infirmitatē atatis constanter ab eo fieri videbātur, ea iudices illum abiecisse, mihi que credas, multū allaturā vel plurimū potius ad illius iudiciū confirmādum auctoritatem tuam. Bruto cūm sæpe iniecissem de *ὁμοπλοία*, nō perinde atque ego putarā, arripere visus est. existimabā *μετ' αὐτῶν* esse: & hercule erat, & maximē de ludis. At mihi, cūm ad villā redissem, Cn. Luceius, qui multū vitur Bruto, narrauit illū valde morari, non tergiuersantem, sed expectantē siqui fortē casus. Itaque dubito an Venusiā tendam, & ibi expectem de legionibus: si aberunt, (vt quidam arbitratū) Hydruntē: si neutrum erit *ἀσφαλές*, eodem reuertar. Iocari me putas? moriar, si quisquam me tenet præter te: etenim circumspecte: sed antē erubesco. O dies in auspiciis Lepidi descriptos, & aptos ad cōsiliū reditus nostri! Magna *ῥοπή* ad proficiscēdum tuis literis. atque vtinā te illic. sed vt conducere putabis. Nepotis epistolā expecto, cupidus ille meorū: qui ea, quibus maximē *γαυρία*,

legēda non putet. & ais *μετ' ἀμύμονα*. tu verō *ἀμύμων*. ille quidē *ἀμβροσιος*. Mearū epistolarū nulla est *συναγωγή*. sed habet Tiro instar septuaginta: & quidē sunt à te quādā sumēdā. eas ego oportet perspiciā, corrigā: tum denique edentur. Ego adhuc (perueni enim Vibonē ad Siccā) magis commodē quā strenuē nauigauī. remis enim magnam partē. prodromi nulli. Illud satis opportunē: duo sinus fuerunt, quos tramitti oportet, Præstanus & Vibonēsis: vtrunq; pedibus, equis trāsmisimus. Veni igitur ad Siccā octauo die è Pōpeiano, cūm vnum diē Velix constitissem, vbi quidē fui sanē libēter apud Tālnam nostrum, nec potui accipi (illo absente præsertim) liberalius. IX. Cal. igitur ad Siccam. ibi tanquā domi meā scilicet. itaque obduxi posterū diē. sed putabā, cūm Regium venissem, fore vt illic *δολιχὴν πλοῖον ὀρμήνοντες*, cogitarem corbitāne Patras, an Actuariolis ad Leucopetrā Tarētīnorum, aut inde Corcyrā: & si oneraria, statimne freto, an Syracusis. hac super re scribā ad te Regio. Mehercule mi Attice sæpe mecū *ὄδῳ ὄδῳ* *Ἰπὶ δὴ ἀπαι*. cur ego tecum non sum? cur ocellos Italiæ, villulas meas nō video? Sed id satis, superque, tecum me non esse fugientē periculum. nec id nūc quidē (nisi fallor) vllum est: ad ipsum enim reuocat me auctoritas tua: scribis enim in cælū ferri profectiōnem meā, sed ita, si ante Cal. Ian. redeā: quod quidē certē enitar: malo enim vel cum timore domi esse, quā sine timore Athenis tuis. Sed tamē prospice quō ista vergāt: mihi que aut scribe, aut (quod multō malim) affer ipse. hęc hæctenus. Illud velim in bonā partē accipias, me agere tecū, quod tibi maiori curā sciā esse, quā ipsi mihi. Nomina mea per deos expedi, exolue. bella reliqui. sed opus est diligētia, cohæredibus pro Cluuiano Cal. Sext. perfolutū vt sit. Cū Publilio quomodo agendū sit, videbis. nō debet vrgerē, quoniā iure nō vtimur: sed tamē ei quoque satisfieri planē volo. Terētix verō quid ego dicā: etiam ante diē, si potes. quin si, vt spero, celeriter in Epeirum, hoc, quod satisfato debeo, peto à te vt antē prouideas, planēque expedias, & solutū relinquis. Sed de his satis, metuōque ne tu nimiū putes. nunc negligentia meam cognosce. De gloria librum ad te misi: & in eo proœmiū, id est, quod in Academico tertio, id euenit ob eam rem, quod habeo volumen proœmiorum: ex eo eligere soleo, cūm aliquod *συνγραμμά* institui. Itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me ab usum isto proœmio, cōieci id in eum librū, quē tibi misi. cūm autē in naui legerem Academicos, agnouī erratū meū: itaque statim nouum proœmium exarauī, & tibi misi. tu illud defecabis, & hoc agglutinabis. Piliæ salutem dices, & Atticæ, deliciis atque amoribus meis. Vale.

CICERO ATTICO S.

VIII. Id. Sext. cūm à Leucopetra profectus (inde enim tramittebā) stadia circiter CCC. processissem, reiectus sum Austro vehemēti ad eandē Leucopetram. ibi cūm ventū expectarē (erat enim villa Valerii nostri, vt familiariter essem & libenter) Regini quidam illustres homines eo venerūt Roma, sanē recētes: in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. Hęc afferebāt: edictum Bruti & Cassii: & fore frequentem Senatū Cal. à Bruto, Cassio literas missas ad consularis & prætorios: vt adessent rogare. summā spem nuntiabāt, fore, vt Antonius cederet, res cōueniret, nostri Romam redirēt. addebāt etiā, me desiderari, subaccusari. quā cūm audissem, sine vlla dubitatione abieci cōsiliū profectiōnis, quo mehercule ne antea quidē delectabar. lectis verō tuis literis admiratus equidē sum, te tam vehemēter sententiam cōmutasse, sed non sine causā arbitrābar. etsi, quanuis non fueris suafor & impulsor profectiōnis meæ, approbator certē fuisti, dūmodo Cal. Ian. Romæ essem. ita fiebat, vt, dum minus periculi videretur, abessem, in stāmam ipsam venirem. Sed hęc etiā si non prudēter, tamen *ἀνεμῆσται* sunt: primū quod de mea sentētia acta sunt: deinde etiā, si tē authore, quid debet, qui cōsiliū dat, præstare præter fidē? Illud admirari satis non potui, quod scripsisti his verbis, *ΒΕΝΕ* igitur tu, qui *βίθανασίαν* bene, relinque patriam. An ego relinquebam? aut tibi tum relinquere videbar? tu id non modō non prohibebas, verū etiam approbabas. Grauiora, quā restant, *VELIM* *χρόλιον* aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere.

Ee. ii.

Itane mi Attice defensione eget meum factum, praesertim apud te, qui id mirabiliter approbasti: ego vero istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus inuitis & dissuadentibus profectus sum. etsi quid iam opus est χάρις: si perseverassem, opus fuisset. at hoc ipsum non constanter. nemo doctus vnquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilii, inconstantiā dixit esse. Deinceps igitur hæc,

NAM si a Phædro nostro expedita excusatio esset, nunc quid respondemus? Ergo id erat meum factum quod Catoni probare non possim, flagitii scilicet plenum, & dedecoris. Vtinam à primo ita tibi esset visum, tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. Extremum illud vel molestissimum, NAM Brutus noster filiet: hoc est, non audet hominem id ætatis monere. Aliud nihil habeo quod ex iis à te verbis significari putē. & hercule ita est. nam xvi. Calend. Septemb. cum venissem Veliam, Brutus audiuit: erat enim cum suis nauibus apud Halem fluuium citra Veliam millia passuum IIII. pedibus ad me statim. Dii immortales, quàm valde ille reditu, vel potius reuersione mea latatus: effudit illa omnia quæ tacuerat: vt recordarer illud tuum, NAM Brutus noster filiet, maximè autem dolebat, me Cal. Sext. in Senatu non fuisse. Pisonē ferebat in cælum: se autem latari, quòd effugissem duas maximas vituperationes: vnā, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere desperationis ac relictionis Reipub. flentes mecum vulgò querebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam: alteram de qua Brutus, & qui vnā erant (multi autem erant) lætabantur, quòd eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. Hoc verò nihil turpius quouis Reipub. tempore. sed hoc ἀναπολόγητον. ego verò Austro gratias miras ago, qui me à tanta infamia auerterit. Reuersionis has speciosas causas habes, iustas illas quidem, & magnas, sed nulla iustior, quàm quòd tu idem aliis literis, PROVIDE, sicui quod debetur, vt sit vnde par pari respondeatur. mirifica enim δυσχερεια est propter metum armorum. in freto medio hanc epistolam legi, vt quid possem providere, in mentem non veniret mihi, nisi quòd praesens me ipse defenderem. Sed hæc hæctenus. reliqua coram. Antonii edictum legi à Bruto, & horum contra scriptum præclarè. sed quid ista edicta valeāt, aut quòd spectent, planè non video. nec ego nunc, vt Brutus censebat, istuc ad Rempub. capeffendam venio. quid enim fieri potest: num quis Pisoni est assensus: num rediit ipse postridie: sed abesse hanc ætatem longè à sepulchro negāt oportere. Sed obsecro te, quid est quod audiui de Bruto: Piliā περιζέουσα τὸ ἀλάσθη te scripsisse aiebat. valde sum cōmotus. etsi idē te scribere, sperare melius, ita planè velim. ei dicas plurimā salutem, & suauissimā Atticæ. Hæc scripsi nauigans, cum Pompeianum accederem, xiiii. Calend.

CICERO ATTICO S.

cvm sciam quo die venturus sim, faciā vt scias. impedimenta expectanda sunt, quæ Anagnia veniunt: & familia ægra est. Calēd. vesperi literæ mihi ab Octauiano redditæ sunt. magna molitur. veteranos, quique Cassilini & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam: nec mirum: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. planè hoc spectat, vt se duce bellum geratur cum Antonio. Itaque, video paucis diebus nos in armis fore. quem autem sequamur? vide nomen, vide ætatem. Atque à me postulat, primū vt clam colloquatur mecū vel Capuæ. puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. docui literis, id nec opus esse, nec fieri posse. misit ad me Cæcinā quendam Volaterranum familiarē suum, qui hoc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad Urbē pergere: pecunias municipiis imperare: legionem sub signis ducere. Cōsultabat vtrum Romam cum ∞ ∞ ∞ veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret, & Antonium venientem excluderet: an iret ad treis legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superum faciunt, quas sperat suas esse. hæc congiarium ab Antonio accipere noluerunt, vt hic quidem narrat, & ei conuitium grande fecerunt, concionantemque reliquerunt. Quid quæris? ducem se profitetur: nec nos sibi putat deesse oportere. Equidem suasi vt Romam pergeret: videtur enim mihi & plebeculā vr-

banam, & (si fidem fecerit) etiam bonos viros secum habiturus. O Brute vbi es: quantum ἀναγκαιά amittis. Nō equidem hoc diuinavi, sed aliquid tale putavi fore. nūc tuum consilium exquiro, Romamne venio, an hīc maneo, an Arpinum. ἀσφάλεια habet is locus. fugiam Romā, ne desideremur, siquid actum videbitur. hoc igitur explica. nunquam in maiore ἀπορία fui.

BINAE vno die mihi literæ ab Octauio. nunc quidem, vt Romam statim veniam, velle se rem agere per Senatū. cui ego, non posse Senatū ante Calend. Ian. quod quidem ita credo. ille autem addit, Consilio tuo. quid multa: ille vrget: ego autem σκέπτομαι: non confido ætati: ignoro quo animo: nil sine Pāsa tuo volo: vereor ne valeat Antonius: nec à mari discedere libet: & metuo, neque ἀειψία me absente. Varroni quidē displicet consilium pueri, mihi non. firmas copias habet. Brutum habere potest, & rem gerit palam. centuriat Capuæ: dinumerat. iam iamque video bellum. Ad hæc rescribe. Tabellarium meum Cal. Roma profectum sine tuis literis miror. vi. Arpinum veni, ad IIII. in Sinuessanum. eodem die vulgò loquebantur Antonium māsurum esse Casilini. Itaque mutaui cōsiliū: statueram enim recta Appia Romam. facile me ille effecutus: aiunt enim eum Casariana vti celeritate. verti igitur me à Minturnis Arpinum versus. constitueram vt prid. Id. aut Aquini manerem, aut in Arcano. nunc mi Attice tota mente incumbere in hanc curam: magna enim res est. tria sunt autem, maneamne Arpini, an propius accedam, an veniam Romam: quod censueris, faciam: sed quam primū. Auidē expecto tuas literas. vi. Id. mane, in Sinuessano.

CICERO ATTICO S.

NONIS accepi à te duas epistolas: quarum alteram Cal. dederas, alteram pridie. igitur prius ad superiorē. nostrum opus tibi probari lætor: ex quo antè ipse posuisti, quæ mihi florentia sunt visa tuo iudicio: cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam.

De Sicca ita est vt scribis. ast ab ea ægrè me tenui. itaque perstringam sine vlla contumelia Siccæ & Septimiæ: tantum, vt sciant παῖδες παίδων sine vallo Luciliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse. atque vtinam eum diem videam, cum ista liberè vegetur, vt etiam in Siccæ domum introeat. sed illo tempore opus est, quod fuit illis Triumuiris. moriar, nisi faceté. Tu verò leges Sexto, eiusque iudiciū mihi perscribes, εἰς ἐμοὶ μωροί. Caleni interuentum, & Caluena cauebis. Quòd vereris ne ἀδύλεχος: mihi tu: quis minus, cui, vt Aristophani Archilochi iambus, sic epistola longissima quæque optima videtur? Quòd me admones, tu verò etiā si reprehenderes, non modò facile paterer, sed etiam lætarer, quippe cum in reprehensione est prudentia cum βίμυρία. Ita libenter ea corrigam, quæ à te animaduersa sunt, eodem iure, quo Rubriana potius, quàm quo Scipionis: & de laudibus Dolabellæ deruam cum ulū. attamen est isto loco bella, vt mihi videtur, εἰρωνεία, quòd eum cōtra ciueis in acie. illud etiam malo, indignius esse hunc viuere, quàm quòd indignius. πεπλογραφίαι Varronis tibi probari non molestè fero: à quo adhuc ἡσακλείδιον illud non abstuli. Quòd me hortaris ad scribendum, amiccè tu quidē, sed me scito agere nihil aliud. Grauedo tua mihi molesta est. quæso adhibe, quam soles, diligentiam. οὐ τίττε, tibi prodesse lætor. Anagnini sunt Mustella παῖς δούλης, & Laco, qui plurimū bibit. Librum, quem rogas, perpoliam, & mittam. Hæc ad posteriorem. Ἐὰν δὲ τὸ καὶ θύκωντος, quatenus Panætius, absolui duobus, illius tres sunt. sed cum initio diuifisset ita, tria genera exquirendi officii esse: vnum cum deliberamus, honestum an turpe sit: alterum, vtile an inutile: tertium, cum hæc inter se pugnare videantur, quomodo iudicandum sit: qualis causa Reguli, redire honestum, manere vtile: de duobus primis præclarè disseruit: de tertio pollicetur se deinceps scripturum, sed nihil scripsit. eum locum Possidonius persecutus. Ego autem & eius librum accerui, & ad Athenodorum Caluum scripsi, vt ad me τὴ κεφάλαια mitteret, quem expecto: quem velim cohortere, & roges, vt quam primū. in eo est τὸ καὶ τὸ καὶ ἀείψαται καὶ θύκωντος. Quòd de inscriptione quæris: non dubito quin ὁ καὶ θύκων offi-

cium sit, nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior de officiis. *περὸ σφραγίδος* autem Ciceroni filio: visum est non *ἀνοικέειν*. De Myrtilo dilucidé. O' qualis tu semper istos! itane in D. Brutum de istis? Ego me, ut scripseram, in Pompeianum non abdidi, primò tempestatibus, quibus nihil tetrius: deinde ab Octauiò quotidie literarum, ut negotium suscipere, Capuam venire, iterum Rempub. seruare, Romam utique statim, *αὐδὲ δὲν ἰδίῳ ἀνὴρα ὄντα, δὲ σφραγίδος ἔχοντα*. istam egi sane strenuè, & agit: Romam veniet cum manu magna: sed est planè puer. putat Senatù statim. quis veniet? si venerit, quis incertis in rebus offendet Antonium? Calendis Ian. erit fortasse praesidio, aut quidem antè depugnabitur. puero municipia mirè fauent: iter enim faciens in Samnium venit Cales, mansit Theani, mirifica *ἀπάντησις* & cohortatio. hoc tu putares? ob hoc ego citius Romam, quam constitueram. simul ac constituerò, scribam. etsi nondum stipulationes legeram (nec enim Eros venerat) tamen rem prid. Id. velim conficias. Epistolas Gatinam, Tauromenium, Syracusas commodius mittere poterò, si Valerius interpres ad me nomina gratiosorum scripserit: alii enim sunt aliàs, nostrique familiares ferè demortui: publicè tamen scripsi, si uti vellet eis Valerius, aut mihi nomina mitteret.

De Lepidianis feris Balbus ad me. vsque ad 111. Calèd. expectabo tuas literas: de que Torquati negotiolo siturum puto. Quinti literas ad te misi, ut scires quàm valde eum amaret, quem dolet à te minus amari. Atticæ, quoniã (quod optimum in pueris est) hilarula est, meis verbis suauium des. Vale.

CICERO ATTICO S.

OPPII epistolæ, quia perhumana erat, tibi misi exemplum. De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi quicquam rescribis, cepi cõsiliù domesticum. itaque me prid. Id. arbitror Romæ futurum. commodius est visum, frustra me istic esse, cum id nõ necesse esset, quàm, si opus esset, non adesse. & simul ne intercluderet metuebam. ille enim iam aduentare potest: etsi varii rumores multique, quos cuperem veros: nihil tamen certi. Ego verò, quicquid est, tecum potius quàm animi pendeam, cum à te absim, & de te & de me. sed quid dicam? bonum animum. De *ἡγεκλιδείῳ* Varronis negotia falsa. me quidem nihil vnquã sic delectauit. sed hæc, & alia maiora coram. Vale.

CICERO ATTICO S.

OCASVM mirificum! v. Id. cum ante lucem de Sinuessano surrexissẽ, venissẽmque diluculo ad Pontum Tirementium, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obuiam mihi sit tabellarius, qui me offendit *δολιχὸν πλῆθὸν ὀρμηγόνοντα*. Ego statim, Cedo, inquam, siquid ab Attico. nondum legere poteramus: nam & lumina dimiseramus, nec satis lucebat. cum autem luceret, antè scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi cõcepta est. illa omnium quidem elegantissima (ne sim saluus, si aliter scribo ac sentio) nihil legi humanius. Itaque veniam quòd vocas, modò adiutore te. sed nihil tam *ἀποσδιόνουσον* mihi primò videbatur, quàm ad eas literas, quibus ego à te consiliù petieram, te mihi ista rescribere. Ecce tibi altera, qua hortaris *πρὸ ἡνεμόεντα μίμναντα, νήσους ὅτι ψυέλεις, Ἀππία δὲ ὄρισερὰ ἔχοντα*. Itaque eo die mansi Aquini. longulũ sanè iter, & via inepta. inde postridie mane proficiscens, has literas dedi. & quidẽ, ut à me dimitterẽ inuitissimus, fecerunt Erotis literarum. rem tibi Tiro narrabit. Tu, quid faciendum sit, videbis: præterea, possimne propius accedere (malo enim esse in Tusculano, aut vsquã in suburbano) an etiam longius discedendum putas? crebrò ad me velim scribas. erit autẽ quotidie cui des. Quod præterea consulis, quid tibi censẽ faciendum: difficile est, cum absim. veruntamen, si pares æquè inter se, quiescendum. sin latius manabit, & quidem ad nos, deinde communiter. Auidẽ tuum consiliù expecto. timeo ne absim, cum adesse me sit honestius. venire non audeo. De Antonii itineribus nescio quid aliter audio, atque ut ad te scribebã. Omnia igitur velim explices, & ad me certa mittas. De reliquo quid ego tibi dicã? ardeo studio historiarum: incredibiliter enim me cõmouet tua cohortatio. quæ quidẽ nec institui, nec effici potest sine tua opẽ: coram igitur hoc quidẽ

35 conferemus. in praesentia mihi velim scribas, quibus c o s s. C. Fannius M. F. Trib. pl. fuerit: videor mihi audisse P. Africano, L. Mummio. id igitur quæro. Tu mihi de iis rebus quæ nouantur, omnia certa, clara. 111. Id. ex Arpinati.

NIHIL erat planè quod scriberẽ. nam cum Puteolis essem, quotidie aliquid noui de Octauiano, multa etiam falsa de Antonio. Ad ea autem quæ scripsisti (treis enim acceperam 111. Id. à te epistolas) valde tibi assentior, si multum possit Octauianus, multò firmiter acta tyranni comprobaturum iri, quàm in Telluris, atque id contra Brutum fore. sin autem vincitur, vides intolerabilẽ Antonium: ut, quem velis, nescias. O' Sestii tabellarium hominem nequam: postridie Puteolis Romæ se dixit fore. Quòd me moues ut pedetentim, assentior: etsi aliter cogitabã. nec me Philippus aut Marcellus mouet: alia enim eorum ratio, & si non est, tamen videtur. Sed in isto iuvene, quanquam animi satis, authoritatis parum est. tamen vide, si fortè in Tusculano rectè esse possim, ne id melius sit: ero libetius: nihil enim ignorabo: an hoc, cum Antonius venerit. Sed, ut aliud ex alio, mihi non est dubium quin quod Græci *καὶ Σηκων*, nos officium. id autem quid dubitas quin etiam in Remp. præclarè caderet? nõne dicimus, Consulũ officium, Senatũ officium? præclarè conuenit, aut da melius. Malè narras de Nepotis filio. valde me hercule moueor, & molestè fero. nescieram omnino esse istum puerum.

Caninium perdididi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum nihil est quod hortere: misit enim satis bellum *σπουδην*. Grauedini quæso omni ratione subueni. Quintus tui patris nepos scribit ad patris mei nepotẽ, se ex Nonis iis, quibus nos magna gessimus, ædem Opis explicaturum, idque ad populũ. videbis igitur, & scribes. Sexti iudicium expecto. Vale.

CICERO ATTICO S.

NOLI putare pigritia facere me, quòd non mea manu scribam: sed me hercule pigritia: nihil enim habeo aliud quod dicam: & tamẽ in tuis quoque epistolis Alexim videor agnoscere. sed ad rem venio. Ego, si me non improbissimè Dolabella tractasset, dubitassẽ fortasse vtrum remissior essem, an summo iure contenderẽ: nunc verò etiã gaudeo mihi causam oblatã, in qua & ipse sentiat, & reliqui omnes, me ab illo alienatũ: idque præ me feram, & quidem me mea facere, & Reip. causa, cur illum oderim: quod cum eam me authore defendere cõpisset, non modò deseruit emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuerit, euerterit. Quòd autem quæris, quomodo agi placeat, cum dies venerit: primũ velim eiusmodi sit, ut non alienũ sit, me Romæ esse: de quo, ut de cæteris, faciam ut tu censueris. de summa autem agi prorsus vehementer & seuerè volo. etsi sponsores appellare, videtur habere quãdam *δυσπίαν*: tamen hoc quale sit, consideres velim. possumus enim, ut sponsores appellentur, procuratorẽ introducere: neque enim illi litem contestabuntur: quo facto, non sum nescius sponsores liberari: sed & illi turpe arbitror eo nomine, quod satisfato debeat, procuratores eius nõ dissoluere: & nostrarum grauitatis, ius nostrum sine summa illius ignominia persequi. De hoc quid placeat, rescribas velim: & nõ dubito quin hoc totum lenius administraturus sis.

Redeo ad Rempub. multa me hercule à te sæpe *ἐν πολιτικῷ* genere prudenter: sed his literis nihil prudentius. QUANQUAM enim posset in praesentia bellè iste puer retundere Antonium, tamen exitum expectare debemus. At quæ concio? nam est missa mihi: iurat, ita sibi parentis honores cõsequi liceat: & simul dextram intendit ad statuam. *μηδὲ θεοὶ μὲν εἰποτε οὐδὲ θεοί*. Sed, ut scribis, certissimũ esse video discrimen Casca nostri Tribunatus: de quo quidem ipso dixi Oppio, cum me hortaretur, ut adolescentem, totamque causam, manumque veteranorum complecterer, me nullo modo facere posse, ni mihi exploratum esset, eum non modò non inimicum tyrannocionis, verum etiam amicum fore. cum ille diceret, ita futurum, Quid igitur festinamus, in quã illi enim mea opera ante Cal. Ian. nihil opus est. nos autẽ eius voluntatem ante Id. Decemb. perspiciemus in Casca. mihi valde assensus est. Quam ob rẽ hæc quidẽ haecenus.

Quod reliquum est, quotidie tabellarios habebis, & vt ego arbitror, etiam quid scribas quotidie. Leptæ literarum exemplum tibi misi: ex quo mihi videtur *γραμμάτιον* ille deiectus de gradu. sed tu, cum legeris, existimabis. Obfignata iam epistola, literas à te & à Sexto accepi. nihil iucundius literis Sexti, nihil amabilius: nam tuæ breues, priores erant vberimæ. Tu quidē & prudenter & amicē suades vt in his locis potissimum sim, quoad audiamus, hæc, quæ commota sunt, quorsum euadant. sed me, mi Attice, non sanè hoc quidem tempore mouet Resp. non quò ea sit mihi quicquam carius, aut esse debeat, sed desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. quare ista valeant. me res familiaris mouet: rem dico: immò verò existimatio. cum enim tanta reliqua sint, ne Terentiæ quidem adhuc quod soluam, expeditum est: Terentiā dico: scis nos pridem iam constituisse Montani nomine *ης. x x i*. dissoluere. pudentissimè hoc Cicero petierat, vt ei de suo: liberalissimè, vt tibi quoque placuerat, promiseram, Erosque dixeram, vt sepositum haberet. non modo, sed iniquissimo fœnore versuram facere Aurelius coactus est. nam de Terentiæ nomine Tiro ad me scripsit, te dicere, numos à Dolabella fore. malè eum credo intellexisse, si quisquam malè intelligit: potius nihil intellexisse: tu enim ad me scripsisti Cocceii responsum, & iisdem penè verbis Eros. Veniendum est igitur vel in ipsam flammam: turpius est enim priuatim cadere, quàm publicè. itaque cæteris de rebus, quas ad me suauissimè scripsisti, perturbato animo non potui, vt consueueram, rescribere. Consenti in hac cura, vbi sum, vt me expediam. quibus autem rebus, venit quidem mihi in mentem: sed certò constituere nihil possum, priusquā te videro. Quī minus autē ego istic rectè esse possim, quàm est Marcellus: sed non id agitur: neque id maximè curo. quid curē, vides: adsum igitur. Vale.

CICERO ATTICO S.

IUCVNDISSIMAS tuas legi literas. Ad Plancum scripsi. habes exemplum. cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris. Vale.

M. CICERO L. PLANCO PRAET. DES. S.

ATTICI nostri te valde studiosum esse cognoui, mei verò ita cupidum, vt mehercule paucos æquè obseruanteis atque amāteis me habere existimem: ad paternas enim magnas & veteres & iustas necessitudines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me, meaque erga te par atque mutua. Buthrotia tibi causa ignota nō est: egi enim sæpe, tibi que totam rem demonstravi: quæ est acta hoc modo, Vt primū Buthrotium agrum proscriptum vidimus, commotus Atticus libellum composuit: eum mihi dedit, vt darem Cæsari: erā enim cœnaturus apud eum illo die. cum libellum Cæsari dedi, probauit causam, rescripsit Attico æqua eum postulare: admonuit tamen, vt pecuniam reliquam Buthrotii ad diem soluerent. Atticus, qui ciuitatem cōseruatam cupe- ret, pecuniam numerauit de suo. quod cum esset factum, adiuius ad Cæsarem, verba fecimus pro Buthrotiis: liberalissimum decretum abstulimus, quod est obfignatum ab amplissimis viris. quæ cum essent acta, mirari quidem solebam pati Cæsarem conuenire eos qui agrum Buthrotium concupissent: neque solum pati, sed etiam ei negotio te præficere. Itaque & ego cum illo locutus sum, & sæpius quidem, vt etiam accusarer ab eo, quòd parum constantiæ suæ considerem. & M. Messala, & ipsi Attico dixit, vt sine cura essent: apertè que ostendebat se præsentium animos (erat enim popularis, vt noras) offendere nolle: cum mare transissent, curaturum se vt in alium agrum deducerentur. Hæc illo viuo. post interitum verò Cæsaris, vt primū ex s. c. causas Consules cognoscere instituerunt, hæc quæ scripsi, ad eos delata sunt. Probauerūt causas sine vlla dubitatione, sēque ad te literas daturos esse dixerunt. Ego autē mi Plāce etsi non dubitabam quin & s. c. & lex, & Consulū decretum, ac literæ apud te plurimum auctoritatis haberent, tēque ipsius Attici causa velle intellexeram: tamen hoc pro coniunctione & beneuolentia nostra mihi sumpsi, vt id à te peterem, quod tua singularis hu-

manitas, suauissimique mores à te essent impetraturi: id autem est, vt hoc quod te tua sponte facturum esse certò scio, honoris nostri causa libenter, prolixè, celeriter facias. Mihi nemo est amior, nec iucundior, nec charior Attico: cuius antea res solum familiaris agebatur, eaque magna: nunc accessit etiam existimatio, vt quod consecutus est magna & industria & gratia, & viuo Cæsare & mortuo, id te adiuuante obrineat. Quod si à te erit impetratū, sic velim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturū, vt tuo summo beneficio me affectum iudicem. Ego quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitror, studiose diligentèrque curabo. Da operam vt valeas.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

IAM antea petiui abste per literas, vt cum causa Buthrotiorum probata à Consulibus esset, quibus & lege & s. c. permissum erat vt de Cæsaris actis cognoscerent, statuerent, iudicarent, eam rem tu adiuuares, Atticumque nostrum, cuius te studiosum cognoui, & me, qui non minus laboro, molestia liberares. omnibus enim rebus magna cura, multa opera & labore confectis, in te positum est, vt nostræ sollicitudinis finem quamprimū facere possimus. quanquam intelligimus ea te esse prudentia, vt videas, si ea decreta Consulū, quæ de Cæsaris actis interposita sint, non feruentur, magnam perturbationem rerum fore. Equidem cum multa (quod necesse erat in tanta occupatione) non probentur quæ Cæsar statuerit, tamen otii pacisque causa acerrimè illa soleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendum censeo: quanquam hæc epistola non suavis est, sed rogatoris. Igitur mi Plāce rogo te, & etiam oro, sic mediūsdudius, vt maiore studio, magisque ex animo agere non possim, vt totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, vt quod sine vlla dubitatione apud Consules obtinuimus propter summam bonitatem & æquitatem causæ, id tu nos obtinuisse non modò facile patiari, sed etiam gaudeas. Qua quidem volūate esse erga Atticum, sæpe præfens & illi ostendisti, & verò etiam mihi. quod si feceris, me, quem voluntate & paterna necessitudine cōiunctum semper habuisti, maximo beneficio deuinctum habebis. idque vt facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO CAPITONI SVO S.

NVNQVAM putavi fore vt supplex ad te venirem. sed hercule facile patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciā, scis. amabo te, da mihi & hoc: obliuiscere mea causa, illū aliquando suo familiari aduersario tuo voluisse consultum, cum illius existimatio ageretur. Hoc primum ignoscere est humanitatis tuæ: suos enim quisque debet tueri. Deinde, si me amas, omitte Atticum Ciceroni tuo: quē quanti facias, præ te soles ferre. totum hoc, vt quod semper existimaui, nunc planè intelligam, me à te multum amari. Buthrotios cum Cæsar decreto suo, quod ego obfignauī cū multis amplissimis viris, liberauisset, ostendissetque nobis, se, cum agrarii mare transissent, literas missurum, quem in agrum deducerentur: accidit, vt subitò ille interiret. Deinde, quemadmodum tu scis (interfuiisti enim, cum Consules oporteret ex s. c. de actis Cæsaris cognoscere) res ab iis in Cal. Iun. dilata. Accessit ad s. c. lex quæ lata est ad IIII. Non. Iun. quæ lex earum rerum, quas Cæsar statuisset, decreuisset, egisset, Consulibus cognitionem dedit. Causa Buthrotiorum delata est ad Consules. Decretum Cæsaris recitatum est, & multi præterea libelli Cæsaris prolati. Consules de consilii sententia decreuerunt secundum Buthrotios, Plancum dederūt. Nunc mi Capito (scio enim quantum semper apud eos quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum atque humanissimum Plancum) enitere, elabora, vel potius eblādire, effice vt Plancus, quē spero optimum esse, sit etiam melior opera tua. omnino res huiusmodi videtur esse, vt sine cuiusquā gratia Plancus ipse pro ingenio & prudētia sua non sit dubitaturus quin decretum Consulū, quorū & lege & s. c. cognitio & iudicium fuit, conseruet: præsertim cum, hoc genere cognitionum labefactato, acta Cæsaris in dubiū vētura videantur: quæ non modò ii, quorum interest, sed etiam ii qui illa non pro-

bant, otii causa confirmare velint. Quod cum ita sit, tamen interest nostra, Plancum hoc animo libenti prolixoque facere. quod certe faciet, si tu neruulos tuos mihi saepe cognitos, suauitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris. Quod ut facias, te vehementer rogo. Vale.

CICERO C. CUPIENNIO S.

PATREM tuum plurimi feci, meque ille mirifice & coluit & amauit. nec mehercule vnquam mihi dubium fuit quin a te diligerer. ego quidem id facere non desisti. Quam ob rem peto a te in maiorem modum, ut ciuitatem Buthrotiam subleues, decretumque Consulum, quod ii secundum Buthrotios fecerunt, cum & lege & s. c. statuendi potestatem haberent, des operam ut Plancus noster quamprimum confirmet & probet. Hoc te vehementer mi Cupienni etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

IGNOSCE mihi, quod cum antea accuratissime de Buthrotiis ad te scripserim, eadem de re saepius scribam. Non mehercule mi Plance facio, quod parum confidam aut liberalitati tuae aut nostrae amicitiae: sed cum tanta res agatur Attici nostri, nunc vero etiam existimatio, ut id quod probauit Caesar, nobis testibus & obsecratoribus, qui & decretis & responsis Caesaris interfueramus, videatur obtinere potuisse: praesertim cum tota potestas eius rei tua sit, ut ea quae Consules decreuerunt secundum Caesaris decreta & responsa, non dicam comprobare, sed studiose libenterque comprobare. Id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit. Et si iam sperabam, cum has literas accepisses, fore ut ea quae superioribus literis a te petissemus, impetrata essent. tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit te id fecisse, quod magna cum spe expectamus. deinde enim confido fore, ut alio genere literarum utamur, tibi que pro tuo summo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, velim sic existimes, non tibi tam Atticum, cuius permagna res agitur, quam me, qui non minus laboro quam ille, obligatum fore. Vale.

CICERO CAPITONI S.

NON dubito quin mirere, atque etiam stomachare, quod tecum de eadem re agamus saepius. hominis familiarissimi, & mihi omnibus rebus coniunctissimi permagna res agitur, Attici. Cognoui ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum. multum potes nos apud Plancum iuuare. noui humanitatem tuam, scio quam sis amicis iucundus. nemo nos in hac causa plus iuuare potest quam tu. & res ista est firma, ut debet esse, quam Consules de consilii sententia decreuerunt, cum & lege & s. c. cognoscerent: tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur cum officii tui & Reipub. causa decretum Consulum comprobaturum, tum libenter nostra causa esse facturum. Adiuuabis igitur mi Capito: quod ut facias, vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

Sex has epistolas, ut à Germanis accepimus, ita Damus. Quamvis enim in nullo veteri exemplari inuenerimus, tamen nec Germanorum fidem improbare (qui se in vetusto codice eas reperisse testati sunt) nec nostrum ullam in partem iudicium interponere volumus.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARVM AD BRVTVM LIBER.

CICERO BRVTO S.



VVM hæc scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen: tristes enim de Bruto nostro literæ, nunciique adferebantur. Me quidem non maxime conturbabant: his enim exercitiis ducibusque quos habemus, nullo modo poteram diffidere. Neque assentiebar maiori parti hominum: fidem enim Consulum non condemnabam, quæ suspecta vehementer erat. Desiderabam nonnullis in rebus prudentiam & celeritatem, quæ si essent vsi, iam pridem rem recuperassemus. Non enim ignoras, quanta momenta sint in Rep. temporum: & quid intersit, idem illud utrum ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur. Omnia quæ seuerè decreta sunt hoc tumultu, si aut quo die dixi sententiæ, perfecta essent, & non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt ut agerentur, non tardata & procrastinata, bellum iam nullum haberemus. Omnia Brute praestiti Reipub. quæ præstare debuit is, qui esset eo, quo ego sum, gradu Senatus, populique iudicio collocatus: nec illa modo, quæ nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, vigilantiam, patriæ charitatem: ea sunt enim, quæ nemo est qui non præstare debeat. Ego autem ei qui sententiam dicat in principibus de Rep. puto etiam prudentiam esse præstandam. Nec me quum mihi tantum sumpserim ut gubernacula Reip. prenderem, minus putarim reprehendendum, si inutiliter aliquid Senatui suaserim, quam si infideliter. Acta quæ sint, quæque agantur, scio perscribi ad te diligenter. Ex me autem illud est quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem esse, neque respectum vllum quaerere, nisi me utilitas ciuitatis fortè conuerterit. Maiores autem partes animi te, Cassiumque respiciunt. Quamobrem ita te parâ Brute, ut intelligas, aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem Rempub. esse faciendam: aut, si quid offensum sit, per te esse eandem recuperandam.

CICERO BRVTO SAL.

PLANCI animum in Rempub. egregium, legiones, auxilia, copias ex literis eius, quarum exemplum tibi missum arbitror, perspicere potuisti. Lepidi tui necessarii (qui secundum fratrem affines habet, quos oderit proximos) leuitatem & inconstantiam, animumque semper inimicum Reip. iam credo tibi ex tuorum literis esse perspectum: nos expectatio sollicitat, quæ est omnis iam in extremum adducta discrimen. Est enim spes omnis in Bruto expedienda, de quo vehementer timebamus. Ego hinc cum homine furioso satis habeo negotii Seruilio, quem tuli diutius, quam dignitas mea patiebatur: sed tuli Reipub. causa, ne darem perditis ciuibus hominem parum sanum illum quidem, sed tamen nobilem, quod concurrerent: quod faciunt nihilominus: sed eum alienandum à Rep. non putabam. Fidem feci eius ferendi: coeperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci vero causa exarsit incredibili dolore, mecumque per biduum ita contedit, & à me ita fractus est, ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore. Atque in hac contentione ipsa, quum maxime res ageretur ad v. Id. April. literæ mihi in Senatu redditæ sunt à Lentulo nostro, de Cassio, de legionibus, de Syria: quas statim cum recitauissem, cecidit Seruilius, cõplures præterea: sunt enim insignes aliquot, qui improbitissime sentiunt: sed acerbissime tulit Seruilius, assensum esse mihi de Planco. Magnum illud monstrum in Rep. est * sed quo nos amisisse, quem sic vexari à Dolabella audio, ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii. Vetus Antistius me tamē pecunia subleuauit. Cicero filius tuus sic mihi se probat, industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquam dimittere videatur cogitationem cuius sit filius. Quare quoniam efficere non possum, ut pluri facias eum qui tibi est charissimus, illud tribue iudicio meo, ut tibi persuadeas non fore illi abutendum gloria tua ut adipiscatur honores paternos. Cal. April. Charachio.

CICERO BRVTO S.

DATIS mane ad vi. Id. April. Scaptio literis, eodem die tuas accepi Cal. April. Dyrrhachio datas vesperi: itaque mane prid. Id. April. cum à Scaptio certior factus essem, non esse eos profectos, quibus pridie dederam, & statim ire, hoc paululum exaravi ipsa in turba matutinæ salutationis. De Cassio lætor, & Reip. gratulor: mihi etiam, qui repugnante & irascente Pansa sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur. Et quidem audacter dicebam, sine nostro s. c. iam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum quæ dicenda putavi. Hæc ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris. Quod me de Antonio consulis, quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex his literis quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur, & in ea se gerere terribimè. Compluribus autem scripsisti Dolabellam à Rhodiis esse exclusum: qui si ad Rhodum access-

fit, videtur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandū: sin eam semel cepit, mihi crede, non erit. Id. April.

BRVTVS CICERONI S.

LITERAS tuas valde expecto, quas scripsisti post nuntios nostrarum rerum, & de morte Trebonii: non enim dubito quin mihi consilium tuum explices. Indigno scelere & ciuem optimum amissimus, & prouinciæ possessione pulsi sumus, quam recuperari facile est. Neque minus turpe, aut flagitiosum erit, potest recuperari. Antonius adhuc est nobiscū: sed mediussidius & moueor hominis precibus, & timeo ne illum aliquorum furor excipiat: planè æstuo. Quod si scirem quid tibi placeret, sine sollicitudine essem: id enim optimum esse, persuasum esset mihi. Quare quamprimum fac me certior quid tibi placeat. Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, vtrò quidē à Murco & à Martio, & ab exercitu ipso accersitus. Ego scripsi ad Tertiam sororem, & matrem, ne prius ederent hoc, quod optimè ac felicissimè gessit Cassius, quàm tuum consilium cognouissent, tibi que visum esset. Legi orationes duas tuas, quarum altera Calend. Ian. vsus es: altera de literis meis quæ habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc expectas, dum eas laudem. Nescio animi, an ingenii tui maior in his libellis laus contineatur. Iam concedo, vt vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistola iocans scripsisti. Duabus rebus egemus Cicero, pecunia & supplemento: quarum altera potest abs te expediti, vt aliqua pars militum istinc mittatur nobis, vel secreto consilio aduersus Panfam, vel actione in Senatu: altera, quæ magis est necessaria, neque meo exercitui magis, quàm reliquorum. Hoc magis doleo: * at in Asiam censeo persequendum. Nihil mihi videris hoc tempore melius acturus.

CICERO BRVTO SAL.

QVOD egere te duabus necessariis rebus scribis, supplemento & pecunia, difficile consilium est: non enim mihi occurrunt facultates, quibus vti te posse videam, præter illas quas Senatus decreuit, vt pecunias à ciuitatibus mutuas sumeres. De supplemento autem non video quid fieri possit: tantum enim abest vt Panfa de exercitu suo aut delectu tibi aliquid tribuat, vt etiam molestè ferat tam multos ad te ire voluntarios. Quomodo equidem credo, quod his rebus, quæ in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur: quomodo autem multi suspicantur, ne te quidem nimis firmum esse velit, quod ego non suspicor. Quod scribis te ad Tertiam sororem scripsisse, vt ne prius ederent ea quæ gesta à Cassio essent, quàm mihi visum esset, video te veritum esse id quod verendum fuit, ne animi partium Cæsaris, quomodo etiam nunc partes appellantur, vehementer commouerentur. Sed antè quàm tuas literas accepimus, audita res erat, & peruulgata: tui etiam tabellarii ad multos familiares tuos literas attulerant. Quare neque suppressenda res erat, præsertim cum id fieri non posset, neque si posset, non diuulgandā potius, quàm occultādā putaremus. De Cicerone meo, etsi tantum est in eo quantum scribis, tantum scilicet quantum debeo gaudeo, etsi quod amas eum, eò maiora facis: id ipsum incredibiliter gaudeo, à te eum diligi.

CICERO BRVTO SAL.

QVAB literæ tuo nomine recitatæ sunt Id. April. in Senatu, eodémque tempore Antonii, credo ad te scripsisse tuos, quorum ego nemini concedo. Sed nihil necesse erat eadem omnes: illud necesse me ad te scribere quid sentirem de tota constitutione huius belli, & quo iudicio essem, quaque sententia. voluntas mea Brute de summa Repub. semper eadem fuit quæ tua: ratio quibusdam in rebus, non enim omnibus, paulò fortasse vehementior. Scis mihi semper placuisse non rege solum, sed regno liberari Rempub. Tu lenius, immortalino cum tua laude: sed quid melius fuerit, magno dolore sensimus, magno periculo sentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem quæ oratione confici non poterant, ego omnia ad libertatem, quæ sine pace nulla est, pacem ipsam bello atque armis effici posse arbitrabar. Studia non deerant arma poscentium, quorum repressimus impetum, ardoremque restinximus. Itaque res in eum locum venerat, vt nisi Cæsari Octauiano deus quidā illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis & turpissimi M. Antonii veniendum fuit: quocum vides hoc tempore ipso, quod sit, quantumque certamen. Id profectò nullum esset, nisi tum conseruatus esset Antonius. Sed hæc omitto: res enim à te gesta memorabilis, & poenè cælestis repellit omnes reprehensiones: quippe quæ ne laude quidem satis idonea affici possit. Extitisti nuper vultu seueror: exercitum, copias, legiones idoneas per te breui tempore comparasti. Dii immortales, qui ille nuntius, quæ illæ literæ, quæ lætitia Senatus, quæ alacritas ciuitatis erat! Nihil vnquā vidi tam omnium consensione laudatum. Erat expectatio reliquiarum Antonii: quem equitatu, legionibusque magna ex parte spoliarias. Ea quoque habuit exitū optabilem. Nam tuæ literæ, quæ recitatæ in Senatu sunt, & imperatoris, & militum virtutem & industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset de his literis referri, & nisi in tempus turbulentissimum post discessum Panfæ Consul incidisset, honos quoque victus & debitus diis immortalibus decretus esset. Ecce tibi Id. April. aduolat mane celer Pilus, qui vir, dii boni, quàm grauis, quàm constans, quàm bonarum in Repub. partium! Hic epistolas affert duas, vnam tuo nomine, alteram Antonii. dat Seruilio Trib. ple. ille Cornuto: recitantur in Senatu. ANTONIUS PROCOS. magna admiratio, vt si esset recitatum, Dolabella imperator, à quo quidem venerant tabellarii: sed nemo Pili similis, qui proferre literas audeat, aut magistratibus reddere. Tuæ recitantur, breues illæ quidem, sed in Antonium admodum lenes: vehementer admiratus Senatus. mihi autem non erat explicatum, quid agerem. falsas dicerem? quid si tu eas approbasses: confirmarem? non erat dignitatis tuæ. itaque ille dies silentio. Postridie autem cum sermo increbuisse, Pilusque oculos vehementius hominum offendisset, natum omnino est

principium à me. De Procos. Antonio multa: Sestius causæ non defuit. Post mecum: quanto suum filium, quāto meum in periculo futurum diceret, si contra Procos. arma tulissent. Nosti hominē, causæ non defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo verò noster nec signum tuum in epistola, nec diem apposuit, nec te scripsisse ad tuos, vt soleres. Hoc cogere volebat, falsas literas esse, & si quæris, probabat. Nunc tuum est cōsiliū Brute de toto genere belli. Video te lenitate delectari, & cum putare fructum esse maximum: præclare quidem, sed aliis rebus, aliis temporibus locus esse solet, debetque clementiæ. Nunc quid agatur Brute, templis deorum immortalium imminet hominum egentium & perditorum spes, nec quicquam aliud decernitur hoc bello, nisi vtrum simus, necne, cui parcimus, aut quid agimus. His ergo consulimus, quibus victoribus vestigium nostrum nullum relinquatur. Nam quid interest inter Dolabellā, & quemuis Antoniorū trium? quorum sicui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Hæc vt ita sentiret Senatus, populūque Rom. etsi res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atque autoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam. neque dissolutum à te quicquam homines expectāt, nec crudele. Huius rei moderatio facilis est, vt in duces vehemens sis, in milites liberalis. Ciceronem meum mi Brute velim quamplurimum tecū habeas. Virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam, quàm contemplationem atque imitationem tui. x i i i. Calend. Mai.

Titi Pomponii Attici vita per Cornelium Nepotem.

NELIVM NEPOTEM.



POMPONIUS Atticus ab origine vltima stirpis Romanæ generatus, perpetuò à maioribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. Patre vsus est diligente, indulgēte, & vt tum erant tempora, diti, in primis studio literarum. Hic prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudiuit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, summa suauitas oris & vocis: vt non solum celeriter acciperet quæ tradebantur, sed etiam excellēter pronuntiaret. Qua ex re pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariūque explebat, quàm generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. itaque incitabat omnes studio suo. quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marii filius, M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi deuinxit, vt nemo iis perpetuò fuerit charior. Pater mature decessit. ipse adolescētulus propter affinitatem P. Sulpitii, qui Trib. pl. interfectus est, non expers fuit illius periculi: nanque Anitia Pomponii consobrina nupsit M. Seruio fratri Sulpitii. Itaque interfecto Sulpitio, posteaquam vidit Cinnano tumultu ciuitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate viuendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis ciuium, cum alii Sullanis, alii Cinnanis fauerent partibus: idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit: neque eo fecius adolescētē Marium hostem iudicatum iuuit opibus suis: cuius fugam pecunia subleuauit. ac ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. Hic ita vixit, vt vniuersis Atheniensibus merito esset charissimus: nam præter gratiam, quæ iam in adolescētulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam leuauit. cum enim vsuram facere publicè necesse esset, neque eius conditionem æquam haberent, semper se interposuit: atque ita, vt neque vsuram vnquam ab iis acceperit, neque longius quàm dictum esset, debere passus sit. quod vtrunque erat iis salutare: nam neque indulgendo inueterascere eorum æs alienū patiebatur, neque multiplicandis vsuris crescere. Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. nam vniuersos frumento donauit, ita vt singulis v i i. modii tritici darentur, qui modius mēsuræ medimnus Athenis appellatur. Hic autem sic se gerebat, vt communis infimis, par principibus videretur. quo factum est vt huic omnibus honores quos possent, publicè haberent, ciuēque facere studerent. quo beneficio ille vti noluit. quod nonnulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanam alia ascita. Quandiu affuit, nequa sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi & Piliæ locis sanctissimis posuerunt. hunc enim in omni procuratione Reip. actorem auctoremque habebant. Igitur primū illud munus fortunæ, quod in ea potissimum vrbe natus est, in qua domiciliū orbis terrarum esset imperii, vt eandem & patriam haberet, & domum: hoc specimen prudentiæ, quod, cum in eam se ciuitatem contulisset, quæ antiquitate, humanitate, doctrinæque præstaret omnis, ei vnus ante alios fuerit charissimus. Huc ex Asia decedens cum venisset, quandiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis & humanitate & doctrina: sic enim Græcè loquebatur, vt Athenis natus videretur: tanta autem erat suauitas sermonis Latini, vt appareret in eo natiuum quendam leporem esse, non ascitum. Idem poemata pronūtiabat & Græcè & Latinè sic, vt supra nihil posset. Quibus rebus factum est, vt Sulla nusquam à se dimitteret, cuperetque secum deducere. qui cum persuadere tentaret, Noli, oro te, inquit Pomponius, aduersum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. At Sulla adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiscens iussit deferri. Hic complureis annos moratus, cum & rei familiari tantū operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, & omnia reliqua tempora aut literis, aut Atheni-

